

ueluo mortui. r. n. d. e. n. s. a.
gelus dicit mulieribus. n.
inere uos. scio enim quod ibi
arua factus e quentis. no
sumerat enim sicut dicit
te et uidete locum. ubi pos
tat dorminis. **E**t cito erit
ante discipulis eius quia s
Et ecce ipse dicit uos in gati
cum uidebitis. ecce ipse dicit

Theol. 8° 464.

HIERONYMI ZANCHII
BERGOMATIS
Theologi celeberrimi

21

De

DIVINATIONE

TAM ARTIFICIOSA, QVAM

ARTIS EXPERTE, ET VTRIVS-

que variis speciebus

TRACTATUS,

OLIM STUDIOSAE IUVENTVTI IN

Schola Argentinensi publicè prælectus; nunc verò in gra-

tiam eiusdem ab hæredibus primum in lu-

cem editus.

ACCESSIT TRACTATUS THOMÆ ERASTI

Medici clarissimi

DE

ASTROLOGIA Diuinatrice.



HANOVIAE

Apud Guilielmum Antonium,

MDCX.

2

HIERONYMI ZANUCHII
DE THEOLOGIA COELECTORUM

DIVINATIONE

ET ARTHURICIS

ET ALIIS

ET ALIIS

ET ALIIS

ET ALIIS

ET ALIIS

ET ALIIS

ET ALIIS

ET ALIIS

ET ALIIS

ET ALIIS

ET ALIIS

ET ALIIS

ET ALIIS

ET ALIIS

ET ALIIS

ET ALIIS

ET ALIIS

ET ALIIS

ET ALIIS

ET ALIIS

ET ALIIS



*Amplissimis,
Doctrinâ & virtute præstantiss.
Viris;*

DN. IOHANNI LVNTIO, Colle-
gii Theologici, quod est Lug-
duni Batauorum, dispensato-
ri fidelissimo:

ET

DN. DANIELI DE LATTRE,
nouæ vrbis Hanouianæ incolæ
primario, &c.

DOMINIS ET AMICIS
COLENDIS,
S. P.



AMETSI multi graues &
præstantes viri de Diuina-
tionibus seculo ab hinc in-
tegro magna volumina con-
scripserint, vix tamen centesimus metâ
regiam consecutus esse videtur. Nonnulli
enim omnia effecta, omnes operationes

):(2

EPISTOLA

nostras, siue à natura, siue à mente & vo-
 luntate libera depēdeant, astrorum cur-
 su, & perpetuo moderamine regi, & qua-
 si necessitari statuerunt: qui ut grauem,
 & exitialem errant errorem, ipso Dei
 præcepto seuerissime punitum; sic & illi
 non minus turpiter hallucinantur, qui o-
 mnem ex astris diuinationem, tamquam
 inutilem, & impiam reiciunt, ac omnib.
 Christianis velis, remisque, quod aiunt,
 fugiendam, & auersandam præcipiunt.
 Quo igitur mediam, eamq; regiam scien-
 tiæ viam gradiamur, nec ad alterutrum
 extremum imprudentes delabamur, te-
 nendum est, duo præcipue esse diuinationo-
 num genera; vnum, quod arte, alterum
 quod naturâ perficiatur. Nos quibus de
 astrologorum Diuinatione præfari insti-
 tutum, naturali diuinatione valere iussa,
 artificiosam cum astrorum cognitione cõ-
 iunctam paucis prosequemur. Omnis igi-
 tur ex astris prædictio, & diuinatio ver-
 titur

titur

DEDICATORIA.

titur vel in iis, quæ naturæ quodam impetu fiunt, vel quæ rationis & consilii gyro aguntur, siue per se, siue ex accidenti geri, peragive dicantur. Quæ duce naturâ fiunt, in duorursus genera commodioris doctrinæ causa dispesci possunt: quorum vnum eorum est, quæ ab astris, tamquã à causis necessariis & perpetuò veris manant, statis licet tantum temporibus euenire soleant: quo in genere sunt solis & lunæ Eclipses, siderum, planetarumque ortus, obitus, coniunctiones, oppositiones, & id genus alia, quæ certò & longè quidem antea præsciri, & prædici possunt, præsertim cum omnia hæc à cælestium spherarũ rato, indeflexo, & equali motu & ordine dependeant. Quã quidem scientiã olim ab intentato crimine Alcibiadem liberatum esse testis est Plutarchus. Memorabile quoq; & in vulgus notum est Columbi nouum orbem primitus lustrantis stratagema. Cum enim vni-

EPISTOLA

versus eius exercitus classicus lienteria laboraret, copiae quoque indies ob hostium ferocientium impetus minuerentur, com-
 meatumq; sese suppeditaturos negarent, praevisa solis futura eclipsi occasionem ar-
 ripit, missisq; legatis commeatum impe-
 rat, ni pareat, minatur, se etiam nihil at-
 tentante, Deum illum, quem colerent vl-
 turum & solem media luce in vindicta &
 ultionis significationem, tenebras indu-
 cturum. Barbari dum cunctabundi diem
 praescriptum expectant, solem ferruginea
 facie contabescere, & lumen solitum ho-
 minibus denegare vident. Consternati i-
 gitur confestim ad Columbum confugiunt,
 veniam a viro diuino precatur, comnea-
 tum prolixè suppeditant, & tandem im-
 peratoris ante contempti iugum vanâ
 credendi facilitate implicati, libentes sus-
 cipiunt. Haec tamen ex astris dependens
 certitudo, & scientia tantum ex hypo-
 thesi talis est; quandoquidem naturæ au-
 tor or-

DEDICATORIA.

tor ordinem naturæ pro lubitu & voluntate sua inhibere possit, & quandoq; so-
leat, vt videre est apud Iosnam c. 10. 4.
Reg. 20. & Esa. 38.

Alterũ genus eorũ est, quæ ex astris qui-
dem tamquam causis remotis non raro
oriuntur, sed cum & proximiores causas
requirant, nec eũdẽ semper exitum sortiã-
tur, meritò propter generalẽ illã corporũ
coelestium ἐπέπυειαν & influxũ alias quoq;
causas agnoscunt: quò referri solẽt tẽpe-
statũ & aeris vicissitudines, morbi, frigo-
ra, sterilitas, & fertilitas agrorũ, pluuia,
& quæ his affinia sunt, in quib. vt aliquã
diuinandi rationẽ ob arcanos syderũ vir-
tutes, & mirificũ influxũ nõ inficiamur:
ita tantò difficiliorem esse contendimus;
quanto siderum vs & natura nondum
cognita, & quant plurib. à causis ortum,
& initium ducere possunt. Non. n. in sola
syderum, & motuũ coelestium vi, & in-
fluxu, quod sefellisse hætenus videtur
multos, se in vniuersa superiorum & in-

EPISTOLA

feriorum agentium & patientium Sympathia, & analogia hæc cõiiciendi ratio occupatur. Superiora siquidem & inferiora ita inter se connexa sunt, vt perpetuo quodã vinculo videantur colligata, atq; in agendo, & patiẽdo naturæ tenor, & concentus numquam excedatur.

Sed deueniamus ad illã diuinationis partem, quæ in iis reb. occupatur, quæ vel ratione & consilio geruntur, vel temerè & forte fortuna euenire dicuntur. In qua illarũ sententias, qui vel astris solam ad bona, malave inclinandi vim exclusa omni necessitate attribuũt, vel virtute hac inclinandi ademptã solam rerũ futurarũ significationem iis concedunt, propriis & ex ista rerũ natura deprõptis rationib. ita concutiemus, ac sedit & fundamētis suis dimouebimus, vt diuizandi hanc rationẽ omnino vanã, & homine Christiano plane indignam esse demõstremus. Vt igitur nihil dicamus nullũ ex omnib. præstan-

tio-

D E D I C A T O R I A.

tiorib. Theologis, & philosophis hanc di-
 uinandi artem comprobâsse: vt nō vrgea-
 mus à præstâtissimis omnium tēporum a-
 stronomis illam neglectam, & explosam
 fuisse, tantum hoc ex illis quæremus, qui
 omnem in reb. singulis qualitatū varie-
 tatem, caussis, vt vocant scholæ, vniuer-
 salib. & communissimis acceptas ferant,
 cum tamen omnia hæc à caussis proximis,
 iisque rerum diuersarum diuersis profici-
 scantur, causæ verò generales omnia cum
 omnib. operentur? Rectè. n. Plotinus ait,
 fouere cælum generationē omnē, at quod
 hic, qui oritur, sit homo, ille sit equus, nō ex
 cælo pendere, sed ex caussis propriis. Quod
 si igitur quod homo, vel pecus nascitur soli
 & lunæ aliisve astris tribuendum non est,
 sed caussis proximis, multò minus in solem,
 & lunam, & cæteras vniuersales caus-
 sas conferendum est, quod hic nature
 impetu in philosophiæ studium feratur, a-
 lius dicendi gloriâ inflammetur, tertius

archiv

EPISTOLA

litteras, & artes ingenuas aspernetur, cū
 potius vel diuersis parentum constitutio-
 nibus, vel varia victus rationi, & educa-
 tioni, vel natura locorum, atque id genus
 aliis, quæ cadunt partim in causas effi-
 cientes proximas, partim in materiã sub-
 iectam, sit adscribendum. Quò quidem
 Homerus, ceteriq; poeta alluisse viden-
 tur, qui heroes magnis à parentib. natos,
 propriaque virtute claros diuino semine
 & afflatu satos esse dixerunt, & commē-
 ti sunt: quãquã si à ne. βōs & magis Theo-
 logicè loqui velimus, vniuersum hoc inge-
 norum & studiorum à natura insitum
 discrimen Dei prouidentia & ordinationi
 tribuendum esse statuimus. Deus. n. vo-
 luit nōnullos auro diuino, vt cum Socrate
 loquamur, h. e. ingenii præstatiã, & cla-
 ritate excellere: nonnullos imperare, non-
 nullos seruire, nōnullos deniq; agrū colere,
 & quæ sūt reliqua ad sanctissimū huma-
 nã societatis vinculū apprimè necessaria.

Sed vt

D E D I C A T O R I A .

Sed ut genethliacos geminorum exem-
 plo non premamus, hoc tantum ex i-
 psis quaerimus, cur in genituris diiudican-
 dis idem constituent principium eorum, quae
 & animum, & corpus, & ipsas etiam
 fortunas consequuntur; primum videlicet
 ortus momentum, cum ratio ipsa depo-
 scat, horum, ut sunt inter se longè diuer-
 sissima, ita alia, atque alia principia esse
 statuenda. Rectius sanè artis huius, si quae
 esset, principia ita constituerentur, ut quae
 corporis sunt ad conceptum, quae fortuna-
 rum ad horam partus, seu natiuitatis, quae
 postremò animi ad tempus, quo infans in v-
 tero primùm mouetur, quod idem esse putatur,
 & ἐμψυχόσεις primùm momentum referatur.
 Ac ut aduersarios magis prehendamus, lu-
 benter ex ipsis sciremus, quomodo fiat quod plu-
 rimi vno & eodem astro, eadem constellatione
 geniti cum Rege, Principe, aut Comite non
 fiant Comites, Principes, Reges? Rustici
 certius responderent, quia hi omnes à Re-
 gib. Principib. Comitib. ve non sint nati.

EPISTOLA

Lubenter insuper sciremus, quæ fiat, quod multi eadem constellatione geniti morib. planè differant, nec vitæ exitum eundem sortiantur; vice versa, quod sub distantissimis cæli partib. & diuersissimis syderû positionib. quod aliquoties fieri videmus, orti, in vnũ locum deuecti, iisdem studiis dediti, negotiis iisdem obruti, calamitate eadem inuoluti, eodem mortis genere, momento eodem intereant, in astra rei causam qui confert, necessũ est aniculis risum excutiat.

Hæc & plura alia, quæ compendiose à nobis præmittuntur, fusè & copiosè declarata & confirmata sunt à Cl. Theologo HIERON. ZANCHIO patre & socero nostro æternũ venerãdo, in tractatu de Diuinationum generibus, quæ in gratiam reipublicæ litterariæ è schidis collectum, & in ordinem præsentem digestum, typisque descriptum euulgamus: cui ob materiæ, animorumq; cohærentiam: Cl.

DEDICATORIA.

Cl. Medici THOMÆ ERASTIDEA-
strologia tractatum antehac quidem
editum, sed omnino distractum, & haec-
tenus multum diuq; desideratum coniun-
ximus, spe hac certissimâ freti operæ pre-
tiū omnibus bonis, & eruditis nos fecisse.

Hoc autem totum, quicquid est, vobis
viri amplissimi & præstantissimi ex solē-
niritu dicamus, & consecratū volumus:
vterq; n. vestrū nos omnes & singulos
singulari amore, fauore, & benevolentia
magnis beneficiorum testimoniis abundè
comprobata complexus fuit, vt in referē-
da gratia succūbere, vix dignam animo
habere possimus. Accedit quod vterque
tanta pollet iudicii ἀκριβεία, tantâq; in-
genii dexteritate, vt soli propemodum de
huiusmodi reb. arduis & grauibus, quæ in
hisce tractatib. fusè explicatæ tradūtur,
iudicare, soli vera à falsis discernere pos-
sitis.

In primis verò Doctissime & præstan-

EPISTOLA

tissime Lunti, nos omnia tibi debere vltro fatemur, ob singularia tua beneficia, quæ tum nominatim in me Ludouicū, cum Ultraiecti (ubi tum temporis magna cum laude Illustris illius Scholæ Ephorum agebas) & Lugduni Batavorum, ultra quinquennium studiorum causa degerē, quæ recensere singulatim superuacaneum duco; tum quoque in sororem nostram carissimam Leliam Constantiam, Hērici Conchardi fidelissimi Ecclesiæ Ultraiectinæ ministri viduam p. m. & orphanos, tum denique in nos omnes & singulos, exemplo singulari, largissimè contulisti.

Horum itaque beneficiorum, & amicitia, singulari studio viginti & ultra annorum spatio nobiscum, vivente etiam adhuc parente nostro, p. m. Neapoli Nemetum cultæ grato animo memores, non potuimus non huncce patris & soceri nostri venerandi tractatum in tuam clientelam

telam

DEDICATORIA.

telam commendare, simulque officiosè te
rogare in illa singulari erga nos beneuo-
lencia perennes, & nos, nostrosq; perpetim
tibi commendatos habeas.

Tu quoque amplissime Dn. Daniel,
annis abhinc viginti circiter, cum prius
Neostadii me Georgio Gabelio in
schola classica studiorum tuorū direttore
& informatore; & me Ludouico, cōdi-
scipulo & contubernali coniunctissimo i-
bidem vsus esses, singulari amore, studio,
& beneuolentia nos prosequutus fuisti,
& animi tui in nos propensi argumenta
singularia haectenus extare voluisti:
quo nomine hoc publicum reciproci nostrī
affectus, singularisq; pietatis, eruditionis
& humanitatis tuæ testimonium tanquā
in arce Phydiae collocatum erigimus, si-
mul etiam omnibus testamur beneuolētia
tua nobis nil gratius, amicitia nil iucun-

EPISTOLA DEDICAT.

dius, memoriâ denique acceptius nil esse
nec fieri unquam posse.

Quod superest viri amplissimi, hoc gra-
ti animi certissimum pignus, eo quo sole-
tis, humanitatis & benevolentiae affectu
prosequimini, quo nos, nostrosq; hætenus
prosecuti estis: id si à vobis, vt nos spes
tenet optima, impetrauerimus, vicissim
vobis spōdemus, recipimus, pollicemur nos
omne studium, laborē, operam in eo posi-
turos, vt beneficia, quib. nos affecistis, af-
ficitis, afficietis, nec male collocata esse vi-
deantur, nec vobis unquã crimini frau-
dive futura. Valete viri amplissimi & diu
Ecclesie & Reipub. Christiana salubri-
ter viuite. Hanouæ 30. Maii, Iulia. 1610.

Ampl. V. V.

obseruantissimi

Hæredes Zanchiani

Ludonicus

Hieronimus Ropertus

Georgius Gabelius.

{ Zanchii.



I
HIERON. ZANCHII
TRACTATUS
DE DIVINATIONE, ET
VARIIS EIVS SPECIEBUS
ex Prælectionibus ipsius,

In 6. vers. cap. 2. IESAIÆ desumptus.

*Vbi assignatur prima causa reprobationis Iudeorum,
quòd delectati fuerint hominibus Orientalibus,
Chaldeis & auguribus, deniq; alienigenis.*



Insuetatur hoc loco Propheta
Iesaias ex ore Dei, omnes diui-
nos, Ariolos, Aruspices, astrolo-
gos, augures, Genethliacos, Ma-
thematicos, Planetarios, Pytho-
nes, denique omnes, qui artem
futura & abdita diuinandi profitentur, sicut Ori-
entales solebant. Omnibus enim iis atque aliis
multis nominibus fuerunt huiuscemodi diuina-
tores, variis temporibus appellati: olim *Chaldei &
Orientales, & Genethliaci*: Augustini temporibus,
Mathematici & Planetarii: nunc passim *Astrologi*
vocantur & *Necromantici*. Videndum igitur

*An omnis futura & abdita diuinandi professio,
damnetur nec ne: & quatenus liceat
Christiano, & quatenus non?*

Questio.

Quæstio hæc noua non est, sed vsque ab anti-

A

quis agitata temporibus: deturne aliqua inter homines diuination, quam Græci *μαντιλῶν* appellant, id est, præfensionem & scientiam rerum futurarum: Et, si detur, sitne licita populo Dei hæc diuination, nec ne, seu probandane sit, an improbanda. Ac quidem (vt in genere loquar) vna ex parte multa habemus tum sapientum viro- rum testimonia, tum rationes, quibus probatur, Diuinationem & inter homines dari: & neque Deo, neque sapientibus hominibus improbari.

Qui scriptores diuinationem probent.

Cic. duos habet de Diuinatione libros: atq; in primo Q. fratrem introducit, qui argumentis permultis probet esse Diuinationem, quæ in tot ferè species diuiditur, quot sunt media, quibus fit diuination, atq; ita incipit: *Vetus opinio est, iam usq; ab heroicis ducta temporibus, eaque & populi Romani, & omnium Gentium firmata consensu, versari quandam inter homines diuinationem, quam Græci *μαντιλῶν* appellant, id est, præfensionem, & scientiam rerum futurarum.* Deinde, quàm sit non solum non vituperanda, sed laudanda potiùs, docet, statim subdens: *Magnifica quedam res, & salutaris (si modò est vlla) quæque proximè ad Deorum vim, natura mortalis possit accedere.* Id verò omnium fermè Gentium & nationum, Assyriorum, Chaldæorum, Ægyptiorum, Cilicum, Pisidarum, Græcorum, Hetruscorum, Romanorum, aliarumque Gentium exemplis & testimoniis comprobatur.

Præterea, videmus Philosophos multa verissima de futuris præsentire, vt de Lunæ Eclipsi, de futura pluuia, deque aliis id genus futuris rebus cognoscere. Quanta nauæ, ex ventis, ex motu Maris, ex visis piscibus, &c. Quanta vel ipsæ mulierculæ

lierculæ ex gallorum cantu, ex muscarum mor-
sibus, ex multis aliis coniecturis præsentiant?
Quanta & quàm vera Medici, ex qualitate so-
mniorum, de qualitatibus morborum cogno-
scunt, quin & de ægotantium vel salute, vel in-
teritu diuinât, & verè quidem diuinant? Nemo
est autem, qui huiuscemodi præsentionem ac di-
uinationem aut damnari in scripturis dicat, aut
Christianis prohiberi (si tamen sub diuinationis,
ac non potius Philosophiæ nomine contineri de-
beat hæc cæca scientia.)

Nec defunt aut defuerunt vnquam viri pii &
docti, qui astrologiam, qui Mathematicam, qui
physiognomiam, & alias huiuscemodi artes, et si
partim vituperarint, partim tamen etiam com-
mendarint. Quid? Dominus Iesus Matth. 16. an
non probat aliqua ex parte artem, qua ex cœlis
futura aliqua diuinamus, vel diiudicamus? cùm
ait, *Vespere dicitis, serenum erit, rubicundum enim est
cœlum: Mane verò tempestas erit, rutilat enim triste
cœlum. Faciem ergo cœli diiudicare nostis: signa autem
temporum non potestis?*

Contra verò altera ex parte video in genere,
diuinationem omnem tum in S. literis damnari,
tum etiam à doctissimis Philosophis, & à sanctis-
simis Patribus improbari: tum sapientissimorum
Imperatorum legibus prohiberi: tum firmissimis
rationibus, ceu falsam, inanemque refutari.

Ac primum quidem (vt à Philosophis ordiar)
M. T. C. cum in priore libro, Q. fratrem laudan-
tem ac defendentem diuinationem introduxif-
set: ipse deinde in altero libro, tum eam in gene-
re, tum singulas eius species, Aruspicinam, Au-

Qui enim
improbenz.

Philosophi.

4 *De Diuinatione in genere,*
spicia, Auguria, sortes, astrologiam, infomnia, &
alias omnes, permultis fortissimisque rationibus
confutat atque improbat, ita vt tandem omnes
Diuinationis species, vtpote omnis superstitionis
radices, & quæ veram religionem corrumpant,
& homines quieta mente nunquam consistere
sinant, prorsus extirpandas esse concludat. In-
numeros verò antea Philosophos, quorum alii o-
mnem penitus diuinationem, alii aliquot illius
species damnant, commemorauerat.

Pythagoras, Astronomiam prorsus reiicien-
dam, neque vllam ei fidem adhibendam, censuit:
Autores sunt Diogenes Laërtius in Pythagora,
Plutarchus & Theodoretus in 1. contra Astro-
nom.

Democritus Astrologiam vituperauit, & di-
cere solitus erat: *Quod est ante pedes, nemo spectat:*
cœli scrutantur plagas: autor est Cic. 2. De diuin.

Cato derisit omnes aruspices, & mirari se aie-
bat, *quòd non videret aruspex, aruspicem cum vidis-
set: quota enim quæq; res euenit, prædicta ab iis?* Cic. 2.
de Diuinat.

Panætius Stoicus, contra aliorum Stoicorum
sententiam, Astrologis nullam fidem adhiben-
dam esse docuit. Cic. 2. de Diuinat.

Astrologi. Eudoxus Platonis auditor, in Astrologia, iudi-
cio doctissimorum hominum, facilè princeps, sic
opinatus est, Chaldæis in prædictione, & in nota-
tione cuiusq; vitæ ex natali die, minimè esse cre-
dendum. Cic. de Diuinat. lib, 2.

Archelaus & Cassander, summi Astrologi, hoc
prædictionis genere vsi non sunt.

Scylax Halycarnasseus, excellens in Astrolo-
gia,

gia, totum hoc Chaldaicum prædicendi genus repudiauit.

Diogenes Stoicus, concessit aliquid Chaldeis, vt prædicerent, duntaxat, quali quisque natura, & ad quam quisque maximè rem aptus futurus sit. Cætera quæ profitentur, negat vlllo modo sciri posse. Cic. de Diuinat. lib. 2.

Seneca eam quoque deridet.

Carneades contra eam disputat.

Epicurus non potuit Astrologiæ assentiri.

Plato & Aristoteles, indignam hanc artem putarunt, cuius aliquam mentionem facerent in suis voluminibus,

Plotinus (vt scribit Porphyrius, & refert Picus) cum diligentem Astrologiæ operam dedisset, comperissetque tandem artis vanitatem, & falsitatem prædictionum, omnem Astrologis fidem abrogauit: & libro edito, cui titulus De stellarum efficientia, dogmata astrologorum risit & confutauit.

Auerroes Arabs, magnus Philosophus, astrologiam semper insectatur & damnat, vt patet in lib. Metaph. Item contra Algazelem: item exponens cantica Auicennæ, ait falsa dogmata astrologorum omnia, & artem ipsam in vniuersum vanam.

Marf. Ficinus, vir doctissimus, aduersus Astrologos scripsit: Ita Ioh. Pic. Mirand.

Nicol. Leouicenus in Mathemat. doctissimus, ita vanam hanc prophetantem astrologiam iudicat, vt neque illos, qui de ea scripserunt, fidem putet adhibuisse iis, quæ scripserunt. Cur igitur

De Divinatione in genere

scripserunt interrogatus, respondebat, *partim avaritiâ, partim imperitia principum.*

Legibus quoque Imperatorum damnata fuit tota hæc ars. Iustinianus Mathematicam artem (artem scilicet iudiciariam) interdixit ceu abominabilem, mandans ne quis Mathematicum consulat, idque sub pœna capitis.

Imperatores.
In Cod. lib. 1.
tit. 14. de pa-
ganis, c. 2.
Gratian. Va-
lent. & The-
odos. Impe-
ratores eam
damnant
sub pœna ca-
pitis.

Ante Iustinianum, sæpe etiam expulsi Romam fuerunt Mathematici huiuscemodi, ut testatur ipse etiam August. Tom. 4. in quæst. ex utroq; Testamento mixtim, quæst. 15. col. 844. litera C.

PATRES quoq; hanc diuinandi artem, siue Astrologiam, siue Mathematicam, siue Aruspici-
nam voces, ubique damnarunt, & ceu pestem religionis Christianæ, ab Ecclesiis explodi curarunt, falsam esse & Diabolicam artem demonstrantes. Citabo aliquot loca.

Patres.

Tertullianus in Apologet. cap. 23. hanc Magicam artem, assistenti Dæmonum potestate fieri docet.

Basiliius in Hexamero, homil. 6. Prognostica quidem temporum, & significationes tempestatum, astris concedit: Genethliacos tamẽ, ceu qui septa transfiliunt, grauiter confutat, quippe qui vanissimam vanitatem sectantur.

Gregorius Nazianzenus scribit hos planetarios & Augures, cum ex conspectu cœli, futura iudicare volunt, perinde facere, atque si quis ex conspecto alicuius Principis palatio, aut folio, conetur occultas eius cogitationes, & animi consilia diuinare & explicare.

Philastrius Episcopus Brix. in lib. de hæresibus, hanc Astrologiam inter hæreses reponit, dicendo:

do:

do: p. 125. Alia est hæresis, quæ dicit secundum 12 signa Zodiaci, nasci homines, sicut Mathematici illi vanissimi totiusq; erroris & sceleris assertores, &c.

Epiphanius Episcopus Constantiæ Cypri, Tomo 1. in suo Panario, lib. 1. p. 9. editionis Heruag. Græcè, artem hanc malam doctrinam appellat, dicendo: *Inuentum fuisse Zoroastrem authorem* (vt quidam dicunt) κακῆς διδασκίης ἀστρολογίας ἢ μαγείας. Item, eod. libro 1. hæres. 16. contra Phariseos, pag. 20. tradit: & Fatum, & Astronomiam apud Phariseos, valde in vsu fuisse: ideoque statim Græca nomina, ex erronea Astronomia in Hebraica lingua, aliis apud se nominib⁹ transnominata fuisse, οἶον ἥλιος ἢ ἡμῶν καί σεμβες, σελήνη ἰερέσκα ἀλβανά, &c. ἱερεκ γδ ἢ μὴν λέγεται. Ibi quoque eam damnat Epiphanius.

Ambrosius T. 1. f. 20. c. Officiorum libro primo, cap. 26.

Item Tom. 4. Hexam. lib. 4. cap. 4. declarans, quomodo luminaria facta sint in signa & tempora, inuehitur doctissimè contra Astrologos, qui ea signa, signa esse volunt natiuitatis cuiusque, indeque diuinant, qualis futurus sit vnusquisque, qui sub tali signo natus est. Legatur caput illud. Ibidem etiam habet hæc verba, loquens de sapientia Astrologorum & Chaldæorum: *sed hæc eorum sapientia, tela aranea comparatur, in quam si culex, aut musca inciderit, exuere se non potest: si verò validiorum animantium vllum genus incurrisse visum est, pertransiuit, & casses rupit infirmos, atq; inanes laqueos dissipauit. Talia sunt retia Chaldæorum, vt in iis infirmi hereant, validiores sensus, offensionem habere non possint.*

Origenes in libro *ἑξὶ δὲ ξῶν* 3. cap. 3. de triplici sapientia, hos Magos & Diuinos, Dæmonibus deuotos & consecratos esse asserit, sentitq; , quòd quemadmodum qui sese Deo vouent, cum omni affectu & puritate, & alienos se ab omni Dæmonum contagione conseruant, & sese per abstinentiam purificant, & pijs sacre religionis disciplinis imbuti fuerint, diuinitatis participes fiunt, & gratiâ prophetiæ donantur: ita qui vita studio & amicitia sese Dæmonibus vouent, eorum sapientia virtutisq; participes fiunt. Item Tom. 1. in Numerorum cap. 22. homil. 13. damnat hos Astrologos & Diuinatores omnes, & dicit, diuinationem, operâ & ministerio Dæmonum adimpleri.

Chrysostronus Tom. 4. in Epist. ad Timoth. 2. cap. 3. hom. 8. exponens verba illa. *sacras literas didicisti, quæ possunt te instituere ad salutem, &c.* damnat hanc diuinandi artem, & dicit, quid si eueniant, quæ prædicunt? Ideo (inquit) eueniunt, quia tu credis, si tamen eueniunt. Captiuum te ille (scilicet Satan, per Magum & Diuinum) accipit: vitæ tuæ Dominus est, ipse dispensat, ut vult. Præterea ubi consueuerit homo iis fidem adhibere, multum ipsis seductoribus confert. Nemo, cum fallunt, attendit: sed solum si quid verè prædixerint, aspicit, &c. Idem Tom. 2. in Matth. cap. 2. hom. 2. explicans verba illa, *Vidimus enim stellam eius, &c.* docet, quàm vana, quàm falsa, quàm Diabolica sit hæc ars, per astra de cuiusque natiuitate, & qualitatibus iudicandi. Si enim stella est, quòd malissimum, iniqua est illa stella, iniquior est Deus (inquit) qui illam stellam ad hoc creauit, &c. concludit, nec vitia, nec virtutes stellis esse adscribendas: sed vitia nobis, virtutes gratiæ Dei.

Quin

An probanda vel improbanda sit. 9

Quin idem Tom. 1. in Genes. cap. primum, homilia 5. explicans verba illa, *Germinet terra herbam virentem, &c. Et protulit terra herbam, &c.* docet, magnam esse iniquitatem, si frugum terræ proventum, aut laboribus nostris, aut astris cœli adscribamus: Deumque illum esse, qui etiamnum suâ occultâ virtute, subtus terram operans, fructus emittit è terra: *Quis non obstupesceret (inquit) ac admiraretur cogitans, quomodo verbum Domini, quod dicit, Germinet terra herbam fœni, in ipsum utrum terra descendat, & quasi admirabili quodam populo, terra faciem, variis floribus adornet?*

Hieronymus Tom. 5. 174. in Iesaiam, cap. 13. explicans verba illa, contra Babylonem, *sta cum incantatoribus tuis, &c.* Astrologos & Mathematicos, pestilentiores esse ostendit ipso incendio Babylonis: atque ibi egregiè deridet Astrologos, & diuinatores omnes.

Item Tom. 5. 288. Item Tom. 1. de Ecclesiast. scriptor. scribit, Minutium Felicem, Romæ confidenticum insignem, aduersus Mathematicos libellum edidisse, cumque libellum probat Hieronymus.

Item, alibi dicit, ex opprobriis Ægypti, id est, reliquiis idololatrię esse, requirere stellarum cursus, & futurorum ex eis euenta rimari.

Gregorius Papa, Tom. 2. in Euang. Matth. de Epiphania hom. 10. explicans verba illa; *Vidimus enim stellam eius in Oriente, &c.* Mathematicorum sententiam de stellarum inclinationibus confutat, docetque, vitam humanam, neq; à Fato, neque à stellis administrari, sed à solo Deo: quoniã

non homo propter stellas, sed stellæ propter hominem factæ sunt.

Idem Tom. 1. in Iob. cap. 40. lib. 33. cap. 9. col. 1138. damnat Mathematicorum doctrinam, superstitionem appellans; *quam (inquit) aperte geminorum natiuitas dissipat, qui cum uno eodemque momento hore prodeant, non in una conuersationis qualitate perdurant. Vbi ergo (ait) Mathematicorum superstitio, qui dum signorum cursus suspiciunt, vitas hominum in syderum momenta suspendunt?*

Augustinus verò infinitis propè in locis, hanc diuinatricem artem insectatur atque confutat, sed præsertim in iis locis, Tom. 1. Confess. lib. 4. cap. 3. confitetur, se Planetarios, quos Mathematicos vocant, consulere non destitisse, quos nunc iure damnat: Et illos, qui dicunt, De cælo tibi est inuitabilis causa peccandi, & Venus hoc fecit, aut Saturnus, aut Mars, nil aliud efficere, nisi vt caro & sanguis sit sine culpa: culpetur autem cæli & syderum creator & ordinator.

Item lib. 7. Confess. cap. 6. quàm vanæ sint Mathematicorum diuinationes, apertissimè demonstrat exemplo duorum, qui simul eodem tempore nati sunt, vnius ex ancilla cuiusdam acutissimi Astrologi, alterius ex vxore, cuiusdã alius Astrologi; & tamen fuit diuersa vtriusque conditio & vita.

Occupatio:

At aliquando vera dicunt.

Respondet Aug. locis supra citatis, non arte, sed sorte vera dicunt.

Tom. 2. epist. 119. ad Ianuarium, cap. 7. dogma-

ta

An probanda vel improbanda sit. 11
ta Mathematicorum, *deliramenta* appellat, profus
irridenda.

Tom. 3. de Genesi ad literam, lib. 2. c. 17. egregiè Mathematicos confutat, qui vel animas nostras, vel etiã corpora subiiciunt cœlestibus corporibus, ita vt quæ iisdem constellationibus nascuntur, eisdem etiam affectibus afficiantur: *sed quòd anima nostra (inquit) naturâ corporibus, nec cœlestibus subditæ, audiant & Philosophos suos, &c.*

Deinde, idem negat de corporibus nostris, eodem modo, quo Mathematici volunt, manifestè docet, tum exemplo geminorum, tum etiam granorum multorum diuersorum generum. *Multa corpora (inquit) diuersorum generum vel animantium, vel herbarum, & arborum, uno simul puncto temporis seminantur, unoq; simul puncto temporis nascuntur: tamen non diuersis sed iisdem etiam terrarum locis, tantæ sunt varietates in progressibus, in actibus, & passionibus eorum, vt verè isti (sicut dicitur) perdant sydera si ista considerent.*

At dicent, constellationes stellarum, ad herbas & alia animalia non valent, sed ad hominem tantum.

Respondet August. quid hebetiùs & insulsiùs, quàm cum istis rebus conuincuntur, dicere, ad solos homines sibi subiiciendos, fatalem stellarum pertinere rationem?

At sepe vera dicunt Astrologi.

Respondet August. ibi: *Ideoq; fatendum est, quãdo ab istis vera dicuntur, instinctu quodam occultissimo dici, quem nescientes humane mentes patiuntur. Quod cum ad decipiendos homines fit, spirituum seductorum operatio est, quibus quedam vera de tempora-*

Vnde vira dicant aliquando Mathematici.

libus rebus nosse permittitur: partim quia subtilioris sensus acumine; partim quia subtilioribus corporibus vigent; partim experiētiā callidiore, propter magnam longitudinem vite; partim à sanctis Angelis, quòd ipsi ab omnipotente Deo discunt, etiam iussu eius sibi reuelantibus, qui merita humana occultissimæ iustitiæ sinceritate distribuit. Aliquando autem iidem nefandi spiritus etiam quæ ipsi facturi sunt, velut diuinando prædicunt. Quare concludit Augustinus, Mathematicos etiam si vera sæpe dicunt, Christiano esse cauendos, ne consortio dæmoniorum, animam deceptam, pacto quodam societatis irretiant.

Tom. 3. de doctrina Christiana, lib. 2. cap. 20. 21. 22. egregiè etiam deridet huiuscemodi Mathematicorum superstitiones, & lepidum Catonis dictum refert.

Item cap. 23. docet, nullam esse Mathematicis fidem adhibendam, vbi inter alia dicit: fieri ut occulto quodam iudicio diuino, cupidi malarum rerum homines tradantur illudendi & decipiendi pro meritis voluptatum suarum, illudentibus eos atque decipientibus præuaricatoribus Angelis, quibus ista pars Mundi infima, secundum pulcherrimum ordinem rerum, diuinae prouidentiae lege subiecta est.

Item cap. 24. docet, maximam inter Dæmones & Mathematicos esse societatem. Legatur caput illud. Et ideo diuersis, ait, diuersa proueniunt. secundum cogitationes & præsumptiones suas. Illi enim spiritus, qui decipere volunt, talia procurant cuique, qualibus eum irrezitum per suspiciones & consensiones eius viderint: idque aptissimo exemplo vel simili declarat.

Tom. 4. in quæst. ex Veteri & Nouo Testam. mixtim, q. 115. fusissimè & egregiè demonstratur, quàm

quàm perniciofa fit Christianis, artis Matheseos seu diuinationis obseruatio & cura, & quòd Diaboli fit inuentum.

Tom. 5. de ciuitat. Dei, lib. 5. cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6. aduersus Mathematicorum diuinationem & artē egregiè & multis disputat, omnino eam falsam esse euincens & inanem.

Item, lib. 7. cap. 37. aduersus sydromantiam & necromantiam scribit, arte demonum inuentam esse docens.

Tom. 6. de hæres. ad Quoduult Deum, num. hæreticorum 70. Priscillianistis hanc inter alias dat hæresim, quòd astruant, fatalibus stellis homines colligatos, ipsumque corpus nostrum secundùm 12. signa cœli esse compositum: sicut hi, qui Mathematici vulgò dicuntur, constituentes in capite Arietem, Taurū in ceruice, Geminos in humeris, Cancrum in pectore, & inde cætera signa. *Hæc & alia fabulosa, ait, vana, sacrilega, qua persequi longum est, hæresis ista contexit.*

Tom. 8. in Psal. 140. col. 1620. explicans verba illa, *ad excusandas excusationes in peccatis, & non communicabo cum electis eorum, &c.* taxans Mathematicos, qui omnia à syderibus pendere volunt, vitia & virtutes, ait: hos Mathematicos ista dicere: *Eris adulter, quia sic habes Venerem: eris homicida, quia sic habes Martem. Mars ergo (inquit Augustinus) homicida, non tu: & Venus adultera, non tu. Vide, ne pro Marte, aut Venere, tu damneris. Deus enim, qui damnaturus est, nouit, quia tu es, qui dicis, non ego, iudici scienti. Porro, ipse Mathematicus qui tibi fabulas laqueorum tuorum etiam vendit, ut non vel gratuiam compares mortem (emis enim mortem à Mathe-*

matico, pretio, qui contempsisti vitam à Christo gratis) ipse ergo Mathematicus, si uxorem suam paulò petulantius viderit conuersari in domo sua; nonne arripit, verberat, & dat disciplinam in domo sua? Respondeat illi uxor, si potes, Venerem cæde. Nonne & ille respondebit, Fatua, aliud est, quod competit Reçtori, aliud profertur emtori, &c.

Item, in Psal. 63. habetur talis historia. Producit Augustinus Mathematicum pœnitentem, qui professioni suæ renuntiarat, non aliter, quàm si aut Iudæus, aut Ethnicus aliquis lauacrum regenerationis accepisset, vel hæreticus ad veram Ecclesiam rediisset.

Item Tom. 9. in Iohan. insanix nostræ nos admonet, qui ad Astrologos liberi intramus, vt exeamus serui, & mendaciis emtis, libertatem nostram illis erogamus.

Seuerianus libro, quem de septem artibus fecit, postquam de vera dixit Astronomia, subdit, dicendo: *Tum ea, quæ attinent ad præuidenda futura, ita deberent nesciri, vt nec scripta esse videantur. Sunt enim fidei nostræ sine dubio contraria.*

Concilia.

Concilium Carthaginense quartum, Can. 89. auguriis vel incantationibus seruientem, à conuentu Ecclesiæ separandum concludit.

Concilium Toletanum, hanc Mathematicorum & Augurum scientiam damnauit: & inquit, *si ipse Presbyter, aut Diaconus fuerit, in Monasteriis relegatur, sceleris ibi pœnas, perpetua illa detentione daturus.* Vide etiam Concilii Ancyрани canon. 23. Item Concilii Elibertini can. 62. Item Concilii Venetici can. 16.

S. Litera.

Leuit. 19. Ne declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid

aliquid sciscitemini, ut in eis polluamini. Ego Dominus Deus vester.

Leuit. 20. Anima qua declinauerit ad Magos & Ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi sui. Nota, quod Dominus fornicationem appellat (nempe cum Satana coniunctionem) consilere Ariolos, & fidem illis præbere. Ratio, quoniam ars hæc, arte Dæmonis absoluitur.

Deut. 18. Cum tu veneris in terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, caue ne imitari velis abominaciones illarum Gentium, non inueniatur in te, qui traducat filium aut filiam suam per ignem: nec diuinus, qui diuinando, futura prædicit: nec Mathematicus, qui obseruet somnia, aut auguria, nec malefica, nec incantatrix, neque qui Pythones consulat, nec diuinos, & qui querat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus: & propter huiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo. Gentes istæ, quarum possidebis terram, augures & diuinos audiunt: tu autem à Domino aliter es institutus. Prophetam de Gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit Dominus, ipsum audies, &c.

Hæc omnia in hunc finem retuli, locaque Patrum, vbi artem hanc diuinatricem damnant, citavi, ut intelligatur in genere, artem hanc Diabolicam esse, Deo inuisam, totius Christianæ religionis perniciem, & propter quam Dominus supra modum irascitur, destruit regna, euertit Ecclesias, perdit populos, ac denique in æternum mittit exitium. Fieri enim non potest, ut qui hac arte delectatur, non arctissimo vinculo cum

fatana sit colligatus, quoniam non perficitur nisi arte fatanæ, vt Patres testantur. Ideo Deus vocat fornicationem cum Satana.

Conciliatio
horum scri-
ptorum.

Iam vt ad quæstionem reuertamur, ex iis, quæ hæctenus diximus, vna ex parte, non videtur omnis futura diuinandi professio damnari: altera ex parte videtur prorsus damnari vt Diabolica, Quo pacto igitur hæc conciliabuntur?

I. Responso
generalis.

R. Ad hanc quæstionem, vt benè intelligatur, primò, respondebo in genere, quoniam etiam in genere proponitur quæstio: deinde Diuinationis definitione allata, singulas eius species explicabo: atque de singulis quid sit sentiendum exponam.

Quoad primam respõsionem, sic breuiter dico, quòd sicut hoc nomē *Diuinitio* & *μαντική*, non vno modo, sed *πολλὰχῶς* vsurpatur: ita etiam non vna, sed multiplex responsio ad quæstionem adferri potest.

Diuinationis nomen, cognitionem aliquam & præsentionem significat, vt Cic. docet: sed qualem, & quarumnam rerum, videndum est, idque ex ipso Cicerone.

Damnatio
quid signifi-
cat.

I.

Ac primùm quidem, Cicerone ipso interprete, *Diuinitio* Latinè, & Græcè *μαντική*, præsentionē ac scientiam, seu cognitionem rerum futurarum significat. Sic enim ait lib. 1. de Diuinat. *Vetus opinio est, iam vsq; ab Heroicis ducta temporibus, eaq; & populi Romani, & omnium Gentium firmata consensu, versari quandam inter homines diuinationē, quam Greci *μαντική* appellant, id est, præsentionem & scientiam rerum futurarum.* Hæc Cic.

Si hoc pacto accipiamus in præsentia hoc no-
men

nomen Diuinationis: absolute respondeo, non omnem diuinationem, neque in scripturis, neque à Philosophis, neque à Patribus damnari, neque ut vanam, aut fallam, neque ut perniciosam & Diabolicam. Quis enim nesciat, multarum rerum futurarum, tum diuinarum, tum naturalium, tum humanarum scientiam, & veram ac certam, & bonam ac Deo gratam, à nobis haberi posse? Multa futura agnoscunt Philosophi in natura: multa Christiani de rebus diuinis, ut quod iudicium sit futurum, futura sit resurrectio.

Deinde, eodem Cicerone autore, nomen hoc Diuinitio, non ad quasvis res futuras extenditur, sed ad fortuitas duntaxat contrahitur, ut sit presentio ac cognitio rerum futurarum fortuitarum. Sic enim Quintus frater Diuinationem definiens, ait paulò post initium libri prioris, De Diuinatione (inquit) quæ est earum rerum, quæ fortuna putantur, predictio atq; presentio. Item, lib. 2. Cic. ait: Talium ergo rerum, quæ in fortuna posita sunt, presentio, Diuinitio est. Si hoc etiam pacto accipiamus Diuinationem, absolute pronuntio, non omnem Diuinationem neque ut falsam, neq; ut malam, aut à Philosophis confutari, aut à Patribus improbari, aut in Scripturis damnari. Multa enim futura fortuita presentunt Philosophi, gubernatores, agricolæ, mulierculæ, & alii, eaque ex variis coniecturis, quæ quidem presentio & vera est, & damnari non potest. Vnde & Cicero lib. 2. de Diuinatione. Et Medici, & Gubernatoris, & Imperatoris presentio est rerum fortuitarum.

2.
Ad quas res extendatur.

Thom. Cetero Gentes lib. 3. c. 154. declarat, quomodo futura coniectura, presentio ab homine possint.

Multa Prophetæ ex spiritu Dei, futura, & fortuita quidem (si fortuita tamen esse possunt, quæ possint.

B

Deus decreuit, decreuit autem omnia, quæ sunt & futura sunt) sed quæ tamen, spectatis causis secundis, & esse & non esse poterant, ideoque fortuita: multa, inquam, Prophetæ futura fortuita præfenserunt & prædixerunt: quis tamen præfensionem illam ac prædictionem vt falsam vel inanem, aut malam & Diabolicam, ac nõ potius diuinam appellare audeat? Non igitur hoc sensu, omnis diuinatione improbari potest. Nam neque illa prima, neque hæc secunda, propriè diuinatione est, sed scientia, quemadmodum & Cicero docet.

3. Postremò, Diuinatione Ciceroni significat præfensionem rerum fortuitarum, quæ fit vel somniis, vel furore, seu *κῆδοςιασµῶν*, vel extis, vel Auguriis, vel astris, & aliis mediis, quæ propria sunt diuinationis, & eo sensu, quem intelligunt diuini.

Qua Diuinatione improbetur.

Si hoc modo accipiamus Diuinationem, dico, omnem huiusmodi diuinationem non solum Philosophis vt vanam & falsam improbari, sed etiam in scripturis, & à Patribus vt Diabolicam damnari: ideoq; & vanam ac falsam, & Diabolicam atq; impiam esse. Primò vanam & falsam; quoniam huiusmodi res futuræ, quas fortuitas appellabant, iis mediis agnosci aut præsentiri non possunt. Secundò, impiam & Diabolicam, quoniam etiam si aliquando verè præsentiantur, & eueniât, quæ hac arte prædicta fuere, id totum Diabolica arte fit.

Illud primum Cic. in 2. lib. de Diuinat. multis validisq; argumentis demonstrat, huiusmodi res futuras, neq; per somnia, neque per furorem, neq; per oracula Deorum, neq; per exta, neq; per fulgura, neq; per ostenta, neq; per auspicia, neq; per

per fortes, neq; per signa cœli, neq; per cōiecturā
vllam, ex re aliqua, ex tempore visa, sciri vllō mo-
do posse. Atque ad hoc vnum omnia fermè illius
argumenta referuntur, vt concludat, huiuscemo-
di Diuinationem, rem esse vanam ac falsam, adde
& inutilem.

Istud verò alterum, nempe, eam esse impiam
& Diabolicam artem, Patres ostendunt, cum do-
cent, primùm quidem, artem esse vanam & fal-
sam: deinde, etiam si eueniant aliquando, quæ ab
huiuscemodi diuinis prædicuntur, arte tamen
Diaboli totum hoc fieri. Ad hanc Diuinationem,
hoc tertio modo acceptam, spectant omnia
illa, tum Philosophorum, tum Patrum, tum S. li-
terarum testimonia, quæ secundo loco supra at-
tuli.

Atq; hîc obiter videmus, primùm, quid illud
sit, quod ceu propria differētia, hanc rerum præ-
sensionem, quæ datur diuinationi, ab aliis præ-
sensionibus discriminet, & diuinationem esse &
appellari faciat. Quid illud est? ipsa media, qui-
bus hanc diuinationem fieri & constare dicunt:
auguria, exta, somnia, &c. Simplex enim præsen-
sio ac scientia rerum, diuinationo non est: neque o-
mnis præsensio rerum fortuitarum, diuinationo est:
sed præsensio ac prædictio rerum fortuitarum,
quam iisce mediis fieri dicunt.

Deinde, videmus, quid illud sit, quod hanc di-
uinationem, & vt vanam atq; fallacem, & vt im-
piam ac Diabolicam damnari faciat. Quid illud
est? Non ipsa cognitio aut præsensio (si tamē vll
est diuinationi præsensio aut scientia) neque ipsæ
res fortuitæ, quarū dicitur esse præsensio) possum

enim veris & legitimis mediis complures ipsarum præsentiri) sed ipsa media, tum ea falsa, quibus diuinationem hanc fieri dicunt, qualia sunt somnia, auspicia, &c. tum ea illegitima, quibus aliquando fit ipsa diuinatio, cuiusmodi est ars Satanæ. Hæc ars Satanæ, quâ verè aliquando fit diuinatio, facit, vt Diuinatio ceu impia & Diabolica, tum à Deo in scripturis, tum à Patribus, denique ab vniuersa Ecclesia damnetur. Ratio, quoniam hominem à Deo auellit, & Satanæ consecrat. Illa verò prima media, quibus diuinationem fieri dicunt, faciunt, vt hæc diuinatio ceu inanis, vana fallaxque non solum à Patribus, & piis hominibus, sed etiam à Philosophis irrideatur, reiciatur, damnetur. Ratio, quoniam huiuscemodi media, nullo pacto idonea sunt, ad gignendam rerum fortuitarum tam præteritarum ac præsentium, quàm futurarum præsentionem. Quare vana est & fallax.

Nunc igitur, vt id quod dixi, confirmetur, artem hanc & vanam ac mēdacem: & Diabolicam esse, adferam aliquot rationes. Ac primò, quòd vana; deinde, quòd Satanica.

*Diuinationē
esse vanam
& mēdacem.
Argum. I.*

Vanam & fallacem esse, hoc argumento sumto à mediis diuinationis confirmatur: Mediis his comparari non potest scientia futurorum: Ergo vana est & fallax. Antecedens sic probamus in genere. Omnis nostra de quauis re cognitio, vel est sensitua, vel intellectiua, ἢ αἰσθητικὴ, ἢ διανοητικὴ. Ergo si media illa ad gignendam sciētiam rerum fortuitarum idonea sunt, vel intellectiua, vel sensitua sit, necesse est. Non est autem sensitua. Hæc enim paratur per sensus, qui omnino nisi præsentia

præsentia percipere possunt. Ergo reliquum est, ut dicant, esse intellectiuam. Si hoc dicant, tunc argumentor:

Omnis nostra intellectiua cognitio & scientia, vel primò est naturalis, id est, à natura insita, quæ intellectus appellari solet, qualis est cognitio primorum principiorum, ut, quod omne totum, est maius suis partibus singulis, &c. vel, secundò est reuelata, qualis est scientia rerum diuinarum, per verbum Dei reuelatarum: vel, tertio, est acquisita, per aliquot idonea media: vel, quarto, est partim acquisita, partim reuelata.

Si ergo dicant, esse intellectiuam, vel naturalis, vel reuelata, vel acquisita sit necesse est. Quam ergò esse dicent? Naturalem ne? At hoc non dicent. Neque enim omnes hanc rerum fortuitarum præensionem, quam diuinationem vocant, habent. Cognitio autem naturalis, omnibus est communis. Deinde, naturalis cognitio iis mediis opus non habet, sed lumine fit naturali.

Reuelatamne? At si hoc dicant, id quod certè partim dicunt, cum dicunt, diuinationem etiam fieri per oracula, & voces Deorum auditas, & furorem seu Enthusiasmum: tunc interrogo, cum non sit naturalis, sed reuelata, à quo reuelatam dicant? à Deo, an à Satana? ab hominibus enim immediatè non potest.

Si à Deo dicant: tunc respondeo primò, Ergo cur ipse damnat eam scientiam, quam ipse reuelat? Damnatur autem hanc diuinationem, prohibens, ne consulamus Augures, ariolos, &c. Secundò, nihil à Deo reuelatum habemus, nisi verbum, quod continetur in scripturis. Tertio, con-

cedimus quidem à Deo reuelari aliquando suis Prophetis & aliis, aliquas res futuras, sicut fecit Prophetis, qui eas postea aliis prædicerent & vaticinarentur: sed tunc aliud est genus diuinationis, ab hac de qua in præsentia loquimur, lōgè diuersum: quod patet tum à rebus, quæ reuelantur. Neque enim reuelat Deus, nisi & quæ faciunt ad salutem, & ad ipsius gloriam. In hac autem prædicuntur plerumque, quæ tantum ad curiositatem, vel ad perditionem faciunt: tum à mediis, quibus reuelat. Neq; enim Deus vti solet iis mediis, quibus nostri diuini, extis, auguriis, &c. Habet sua somnia, sed discrimē est, vt postea dicemus. Quarto, etsi aliquando reuelet, non est tamen in regulam hoc trahendum, vt inde ars constituatur diuinationis. Non ergo à Deo.

Si à Satana dicant reuelari, id quod facilè dabo: tunc fides adhibenda illi non est, falsa est & Diabolica, ideoque ab Ecclesia ableganda. Iubet enim Deus, ne Satanæ verbis fidem præbeamus. Non est reuelata à Deo: sed tantum aliquando à Satana. Atqui nostri Mathematici & diuini hoc non concedent. Superest ergo, vt dicant, esse tantum acquisitam: vel partim acquisitam, partim reuelatam, vt reuera dicunt. Sed cum ostenderimus, nullo modo esse reuelatam, nisi à Satana; Satanæ verò credendum non esse, superest, vt dicāt, esse tantum acquisitam.

Si ergo acquisitam dicant, idq; per hæc media, tunc dico: Omnis nostra de futuris rebus cognitio acquisita, per aliquod horum mediorum acquisita sit oportet: primò, aut per proprias causas, v. gr. vt cum Philosophus videt collectas esse nubes

nubes

nubes plenas aquâ in sublimi, aëturum verè præsentit, & certò agnoscit futuram pluuiam, vel niuem. Collectio enim talium nubium in sublimi causa est pluuiæ. Videt mulierem vterum gestantem, statim certissimè colligit, ergo, nisi ante partum moriatur, habebit lac in mamillis. Atq; hæc est vera futurarum rerum acquisita cognitio, quæ scilicet acquiritur per proprias causas.

At numquid hæc media, auguria, exta, somnia, ostenta, &c. causæ sunt rerum futurarum fortuitarum, ita, vt per hæc tanquã per proprias causas, res futuræ agnosci queant? Quis hoc dicat? cùm illarum neq; causæ efficientes, neque materialis, neq; formalis, neq; finalis esse possint?

Secundò, aut contra scientia rerum fortuitarũ acquiritur per propria effecta, vt cùm videntes effecta, præsentimus causas ad futuras. v.gr. vt, cùm videmus manè auroram, statim colligimus, ergo breui aderit sol super terram nostram. Aurora enim effectus est præsentia solis. Item, cùm videt Medicus ægrotum, iam pedes frigere, nasum, & calore naturali sensim destitui: statim præsentit certissimè hunc moriturum. Destitutio enim caloris naturalis, & frigiditas illa in extremitatibus, effectus sunt mortis. Numquid igitur hæc media, auguria, &c. dicent esse effecta rerum fortuitarum, ita vt per hæc, tanquam per effecta, res futuras vt causas agnoscere possimus? Quotus quisque est, qui hoc dicere audeat?

Ad hoc verò caput refertur sciëntia, quam nau-tæ ex visis delphinis in Maris superficie natantibus concipiunt, imminētis iam tempestatis. Illud enim est huius effectus. Ideo. n. delphini ad superficiem Maris veniunt, quia in fundo iã incepta est

tempestas, & ab hac illi sursum pelluntur. Hæc scientia, quam de futura pluuia mulierculæ, ex frequenti & insolito gallorum cantu: Item illa, qua Medici ex qualitatibus somniorum, qualitates morborum agnoscunt. v. gr. Ex eo, quod ægrotus subinde somniat se in aliquo flumine altissimo mergi, certissimâ scientiâ coniicit peritus Medicus, ægrotum in nimio phlegmate peccare, sicut docet Arist. de insomniis, & Themist. egregiè explicat.

Tertiò, aut scientia rerum futurarum acquiritur, non per causas, neq; per propria effecta, sed per annexa vel ipsis causis, vel ipsis effectis, seu vel per alienas causas, vel per aliena effecta, ceu per quædam signa, quæ tamen cum illis vel causis, vel effectis, quorum cognitionē assequimur, quandam habent connexionē, ita vt vnum, aliud ferè consequi soleat. v. gr. Vides alicubi nunc primum prædicari Euangeliū, statim colligis, ergo ibi aliqua populi seditio excitabitur. Hæc populi seditio, neque causa est, neque effectus prædicationis Euangelii: sed quidam alienus effectus, effectus nempe impietatis in impiis, qui tamē prædicationi Euangelii annexus est, ita vt ferè prædicationem Euangelii effectus hic impietatis consequatur.

Numquid in horum annexorum numero collocabunt hæc media Augures, ita vt per hæc tanquam per quædam signa rebus futuris annexa, rerum illarum futurarum cognitio haberi possit? Fortasse dicent; sed quam obsecro connexionem habere possunt hæc vel somnia, vel exta, vel fulgura, vel ostenta, vel sydera, cum fortuitis futurisque,

hisque, v. g. hominum actionibus, quoniam non sunt illarum actionum neque propriae causae, neque propria effecta, neque aliena vel effecta, vel causae, quae illas actiones consequi soleant aut debeant? si aliqua debeant esse & dici aliis annexa, vel cum aliis habere connexionem, necesse est, ut inter illa sit aliqua vel proportio ac similitudo, vel contrarietas. v. g. Quod ciuitatum seditio annexa sit Euangelii praedicationi, ratio est, quia inter illam, & hanc, ratio contrarietatis intercedit. Impietas enim populi, & pietas Euangelii, contrariae sunt. Contrariorum autem ratio haec est, quod ad vnius praesentiam, alterum conturbatur propter *αιτιωσεισιν*. Ad praesentiam sicci & calidi ignis, perturbatur humida & frigida, quae in ligno super focum proiecto inest aqua. Hinc fit, ut praedicatum Euangelium consequatur seditio; & ideo ex praedicatione Euangelii, non tanquam ex causa, vel effectu, sed tanquam ex annexo signo, futuram populi seditioem coniicimus.

At quae obsecro inter haec media, quibus fieri dicunt diuinationem, & inter res aut actiones futuras fortuitas, vel similitudo vel contrarietas reperiri potest? ita ut per haec, ceu per annexa & vera signa, futuras fortuitas res certo colligere possimus? Nulla profecto: id quod unicuique perspicuum erit, si singulas diuinationis species diligenter examinet.

Scio, quid dicant: duo sunt modi diuinandi, alter non fit arte, sed afflatu diuino, quod fit aliquando in somnis, aliquando in vigilia, soluto ac libero à curis animo: in summa, reuelatione fieri volunt: sed hanc iam refutauimus, non posse esse

reuelationem Dei, sed Satanæ. Alter est artificiosus: is fit duabus rationibus, aut ex cōiecturis, aut ex obseruatione diuturna. Sic Cic. in 2. de Diuinatione. *Duo (inquit) genera diuinandi esse dicebas, vnum artificiosum, alterum naturale. Artificiosum constare partim ex coniectura, partim obseruatione diuturna, &c.* Coniecturæ istæ vnde sumuntur istis, & quales sunt? sumuntur à similitudinibus quibusdam, quæ sunt inter hæc media, quibus fieri dicunt Diuinationem, & inter res fortuitas, quas præsentiri dicunt. Vnde subinde dicunt, hoc aut illo signo, illud vel illud significari. Exemplum in ostentis. Ante Marficum bellum, mures corroserunt Lanuuii clypeos, quæ arma bellica sunt: Aruspices portentum esse dixerunt, & infelicissimum futurum illud bellum. Quod derisit Cicero, dicendo: *Ergo quia etiam libros de Repub. Platonis, quos habebam, roserunt mures, debebam ex hac significatione diuinare, Rempublicam nostram destruendam & ceu corrodam fore.* Sic videtis similitudinem significationemque vnde sumunt coniecturas.

Cic. in 2. de
Diuinat.

Ita ex similitudine signorum, quia dextera significat felicitatem, læua verò infelicitatem, ideo si canentem audiant auem à sinistra, malum aliquod futurum diuinant, &c. Hæ sunt coniecturæ, ex quibus acquiri scientiam diuinationum dicunt.

At quàm infirmæ, vanæ, & inanes hæ sint coniecturæ, quis non videat? Quid enim mus dum rodit libros de Repub. significare potest? Perinde etiam roisset libros Dei, si adfuissent. Ergo diuinandum est, Deum corrodam seu perendum?

dum? Secundò, vnusquisque pro suo arbitrio significationem inuenire poterit, & ad quodcunq; voluerit, cōiecturas istas pertrahere, id quod certè dicunt & faciunt.

Vnde Quintus Frater: *Est vis & natura quadã, Cic. in 2. de qua tum obseruatis longo tempore significationibus: Diuinationum aliquo instinctu afflatuq; diuino, futura prænuntiat.* Duo enim genera poluerat diuinationis, expertis artis, & artificiosum. Ergo significationibus nititur.

Ex quadã enim similitudine, ad quiduis significandũ accommodare illas subinde solent. v. gr. Quadã mulier, cupiens esse grauida & filios parere, sibi ipsi visa est in somnis habere naturam signatorio annulo obsignatam, venit ad Aruspitem, vt interpretetur: hic dicit, non esse grauidam; obsignationem enim illam significare, nil esse ingressum. Venit deinde ad alium, is inquit, grauidam esse: non enim obsignari capfas & scrinia, nisi quæ rebus pretiosis plena sunt. Ex similitudine ergo quadam, quam habet obsignatio & cum vtero pleno, & cum eodem virgineo, in quem nihil sit ingressum, vterq; pro suo arbitrio, ad quod voluit, accommodauit.

At quis non videat, quàm debilis sit hæc coniectatio? Vana igitur est hæc Diuinandi scientia, cùm inanissimis tantum coniecturis nitatur, nihilque habeat firmitudinis: Et, vt ait Cicero: *Coniectura omnis, in qua nititur Diuination, ingenii hominum in multas ac diuersas, aut etiam contrarias partes deducitur.*

Contrahamus in angustum hoc argumentum, & concludatur ratio. Si haberi potest scientia re-

rum futurarum, quæ sunt in fortuna, (vt loquuntur) per hæc Diuinationis media: scientia illa vel erit sensitua, vel intellectiua.

At sensitua esse non potest, quæ non est nisi presentium. Ergo, &c. Si intellectiua: ergo vel naturalis, vel reuelata, vel acquisita. Naturalis nullo modo esse potest: quoniam non omnibus est communis, neque lumine naturali habetur. Si reuelata, vel à Deo, vel à Satana. A Deo non est; Non est enim in numero eorum quæ reuelata sunt à Deo, vt sunt scripturæ, neque quæ suis seruis etiamnum reuelare soleat, id quod patet, cum hæc Diuinationem vt malam prohibeat. Si à Satana: non ergo fides illi adhibenda, & fallax est ac mendax. Est enim ille mendax ab initio, & pater mendacii: Et si aliquando vera, pernitiōsa tamen est, cum à Satana nil nisi pernitiōsum possit proficisci. Quare & mendax & pernitiōsa erit. Si acquisita: primò, nō est acquisita per causas proprias, nec propinquas, nec remotas. Neque per effecta propria, quæ ambæ sunt veræ scientiæ. Tertio, neq; per annexa causis vel effectis. Quarto, neque per firmas & certas coniecturas, sed infirmas, & quæ in contraria sensa trahi possunt, vt vidimus. Ergo nullo pacto est vera scientia, sed inanis tantum quædam est coniectatio.

Job. 8.

Decupatio.

At (inquit) est alia etiam ratio, quâ acquiritur vera scientia, nempe per vsum rerum & diuturnam longamque experientiam, quæ propriè *prudētia* appellatur, qualis est in senibus, qualis in Imperatoribus, diu in bello & rerum vsum exercitatis: v. gr. diu tum in historiis, tum in sua vita obseruarunt, vrbes illas, vbi luxus & libido regnat,

gnat, non ita diu durasse, sed breui corruisse. Si ergo videant urbem aliquam luxui & libidini deditam esse, hinc diuturnâ experientiâ certò colligent, & præsentient, urbem illam breui perditum iri. Hac ratione quoque acquisita est diuinationis certa scientia. Diu enim obseruatũ est, eos v. gr. qui sub tali cœli signo ac planeta nati sunt, talibus etiam affectionibus affectos fuisse, talem in rebus suis exitum habuisse, &c. Hinc acquisita scientia.

R. Damus, talem acquirendæ scientiæ ex usu rerum, & diuturna experientia, rationem. Negamus verò quod dicitur de Diuinatione: imò contrarium videmus, sæpius aliter euenire, quàm isti diuini, ex suis obseruationibus, prædicere solent, & aliter quàm dicunt isti, est obseruatum: nempe multos, qui sub eodem climate planeta, in eodẽ vtero concepti sunt & nati, diuersissimis tamen præditos fuisse ingeniis, diuersissimos exitus habuisse. Quare nos hinc potius aliud argumẽtum, ad probandum, hanc artẽ inanem & mendacem esse, deducamus.

Sæpius aliter eueniunt res, quàm ab istis diuinis prædicuntur. Patet experientiâ. Exempla, multa adfert Cic. de Diuinat. 2. Igitur inanis est & fallax. Ideo Cato mirari se dicebat, *cur non videret Aruspex* (nempe ob nostram insaniam, qui illorum mendaciis credimus.) *Quota enim quæque res euenit prædicta ab illis?*

Aliud argumentum, autem hanc inanem & mendacem esse, ab experientia ducitur.

At aliquando etiam eueniunt.

R. Primò, cum sæpius aliter eueniant, quàm prædictum est, & rariùs eueniant, vt est prædictũ, cur ab hoc secundo Diuinationis veritatem, &

non à primo potius eiusdem falsitatē arguimus? Et, (vt dicit Cato) *cur non casu & fortuito euenire dicimus quod raro prædictum euenit?* Mirum nō est, quod aliquando mendax veritatem dicat casu & forte.

Secundò, ideo eueniunt (si tamen eueniunt) vt ait Chrysoſtomus, *quia tu credis. Diabolus enim te captiuum tenet, & Dominus est vita tua.*

Tertiò, (vt ait Auguſtinus) *arte Satanae, qua futura sunt, aliquando prædicuntur, ad illudendos & decipiendos eos, qui se illi consecrant, iustissimo Deo iudice id permittente. Multa enim de corporalibus rebus sciunt Demones, tum quia acutissimis sunt ingeniis præditi: tum quia callidi, tum propter longitudinem vitæ; tum quia iussu Dei à bonis Angelis multum discunt.*

Quartò, sæpiùs etiã quæ ipsi facturi sunt, quasi diuinando prædicunt, semper in hunc finem, vt perdant, non vt profint.

Est etiam inutilis, imò pernitiōsa.

Quæ enim prædicunt, vel aliter euenire possunt, vel non aliter. Si aliter possunt euenire. Ergo non est certa sciētia. Inanis igitur. Si non possunt aliter euenire. Ergo inutilis. Si enim mala sunt quæ prædicuntur, non solùm non potes ea vitare, sed etiam, antequam veniant, illorum consideratione affligeris. Si bona, vsque adeo desiderio accenderis, vt nunquam quieta mēte te consistere sinant, vt ait Cicero. Ideo concludit Cic. *Certè igitur ignoratio futurorum malorum utilior est, quàm scientia.*

Animæ verò pernitiōsa est, primò, quoniam cōtra præceptum Dei fit. Secundò, quia nihil est, quod magis hominem à Deo segreget, & Demo-
in totum

Cic. 2. de Di-
uinat.

Quod etiam
inutilis sit.

An probanda vel improbanda sit. 31

ni totum penitus consecret, atque hæc ars diuini-
nandi. Omnem enim fiduciam ac fidem, quâ pē-
demus à Dei prouidentia & gubernatione peni-
tus tollit, facitque vt non amplius à Deo, sed à Sa-
rana pendeamus.

Hactenus in vniuersum de tota Diuinatione *Secunda res*
respondi, eam quæ propriè Diuinatio appellatur, *sponsio.*

totam esse primùm quidem vanam, falsam atq;
fallacem: deinde, non inutilem solùm, sed etiam
pernitiosam, impiam & Diabolicam. Nunc, vt ad
alteram responcionem veniam, ideoque comi-
nus pugnem, primùm (quoad eius fieri potest)
singulas Diuinationis species explicabo. Secun-
dò, species illas, quæ vnà cum sua antiquitate, per
Dei gratiam iam dudum euauerunt, quæque
minus, quàm aliæ habent rationis, paucis percur-
ram, & vno verbo, quàm vanæ sint, ostendam.
Tertiò, species verò illas, quæ adhuc aliquem in-
ter homines (vtinam non etiam inter Christia-
nos) locum habent, & non nihil rationis habere
videntur, diligentius examinabo, & quid in vna-
quaque probandum, quidve improbandum sit,
declarabo.

Quoad primũ, Cùm Diuinatio, de qua loqui-
mur in præsentia, quamq; inanem & fallacẽ, im-
piam & Diabolicam esse diximus, non sit simplex
neq; futurarum, neq; fortuitarũ rerum præsentio
aut prædictio: sed ea fortuitarum rerum præsen-
tio atq; prædictio, quâ extis, auguriis, & aliis hu-
iuscemodi mediis fieri dicunt: singulæ quoq; &
variæ eius species, à variis iis, quibus fieri dicitur
mediis, sumuntur. Proinde, quot sunt media, tot
sunt etiam species Diuinationis. Erãt autẽ media

I.
Diuinationis species.

Priscis illis quamplurima, & propè innumerabilia. Quamplurimæ igitur, & propè innumerabiles erant Diuinationis species.

Quod cum ita sit, aliquot præcipuas enumerare satis esto. Multæ enim nos latent.

Quot Diuinationis genera.

Artificiosum quid.

Naturale, seu expertu quid.

Duo Diuinationis genera in primis constituit Cic. in lib. de Diuinat. Vnum, quod arte caret, quod & Naturæ, seu naturale vocauit: Alterum particeps artis, seu artificiosum. Artificiosum quid est? Illud, quo artificiosè, seu per artem, futura fortuita diuinamus, per artem inquam, quæ (vt ait Cicero) partim ex coniectura, partim ex obseruatione diuturna constet. Naturale quòd? Illud, quo citra artem, afflatu (vt ipsi dicunt) diuino, futura homines præsentiant. Idcirco M. T. Cic. in 2. de Diuinat. vtrumque genus ita explicatum refert à Quinto fratre, dicendo: *Duo genera diuinandi esse dicebas, vnum artificiosum, alterum naturale. Artificiosum constare partim ex coniectura, partim ex obseruatione diuturna. Naturale, quod animus arriperet, aut exciperet extrinsecus ex diuinitate, unde omnes animos haustos, aut acceptos, aut libatos haberemus.* Hæc sunt duo prima Diuinationis genera, sub quorum singulo, suæ continentur species.

Quæ sint præcipue species Diuinationis naturalis.

1. per somnia.

Ergo, ad illud primum, quod est Naturæ, seu quod caret arte, referuntur hæ species duæ. Primò, Diuinationo per somnia, cum scilicet Dei impulsu homines futura somniant. Id autem tribus modis fieri, docet Cicero in 1. de Diuinat. primo, *cum præuidet animus ipse per sese, quippe qui Deorum (vt ille loquitur) cognatione teneatur.* Altero, cum dormientibus apparent in animis immortalibus, quorum

quorum plenus (vt ait) est aër, impressæ quædam rerum futurarum notæ: *Aër enim plenus est* (vt ait) *immortalium animorum, in quibus tanquam insignita notæ veritatis appareant.* Tertiò, cum ipsi Dii cum dormientibus colloquuntur: id quod (vt ait) facilius o-
uenit, appropinquante morte, vt animi futura augu-
rentur. Hæc est prima species, de qua quidem specie postea suo loco, quid sentiendum sit, di-
cam. Habet enim aliquid cognatum cū somniis S. literarum.

Secundò, Vaticinia seu Diuination per furorē, siue *εὐθεσιασμοῦ*, quæ fit, cum quis instinctu diuino afflatus, futura præuidet ac vaticinatur, seu, cum (vt ait Cic. in 1.) à corpore abstractus animus, diuino instinctu concitatur, sicut Pythia illa, spiritu Deorum afflata, vaticinari dicebatur, de qua Cic. in 1. de hac etiam seorsum.

2. Diuination per furorem.

De iis duabus speciebus Cic. lib. primo, à principio, per multas paginas. Et has duas species exprimit, cum ait in 2. *Illud autem naturale* (scilicet diuinationis genus) *aut concitatione mentis edis* (hic est furor) *& quasi fundi videbatur: aut animo per somnum sensibus & curis vacuo prouideri.* Hæc est Diuination per somnium. De iis duabus speciebus, quoniam aliquid habent similitudinis cum diuinationibus Prophetarum, seorsum aliquid dicendum erit. Nam neque hoc genus Diuinationis (vt videtur fateri Cic.) improbatur Peripateticis, sicut alterum prorsus improbatur, scilicet artificiosum, de quo nunc.

Ad secundum illud genus, quod artificiosum appellatur, & in quo (vt ait Cic. in 1. aruspices, augures, coniectoresque numerantur: & quod etiã

Quæ præcipue sint species Diuinationis artificiosa.

G

constat partim in disciplina & libris auguralibus; partim in coniectura, quæ fit ex tempore, re aliqua visa, vel voce edita: ad illud, inquam, secundum genus, hæc omnes & aliæ quam plurimæ, quæ nos latent, referuntur, quas ferè omnes, quomodo fierent, ignoramus nunc, neq; curandum est, cum nugæ essent.

1^a. Diuinationo *per exta*, id est, per extorū inspectiones, quæ & extispicium appellatur, & aruspicina. Contra hanc disputat Cic. in 2. Vbi etiam videre licet aliqua ex parte, quomodo fieret.

2^a. Diuinationo *per fulgura & fulmina cœlestia*. Si enim fulmen è cœlo iactum, sinistrum illis erat, optimum auspiciū adferebat. Si dextrum, malum. Itē, multis aliis rationibus, ex fulgure, & fulmine diuinabāt futura. Contra hanc etiā Cic. in 2.

3^a. Diuinationo *per ostenta seu portenta*, qualia erāt, si mula peperisset, de cuius significatione Cic. in eod. 2. lib. si monstrum aliquod natum esset, &c. ut fremitus terræ, &c. De iis Cic. in 1. In quibus ostentis continentur & voces, cœlitūs & ex occulto missæ & auditæ, de quib⁹ in 1. Quintus frater, & omnia, quæ propriè hominum erant voces & dicta, de quibus Cic. in 2. Contra hanc Cic. in eod. 2. Item spectra, id est, formæ, quæ reapse nullæ sunt, speciē tamē offerunt, de quibus etiā Cic.

4^a. Diuinationo *per Auguria*, siue per auium garrum.

5^a. Diuinationo *per auspicia*, per inspectionem auium. Hæc quomodo fieret, ex Cic. in 2. aliqua ex parte colligi potest: quanquam auguria & auspicia Cic. in vna specie collocat.

6^a. Diuinationo *per sortes*, quæ *κληρομαντεία* dicitur: de hac

de hac, & contra hanc Cic. in 2. Hæc fiebat digi-
tis micando, talos aut tesseras iaciendo, vt docet
Cic. Hæc etiamnum in vsu Christianis est: ideo
de hac seorsum. Totam hanc rem esse inuentam
fallaciis, aut ad quæstum, aut ad superstitionem,
aut ad errorem, Cic. tradit.

7^a. Diuinationo, per signa cæli, per astra, quæ Astro-
nomia propriè dicitur, quanquam & Astrologia
vocetur, licet discrimin sit. Qua in re excellue-
runt Chaldæi, Babylonii, & qui in monte Cauca-
so habitauerunt. Contra hanc Cic. in 2. De hac seor-
sum. Has species recenset Cicero. Sed alias quoq;
ego apud alios autores reperi.

8^a. Geomantia, id est, quæ per terram fiebat, seu
è terra petebatur. Quomodo hæc fieret, ignora-
tur. Hoc apud Ciceronem in 1. de Diuinat. lego,
sensisse illos antiquos, quòd Dii vim suam longè la-
teque diffundant, quam cum cauernis terræ includunt,
tum naturis hominum implicant: & ait, quòd terra vis
Pythiam, Delphis incitabat ad diuinandum: Natura
Sibyllæ. Sed hæ duæ, ad genus naturale pertinent
species.

9^a. Hydromantia, quæ scilicet per aquam fiebat.
Modò enim in ampulla vitrea aquam ponebant,
quæ à puero inspiceretur, quam & gastroman-
tiam à ventricofitate & tumore ampullæ voca-
bant: modò in peluim, aquam infundebãt, quam
& λεκτινομεντίαν, à pelui, id est, λέκτις της λεκτινης, appel-
labant. In huiuscemodi aqua, imagines Dæmo-
num apparebant, vel illusiones potiùs, à quibus
audiebant, quid futurum esset, aut quid factò o-
pus esset. Quo genere Diuinationis vsus est Nu-
ma Pompilius & Pythagoras, &c. de qua specie

August. in lib. 7. de Ciuitate Dei, cap. 35. Michael Pfellus de Dæmonibus, docet quomodo hæc fieret, &c. Et Pausanias scribit, Templum Cereris esse apud Ægienses Achaia, & prope templum, fontem, in quem ægri, post peracta sacra inspiciētes, morbi valetudinisq; exitum videbant. Plut. in Cæs. refert, in Germania fuisse mulieres, quæ ex fluminum cursu, vorticibus & strepitu, futura diuinarent.

10^a. Pyromantia, quæ per ignem fiebat, quæ & Ignispicina. Autor huius (vt Plinius ait) fuit Amphiaræus.

11^a. Καπνομαντεία, quæ petebatur à fumo.

12^a. Κοσκινομαντεία, à κοσκίνα, id est, cribro, quæ scilicet à cribro petebatur. Hæc etiam exercita à multis nostro tempore.

13^a. Ἀξίνομαντεία, quæ scilicet à securibus sumebatur.

14. Βοτανομαντεία, id est, quæ fiebat per herbas, à βοτάνη.

15^a. Νεκρομαντεία, id est, quæ à mortuis petebatur, quæ & νεκρομαντεία.

16^a. Ἰχθυομαντεία, quæ per pisces fiebat, quæ Apuleo quoq; obiecta fuit.

17^a. Saliatio, seu palmicum Augurium, quòd ex palpitatione oculorum fiebat.

18^a. Erat & Diuinationo per sternutamenta, & libellum legi de sternutamentis, quid vnum, quid duo, quid plures significarent, ac portenderent.

19^a. Χειρομαντεία, quæ ex aspectis lineamentis manuum fit. Quoniam hæc est in vsu, & aliquid verisimilitudinis habet, scorsum aliquid de ea dicam.

20^a. *Ὀυρογνωμία*, quæ fit ex inspecta facie, & filo totius corporis. De hac etiam seorsum, quantum veri & falsi habeat, aliquid dicam. De hac enim multi Philosophi.

Complures aliæ species erant apud Antiquos, præsertim artes euocandorum Dæmonum, qui futura reuelarunt. Has omnes recensui, ut videamus, quomodo Satan omnibus ferè creaturis vatur ad homines decipiendos.

Modò ad secundum. Ex iis omnibus Diuinationis speciebus, quæ artis participes sunt, quædam sunt, quæ iam dudum, Dei gratia, cum sua antiquitate, quædam prorsus, quædam magna ex parte euanuere, quippe quæ minus quoque rationis, quàm aliæ, habere visæ sunt, & videntur.

1. Extispicium, quæ *Aruspicina* dicitur Cicero-
ni. 2. Auguria. 3. Auspicia. 4. Geomantia. 5. Hydromantia. 6. Pyromantia. 7. Capnomantia. 8. Coscinomantia, à cribro (quanquam hæc adhuc inter aliquos locum habet, cum res tamen sit vanissima, & sine vlla prorsus ratione.) 9. *Ἀξιομαντεία* à securibus petita. 10. *Βοτανομαντεία* ab herbis. 11. *Ἰχθυομαντεία*. 12. *Νεκρομαντεία*, quæ & *νεκρομαντεία*. 13. Saliatio, & palmicum Augurium, ex oculorum palpitatione petitum. 14. Per sternutamenta, quanquam & hæc species apud nonnullos sit in vsu. Sed cum nihil habeat rationis, & vanissima ab omnibus iudicetur, cum aliis supradietis repono. Ex sternutamentis potest quidem Physicus aliquid certò deprehendere naturaliter, sed iam præsens, non futurum, & necessarium, non contingens. v. gr. cum quis sæpiùs iterat sternutamēta, indicat caput repletū esse humoribus multis.

Quæ Diuinationis artificiosa species iam dudum euauerint.

Ex sternutamentis quid colligi possit.

sed hoc non pertinet ad diuinationē. Quatenus autem hinc diuināt, quid huic futurum sit, res est vanissima, & nullo nititur fundamento, nisi arte Satanæ.

De iis omnibus in vniuersum, & aliis huius generis, si quæ inuentæ sunt, & inueniantur, sic pronuntiamus, res esse vanas & Diabolicas. Vanas, quatenus iis artibus nihil fortuitum certò sciri, aut diuinari potest: sed quicquid de iis artibus dicunt, meræ sunt nugæ. Ratio vnica hæc sufficiat, quæ est, quoniam huiuscemodi media, vt animalium exta, vnde extispicium: auium garritus, vnde augurium: auium inspectio, vnde auspiciu, & cætera, quæ antè commemorauimus, & quibus fieri diuinationem dicunt, huiuscemodi inquam media, nullam habent cum rebus fortuitis, quarum præsentionem ac scientiam iis mediis haberi posse nugantur, connexionem: quãdoquidem neque sunt illarum causa, neque effecta, neque annexa, neq; probabiles coniecturæ, nisi in significatione, quæ ad contrarias res significandas accommodari possunt, vt supra ostendimus: neque deniq; diuturnæ obseruationes, cùm contrà potius obseruatum sit aliter sæpius euenisse, quàm iis artibus prædictum fuerit. Necessè est autem, vt si qua rerum futurarum cognitio acquiri debeat, istorum modorum aliquo, quos recensui, acquiratur, quando neq; à natura, neque à diuina reuelatione habetur. Idcirco etiam ipse Quintus frater, qui diuinationem tuetur, fatetur, nullam adferri posse rationem, cur ita fiat: sed tantùm testimoniis & euentis, & quibusdam ratiocinationibus, diuinationem esse probat. Verba eius hæc sunt

sunt

sunt: Nec verò quicquam aliud adfertur, cur ea quæ dico, diuinandi genera, nulla sint, nisi quod difficile dicitur videtur, quæ cuiusque diuinationis ratio, quæ causata sit. Quid enim habet aruspex, cur palmo incisus, etiam in bonis extis, dirimat tempus & proferat diem? Quid augur, &c. Deinde, cur fiat quidque queris, rectè omnino. Sed non nunc id agitur, fiat, nec ne fiat id queritur. Sunt igitur vanæ omnes in vniuersum: Diabolicæ verò, quatenus si aliquando aliquid iis artibus præsentatur, Diaboli interuentu ac reuelatione præsentitur.

Quam verò ego rationem ad expugnandas omnes has species diuinationis attuli, Cicero quoque adfert ad expugnandam Aruspicinam. Nam quoad observationem, quod dicunt observatione comparatam hanc scientiam, docet ea, quæ significari dicuntur extis, cognita ab aruspibus non fuisse observatione diurna: *Ecquam enim diurna (inquit) ista (observatio) fuit? Quo ad coniecturas, in significando: alios alio more (inquit) videmus exta interpretari, nec esse unam omnium disciplinam.* Quoad causas, effecta, annexa, generalem rationem, quam & ego, adfert, dicendo: *Est certè, si est in extis aliqua vis, quæ declaret futura, necesse est, eam aut cum rerum natura esse coniunctam (vt sunt causæ, effecta, annexa) aut conformari quodam modo numini Deorum.* Ostendit autem primùm, nihil habere cum diuina natura commune. Deinde, neque cum natura rerum. *Atqui diuina (inquit) cum rerum natura tanta tamque præstara in omnes partes motusque diffusa, quid habere potest commune? Non dicam gallinaceum fel*

(sunt enim qui vel argutissima hæc exta esse dicant) sed tauri opimi iecur, aut cor, aut pulmo, quid habet naturale, quod declarare possit quid futurum sit? Deinde, Cuius rerum autem natura, quam cognationem habent? Est quidem cognatio aliqua inter res naturales, licet vel maximè inter se distantes, ut ibi fusè tradit Cicero, sicut conchyliis & ostreis cum Luna: ceterum, inter hæc exta & res, quas iis significari dicunt, nulla prorsus est naturæ cognatio, aut *συμπάθεια*. Quæ enim ex cognatione natura, & quasi concentu atque consensu, quam *συμπάθεια* Græci appellant, conuenire potest, aut fissum iecoris cum lucello meo: aut meus quæstiunculus (vel, ut alii habent, quæsticulus) cum cælo, terra, rerumque natura? Denique ait, Urbem Philosophia, mihi crede, proditis, dum castella defenditis. Nam dum Aruspicinam veram esse vultis, physiologiam totam peruertitis. Lepidum est illud, quod Hannibal Regi Prusiæ respondisse legitur: Rex Prusias inuitatus ab Hannibale apud eum exulante, ad pugnandum, negauit se audere, quod exta prohiberent. Tum Hannibal, Antu (inquit) caruncule vitulina maui, quam Imperatori veteri credere? q. d. imò verò ego cupio pugnare.

Quam etiam connexionem, aut concentum & *συμπάθεια* habet auium garritus, vnde augurium: aut auium inspectio, vnde auspiciu, cum rebus, quas iis mediis præsentiri posse dicunt? Quid rationis adferre potest augur, cur à dextra Coruus, à sinistra Cornix (ait Quintus frater) faciat ratum? Quid pullis, quando ipsis offam pultis comedentibus, aliquid ex ore in terram cadit, qua ex re veteres Auspicia sumebant, quid, inquam, iis pullis, cum prospero, aut aduerso futurarum rerum successu? Quid enim

enim

enim mirum si pulli diu in cauea inclusi (is enim erat mos Romanorum in auspiciis) & fame enecti, in offam pultis oblatam inuadant, & si illis comedentibus, aliquid ex ore cadat, & illi terram pauiant, unde terripadium primò, post terripudium & tripudium Auguribus est dictum: hoc tu (ait Cic. Quinto fratri) auspicium putas?

Cæterum, quoniam nimis multum excresceret oratio, si de iis singulis iam obsoletis diuinationis speciebus, quas commemoravi, dicere vellem, finem de iis dicendi faciam, si hoc prius nos in vniuersum circa has artes admonuero.

Tria præcipua esse capita, è quibus perspicuū fieri poterit, quàm vanæ & Diabolicæ sint. Primum est ipsarum natura. Secundum, ipsarum inuentio. Tertium, ipsarum inconstantia. Sic Cicero aduersus Quintum fratrem: *Illud erat* (inquit) *Philosophi, totius augurii primùm naturam ipsam videre: deinde inuentionem: deinde constantiam. Quo ad naturam Augurii, ait: Quæ est igitur natura, quæ volucres hac & illac passim vagantes efficiat, ut significent aliquid, & tum vetent agere, tum inbeant, aut cantu, aut volatu? Cur autem aliis à dextra, aliis à leua datum est auibus, ut ratum auspicium facere possint? Hoc est argumentum, quod suprâ explicauimus in genere, cum ostendimus, nullam habere connexionem hæc media Diuinationis, cum rebus futuris.*

Quàm vanæ & Diabolicæ sint hæc artificiosæ Diuinationis species, unde probari possit.
1. à natura.

Quoad inuentionem, reperietis artes has inuentas vel à prauis hominibus, vel à Diabolis. Inuentum Aruspicinæ aperit Cicero, & etiam ridet ut fabulam in 2. de Diuinat. *Sed quid plura* (inquit) *orum Aruspicinæ videamus, sic facilimè quid habeat*

2. ab inuentione.

autoritatis indicabimus. In summa, fingunt He-
 trusci, cum terra araretur, & sulcus altius esset im-
 pressus, quendam puerum, cui nomen Tages, re-
 pente è terra extitisse, atque cum bubulcum, qui
 arabat, allocutum fuisse: & eum tota ferè Hetru-
 ria eò conuenisset, disciplinam hanc Aruspici-
 nae tradidisse, quæ etiã excepta literis mandata fuit.
 Tum Cicero, *Estne* (inquit) *quisquam ita desipiens,*
qui credat exaratum esse, Deum dicam, an hominem?
si Deum, cur se contra naturam, in terra abdiderit, ut
patefactus aratro, lucem aspiceret? Quid? idem nonne
poterat Deus hominibus disciplinam superiore ex loco
tradere? si autem homo fuit ille Tages, quonam modo
potuit terra oppressus viuere? unde porro illa potuit, quæ
docebat alios, ipse didicisse? Hinc perspiciatis, artem
hanc, vel inanem esse, vel merum mendacium, si
*falsa sunt ea, quæ de inuentore Aruspici-
 næ refe-
 runtur: vel saltem Diabolicam, si vera sunt. Neq;*
enim ille Tages alius esse potuit, quàm Dæmon,
*qui exaratus è terra extiterit, atque hanc disci-
 plinam tradiderit. Vnde Astronomia? à Chal-
 dæis idololattris. Magia? à Zoroastre, ut qui-
 dam sentiunt, teste Epiphanio in Panario.*

*s. ab incon-
 stantia.*

Quoad constantiam, ait Cic. *Quæ est autem in-
 ter Augures conueniens & coniuncta constantia? No-
 bis sinistra videntur, Græcis & Barbaris dextra melio-
 ra. Hac quanta dissensio est? Quid, quod aliis auibus
 utuntur, aliis signis, aliter observant, aliter respondent?*
*Item, solebat ex me Deiotarus percontari Augurii
 nostri disciplinam, & ego illius: Dii immortales,
 quantum differebat, ut quedam etiam essent con-
 traria?*

Addo

Addo duo alia propria capita, vt quartum sit ^{4 ab euentu.} ab euentu: sæpius enim non eueniunt, quæ ab iis prædicuntur, quàm eueniant. Ideo Cato: *quota enim quæque res euenit prædicta ab illis? aut si euenit quippiam, quid adferri potest, cur non casu id euenierit?* addamus nos, vel etiam autore Satana euenierit?

Ab autoritate, primò scripturæ: 2. Patrum. 3. ^{5. ab autoritate.} etiam Philosophorum & sapientum virorum, vt Cic. & aliorum, qui & vanas atque inanes, & Diabolicas arte inuentas & exercitatas fuisse testati sunt. Ex illa hydromantia, cum Dæmones apparebant in aqua, & ex illa vaticinia dicebant, conicere possumus, reliquas quoque omnes Diabolicas fuisse.

Quædam verò Diuinationis species sunt, tum III. illius, quæ prorsus artis expers, tum illius, quæ artis est particeps, quæ diligentius considerandæ sunt, quàm istæ aliæ, de quibus hæctenus: tū quia non nihil rationis habere videntur: tum quia etiamnum apud plerosq; etiam doctos locum habent: tum quia aliquæ illarum cum nostra Theologia, aliquæ verò cum Philosophia quandam habent affinitatem.

Quæ artificiosa diuinationis species diligentius sint consideranda.

Sunt autem ex secundo genere, scilicet artificioso, hæ:

1. Diuinationo per fulmina & fulgura.
2. Per ostenta seu portenta, sub qua continentur voces miraculosæ (vt loquuntur) auditæ: itē, omina, item spectra.
3. Diuinationo per sortes, quæ *κληρομαντεία*,
4. *Χειρομαντεία*.
5. *Φυσιογνωμία*.

6. Astronomia. Hæ species, ad genus, quod est artis particeps, attinent. De iis primùm dicamus; deinde, de speciebus diuinationis, quæ artis est expers.

De prima
specie, vide-
licet de Di-
uinatione
per fulmina
& fulgura.

Quoad fulmina, fulguraque: item Cometas, & alia ignea effecta, quæ generantur in suprema æris regione, dico hæc (id quod etiam de aliis dicam, ideoque hæc distinctio diligenter est obseruanda) dico, inquam, hæc trifariam considerari posse: primò φυσικῶς, id est, quatenus considerantur à Physicis. Secundò, μαντικῶς, id est, quatenus considerantur à Diuinis. Tertiò, θεολογικῶς, id est, quatenus considerantur à Christianis & piis.

Si Physicè considerentur, quandam habent veram cum rebus quibusdam futuris connexionem & συμπαθειαν: ideoque iisce mediis, veram earum rerum, cum quibus habent συμπαθειαν, præsentionem ac scientiam haberi posse dico. Quomodo considerantur à Physicis? Quatenus sunt quædam naturæ effecta, seu effecta naturalia. Effectus autem deducit in cognitionem suæ causæ. Eadem autem causæ, multos plerumq; habet effectus: ita vt vnus effectus ducat in cognitionem causæ: causæ verò eadem, ducit in cognitionem aliorum effectuum. Hoc pacto, vnus vnus causæ effectus, connexionem habet quandam, cum aliis eiusdem causæ effectis. Itaque fit, vt prior effectus, qui iam sensu percipitur, in cognitionem futuri effectus ducat: ideoq; quibusdam præsentibus effectibus, futurorum effectuum cognitio ac præsentio vera & physica habeatur. Quod quidem fit hoc modo.

Primò, effectus præsens sensu percipitur. Secundò,

Quandò, hic effectus sensu perceptus, in cognitionem præsentis, sed latentis causæ ducit. Tertiò, causâ verò mente percepta ac cognita, in cognitionem aliorum à se futurorum effectuum ducit. Quare primus præsensque effectus, in cognitionem posterioris futuriq; effectus quodam modo ducit.

Exemplis Cometæ, & similium effectorum, de quibus loquimur, res fiet illustrior.

Æstate apparet Cometa, qui *crinita*, ac *cincinnata stella* Latinè dicitur. Hunc igneum effectum sensu percipiens Physicus, actutum in cognitionem causæ veniens, agnoscit, multum vaporis sicci calidique, è terra in sublime, vi solis immensa & diuturna eleuatum esse (ex hoc enim vapore sicco calidoque & terrestri, in sublime, ob immensam diuturnamque solis calefactionem euecto, gignitur cometa, imò & fulgura, & fulmina, & alii ignei effectus, qui apparent in sublimi, sicut docet Aristotel. in Meteoris.) Vbi verò hanc causam perceperit Physicus, in cognitionem alius alterius effectus deducitur, nempe terram diu aliquot nempe mensibus, quibus ille immensus solis calor viget, humore seu pluuiis destitutam fore, ideoque siccam & aridam futuram (ex eo enim, quòd vapores terrei in supremam aëris regionem, quæ spheræ ignis est coniuncta, vi solis attolluntur, nec sinuntur manere in media regione aëris, vbi pluuiæ gignuntur, pluuiarum inopiâ, exiccatur terra, ac ceu aduritur.) Ex hac verò adustione terræ, præsentit semina frumenti, milii, & cæterarum frugum in terram iacta, nihil vel parum fructus allatura. (Terræ enim sicci-

ras, in causa est, ne semina in ipsam iacta, vberēs fructus edant.) Ex hac porrò frugū penuria, præsentit maximam famem in terra futuram.

Hic ceu in quadam catena cernitis, primò, quomodo hæc considerentur à Physico, quatenus scilicet effecta sunt naturæ. Secundò, quomodo cometa ille, ceu primus catenæ annulus, cum futura fame, ceu extremo catenæ annulo, quandam habeat connexionem: ideoque tertio videtis, quomodo cometa ille ad famem futuram præsentendam physicam perducatur. Quare huiuscemodi fulminibus, cometis, & id genus, ita à Physico consideratis, quatenus sunt effecta naturæ, aliquam (non omnem) & quarundam (non omnium) futurarum rerum, quæ sunt alia naturæ effecta, scientiam haberi posse, neq; falsum, neq; impium est sentire aut dicere. Habent enim hæc, certam cum rebus illis, connexionem ac sympathiam: quemadmodum & reliquæ res naturales omnes, eandem inter se *συμπάθειαν* habent (quam fortasse *συμπάθειαν*, vt tradit Cic. intelligebat Par. & Mel. quando dixerunt, Entia omnia, vnum esse Ens, nempe, non continuatione, vt illis adscribit Aristoteles, sed connexionem & consensu quodam seu *συμπάθειαν*, qua omnes inter se, sicut fides multæ in vna cythara, vel annuli multi in vna catena, coniunctæ sunt, ita vt, quod aliqui naturæ effectus, in aliorum effectuum cognitionem ac præsentionem deducant, non absurdum, sed consentaneum sit. Quocirca, quod dixi de fulminibus, idem de aliis rebus permultis dici potest, quibus prognostica à Physicis rerum futurarum fieri solent: & de quibus Aristotel. in Meteoris, &

Albertus

Albertus Magnus, & alii Physici pertractant. Exempli causa. Quemadmodum dicunt, cometâ, crebris fulguribus & fulminibus, aliisque id genus igneis vaporibus in sublimi genitis, præsentiri multa futura, ut famem & penuriam, Epidemiâ, prælia, multorum præsertim Principum & militum mortem, tempestates in Mari, & alia multa: ita iidem Physici tradunt, futuram pluuiam multis mediis præsentiri posse, ut cum manè Sol maior in ortu suo apparet, quàm soleat, & ita rutilat triste cœlum (sicut etiam Matth. 16. testatur Christus.) Item, cum muscæ & pulices solito sunt intensiores: item cum ranæ frequentius solito coaxant: itē cum oleū in lucerna vel lampade nimium stridet. Hæc enim omnia, quodā cum futura pluuiâ connexu, & quadam *συμπαισιᾷ* sunt cōiuncta, quemadmodum Arist. in Meteor. & Albertus, & alii, qui de iis scribunt, perspicuè docent.

Quare, ut concludā, iis mediis physicè consideratis, aliquam multarum futurarum rerum præsentionem, verè & Christianè haberi posse contendo.

Sed duo hæc notanda sunt: vnum est, præsentionem hanc, non esse propriè diuinationem, de qua loquimur, & de qua Cic. disputat, sed & reuera esse, & ita etiam esse appellādam, physicam scientiam, seu præsentionem, quemadmodum etiam ipse Cicero testatur.

Alterum, media hæc, seu effecta naturæ, fulgura, cometas, & id genus alia, minimè necessariam futurorum præsentionem adferre, quin aliter quoque, quàm significāt, res euenire possint: sed tantum quō res inclinent, nisi causæ mutantur,

Ex fulminibus, fulguribus & id genus aliis igneis effectis physicè consideratis,

quatenus rerum futurarum præsentio haberi possit.

indicare. Sæpius enim vel à Deo, vel à Natura, causæ immutantur, quibus immutatis, effecta quoq; immutentur, necesse est, id quod nō nunquam vsu venire videmus.

Hic est primus modus, quo non solum fulgura, fulmina, Cometæ, & denique omnia ignea effecta, quæ in sublimi gignuntur, sed aliæ etiam pleræque res naturales, considerari possunt, nempe quatenus sunt effecta Naturæ. Atque hîc videmus, quòd ita considerati, quandam inter se connexionem habeant, ideoque alia futura effecta iudicare possint. Neq; hæc præsensio improbari potest, cum sit naturalis, quanquam non necessaria.

2. modus.

Si igitur considerentur *μεγυτικῶς*, quemadmodum diuini faciunt, quatenus ad eas res, cū quib⁹ nullam habent penitus connexionem, significandas accommodant: v. g. vt ad singulares huius vel illius futuras actiones certò præmonstrandas: dico primò, iisce mediis, fulminibus, fulguribus, cometis, & id genus aliis, rerum illarum scientiã aut præensionem nullam haberi posse. Ratio, quoniam media illa, nullam cum rebus habent connexionem, neque vt habent causæ cum suis effectis, & effecta cum suis causis: neque vt habent causæ cum aliis causis, & effecta, cum aliis effectis, eo modo, quem suprà declarauimus. Ideo hanc per fulgura & fulmina, & cometas diuinationem, optimo iure expugnat Cicero 2. lib. cuius argumenta referre longum erit. Hortor lectores ad illum libellum legendum. Quare vana est ars per fulmina ita diuinandi. Secundò, dico, etiamsi aliquando vera diuinentur: id non fieri arte,

arte,

arte, sed vel casu, vel arte Satanæ, Quare est Diabolica.

Tertiò considerari possunt hæc fulmina, cometae, &c. *θεολογικῶς*, id est, quatenus considerantur à Christianis & piis, non solùm vt naturæ effecta, sed etiam vt diuinæ vel misericordiæ, vel iræ testimonia & signa. Etsi enim effecta sint naturæ: nihil tamen repugnat, quin etiam sint signa diuina, quibus vel suum erga nos pœnitentes amorem ac beneficentiam, ex futura, quam signa illa portendunt, abundantia: vel suam erga nos impœnitentes, iram ex futura, quâ signa illa præmonstrant, penuria significat. Exemplum. Tempore Eliæ, siccitas illa terræ, naturalis fuit. Sole enim (excitatus à Deo) ad se humores humidos traxit, consumsit, &c. Inde orta fames. Hac verò iram suam aduersus peccata populi declarauit. Solet enim Deus, cùm è cœlo, tum è terra, tum è Mari, suam tum misericordiam, tum iram, his & aliis id genus signis, Mundo declarare, idque bifariam: aliquando naturaliter, aliquando supernaturaliter hæc effecta producendo. Naturaliter, quando officio causarum secundarum in natura vtens, hæc effecta producit, eaque vt sint signa vel iræ, vel misericordiæ, foras profert, tunc non solùm sunt effecta naturæ, sed etiam diuina signa, quibus vel amorem suum, vel iram declarat.

Supernaturaliter, quando citra ministerium causarum secundarum, & præter naturæ ordinem, suâ duntaxat omnipotentia, vel hæc, vel alia signa cœlestia excitat, quibus iram suam, vel aliquid etiam aliud declarat: tunc non sunt naturæ

50 *De Diuinatione per fulmina & fulgura.*
effecta, sed signa tantum diuina. Exemplum primi, ut cum vel nimius imber, vel grando descendit ex caelo, quibus semina in terram iacta perdantur: inde verò oriatur penuria, vel etiam pestis, & alia mala. Habent quidem & imber & grando causas in natura, à quibus oriuntur: sed tamen illæ causæ excitatæ à Deo fuerunt ad hæc effecta proferenda, ut sint iræ suæ testimonia. Exemplum in aquis diluuii, aperuit catarractas cæli, &c. & siccitas tempore Eliæ. Hoc idcirco dico, quoniam quidam etiam sunt nimis naturales, qui res omnes, ad naturam tantum referunt, non autem signa iræ Dei esse volunt. v. gr. ut si accidat penuria, sterilitas terræ, aëris corruptio, &c. Nos verò Christianè dicimus, idem posse esse & naturæ effectum, & Dei signum. Exemplum secundi, ut Solis Eclipsis in morte Domini nostri Iesu Christi, præter ordinem naturæ illud fuit, quemadmodum Astrologi quoque excellentissimi, qui tunc temporis erant superstites, testati fuere. Fuit autem signum magnæ Dei iræ aduersus populū Iudaicum, qui lucem Mundi Christum extinxerat. Fuit igitur illud signum tantum diuinum, non autem naturæ effectus. Hoc pacto dico, iis effectis, tanquam diuinis signis, multa tum vniuersalia, tum singularia præsentiri posse diuinitus, quæ alioqui naturaliter cognosci nequeunt. Vniuersalia, ut cum ex apparitione Cometæ, primum quidem *φυσικῶς* præsentem futuram penuriam & pestem, ut supra dixi: ex hac verò penuria vel peste futura, præsentunt diuinam aduersus nos iram, eamque generalem. Sic tempore Eliæ, &c. Singularia verò, ut cum Ionas ex tempestate Maris, præsentit,

sensit, Deum aduersum se, ob suam inobedientiam, iratum esse: idcirco prædixit, si se è nauì proiicerent, cessaturam tempestatem. Hæc diuinationo non improbatur, sed laudatur. Cæterùm hæc diuinationo, quæ ex iis signis à Christianis & piis fit, longè differt ab illa, quam impii diuini, iisdem signis faciunt.

At quo pacto discernetur hæc Christiana, ab illa impia, cum vtraque tamen ex iis signis præsa-
giat?

Primo à rebus. Hæc enim Christiana, iis signis plerumque solet vti ad res quasdam generales præsentendas, sicut exemplum attuli de ira Dei aduersus orbem terræ, vel aduersus aliquod regnum: Illa verò ad singularium semper res & actiones, vt quòd hic futurus sit Episcopus, alter in crucem adigendus, alius inuenturus thesaurum. Ideoque hæc Christiana vtitur iis signis, quatenus connexionem habent aliquam etiam cum natura, semper verò cum verbo Dei. Exemplum. Cum ex apparitione Cometæ præsentimus (vt supra dixi) φυσικῶς futuram penuriam, famem, &c. Hic, Cometa connexionem habet cum natura, seu cum futura penuria, quæ est naturæ effectus (vt supra dixi.) Cum verò ex eodem cometa, futuram famem significante, præsentio futuram Dei iram aduersus mundum, propter nostra scelera; atque ita illam vaticinamur populis nostris, vt resipiscant: hic, connexionem habet etiam cum verbo Dei. Ita enim Deus prædixerat Deuteronom. 28. nisi legem eius custodierimus, se famem, pestem immissurum super terram. Illa verò Ethnica vtitur iis mediis

Præsentio rerum futurarum, quæ habetur ex signis cæli Physicè & Theologicè consideratis, quomodo differat ab illa, quam impii ex iisdem signis habent.

I.

2.

ad eas res significandas, cum quibus nullam penitus habent connexionem, ut supra diximus vel ex ipso Cicerone.

3. Etsi hæc Christiana utitur iis vel aliis mediis, ut ostentis, de quibus mox ad singulares res præsentandas: illis tamen signis utitur, quatenus cum illis particularibus rebus connexionem habent cum verbo Dei, eamque vel vniuersalem, ac ceu in genere: vel particularem ac singularem. Vniuersalem, ut cum Ionas ex tempestate, particularem contra se Dei iram præsentit, ideoque particularem illius tempestatum sedationem prædicat, si se in mare proiciant: præterquam quod Prophetæ erat, potuit tamen hoc præsentire, quatenus signum illud particulare, prædictum fuerat in genere à Deo, cum multa pœnarum genera suis transgressoribus minatus fuit per Moysen: ideoque connexionem habebat cum verbo Dei vniuersalem seu in genere & vniuersali. Particularem verò, ut cum habet peculiare sibi verbum adiunctum. Exemplum in ostentis, in columba Christi. Illa verò Ethnica, nullam penitus habet, neque cum natura, neque cum verbo Dei connexionem, ut manifestum est.

4. A modo prædicendi. Christiana diuinatione, v.g. iram Dei futuram præsentit, cum conditione, nempe, nisi resipiscamus. Ethnica verò res suas prædicat, quasi fatali necessitate venturas.

5. Ideoque Christiana utilis est, & ad salutem dirigitur; Ethnica verò inutilis, & perniciem hominum spectat.

6. Christiana diuinatione, ex iis & aliis signis, cum præsertim ad particulares vel personas, vel res, vel actio-

actio-

actiones significandas adhibetur, ferè habet adiunctum signis ipsum verbum Dei, v. gr. Ex Iride cognouit Noë, a quis diluuii non ampliùs Mundū perditum iri: sed quomodo? Habuit adiunctum verbum. Matth. 3. Ioannes Baptista ex columba descendente super caput Christi, agnoscit personam hanc, ipsum esse Filium Dei: sed signum illud, verbum habuit adiunctum. Præcesserat enim verbum, *Super quem videris spiritum descendētem in specie columba, ipse, &c.* Illa verò Ethnica, nunquam habet verbum Dei: sed verbum Dei habet contrarium. In summa, Christiana habet connexionem semper cum verbo Dei, vt declarauimus: aliquando verò etiam cum rerum natura: Ethnica verò, neque cum natura, neque cum verbo Dei connexionem habet vllam. Physica verò præsensio, connexionem habet, cum rerum quarum est præsensio, natura. *Μαυρικη* autem, nullam habet connexionem, neque cum natura, neque cum verbo Dei, neque in genere, neque in specie. Sed quam habet connexionem? cum Satana. Apparet igitur, quantum ad hanc speciē diuinationis per fulgura, attinet, quatenus probetur, & quatenus improbetur. Summa huc redit: Quæcunque diuinationis species connexionem habet vel cum natura, vel cū verbo Dei, improbari non potest, sed laudanda est: quatenus verò nullam vel cum natura rerum, vel cum verbo Dei habet connexionem, improbanda est.

Sed percurramus reliquas Diuinationis species.

De Diuinatione per ostenta.

Altera igitur species, est diuinationo per ostenta.

seu portenta, sub qua continentur voces ex occulto (seu ut aiunt) diuinitus auditæ: item, omnia, id est, voces & verba hominum: item spectra, seu imagines & formæ, quæ reapse nullæ sunt, speciem autem offerunt. Dicam de singulis.

Ostenta (sicut est partus mulæ, monstrum hominis: item, si idolum aliquod sanguinem sudasse videretur, item, si sanguis è cælo plueret. Item, cum Soles duo visi, & tres Lunæ, tempore Romanorum, ut Cic. testatur. Item, cum Sol stetit tempore Iosua, cuius generis multa refert Cicero in 1. de Diuinat. & quorum in Scripturis infinitus est numerus, ut rubus ardens, & non se consumens. Item Matth. 24. *Erunt signa in Sole, Lu-*

Ostenta quid sint, & cur ita dicta.

na & stellis.) ostenta inquam sunt, quæ præter naturæ ordinem contingunt: ita dicta, quod aliquid futurum portendant, ostentent & indicent.

Quot eorum sint genera.

1. Tria autem sunt genera: quædam causam habent in natura, sed cum defectu aliquo, atque vitiatam. Exemplum, ut partus mulæ: apparens sanguis è cælo pluens: hominis monstrum cum duobus capitibus, &c. Hæc vera sunt portenta.

2. Secundò, quædam habent causam in natura, sed immediatè & contra naturæ ordinem immittuntur à Deo, ut plurima, quæ in S. literis leguntur, ut rubus ardens: ut ros cadens è cælo super vellus tantùm Gedeonis, non super terram. Item, super terram, non super vellus. Hæc etiam vera portenta sunt.

3. Tertiò, quædam nec à Deo immittuntur, nec in natura causam habent, sed à Dæmonibus vel

reue-

reuera fiunt, vt portenta illa Magorum in Ægypto: & qualia multa Antichristum facturum, prædixit Paulus: vel apparenter fiunt, cum reapse nihil sint, vt cum faciunt apparere idolum aliquod sanguinem sudare: illusiones tamen & mēdacia, tam illa, quàm ista dicuntur & sunt, quoniam ad illudendum & fallendum fiunt à Dæmonibus, de quibus in præsentia satis.

Dico igitur, si ostenta considerentur φυσικῶς, quando scilicet, & quatenus causam habent in natura, & sunt effectus, vel potius defectus, & peccata naturæ: aliquid ex illis verè præsentire ac diuinare possumus. Ratio, quoniam connexionem habent aliquam, cum rerum, quas significant, natura. Neque illa præsentio aut diuinatione improbari potest. Ratio, quoniam naturalis est. Exemplum.

Quintus frater refert, Romanis duos visos fuisse Soles in cælo, tres Lunas: item faces multas ardentes: item Solem aliquando nocte fuisse visum: Aruspices pro suo quidem arbitrio, & vt voluerūt, signa illa sunt interpretati. Sed quid Physicus? Cum reuera non essent duo Soles, neque tres Lunæ, neq; faces: sed ignei quidam effectus, orti ex vaporibus siccis, calidis, à terra, immensa vi Solis, in supremam aeris regionem euecti, atq; mirabiliter accensi, præsensisset fore vel penuriã ac famem, vel pestem & morbos, ex magna adustione ortos, eodem progressu, quẽ supra de fulminibus & cometis declarauimus.

Si verò θεολογικῶς, quæ quidem bifariam fiunt à Deo, vt etiam suprã dixi, aliquando mediis, interiectisque causis naturalibus,

sed vitiatis: aliquando per se, citra causam vllam in natura existentem, ex talibus portētis præsenti-
 re possumus illa, ad quæ significanda à Deo in-
 stituta fuerunt. Ad duo autem significanda insti-
 tuta fuerunt. Primùm, portenta quædam ad res
 generales: v. gr. ad iram Dei in genere significan-
 dam: vt, si in aliqua vrbē, vel Regno sæpius fiant
 terræmotus, vel sanguis è cælo pluere videatur,
 vel nascantur multa monstra: cùm hæc signa sint
 iræ Dei, vbi hæc videmus, præsentire possumus i-
 ram Dei super nos, nisi resipiscamus, reuelādam:
 sicut Pharaon ex portentis Moysis, præsensit Dei i-
 ram. Habēt enim connexionem cum verbo Dei
 in genere, quoniam ita minatus est transgressori-
 bus legis Dei, contemtoribus veræ religionis. Se-
 cundò, quædam verò ad singulares quædam res,
 aut actiones significandas edita fuēre, cuius ge-
 neris sunt, quæ in scripturis sunt: ad has præsentien-
 das duci possumus iis ostentis, si tamē verbū,
 quod habent annexum, intelligamus & creda-
 mus. Exemplum: vt, Ioannes Baptista, ex colum-
 ba super Christum descendente, agnouit illam
 personam, esse Christum, quoniam verbum præ-
 dixerat, *super quem videris descendentem, &c.* Magi
 ex stella præenserunt, natum esse regem Iudæo-
 rum. Ad hunc enim indicandum stella illa fuerat
 à Deo instituta & facta: & hoc Magis illis verbo
 aliquo vel externo, vel interno per spiritum S. si-
 gnificauerat. Fideles ex illis signis, quæ appare-
 bunt in Sole & Luna, præsentient, instare diem
 Domini. Ad hunc enim significandum instituta
 sunt illa portenta: & verbum Christi præcessit,
Erunt signa, &c. iis fieri incipientibus, &c.

Hæc

Hæc igitur ex iis portētis præsentio earum rerum, ad quas significandas ordinata sunt, summo perè probatur & sanctissima est. Habet enim connexionem semper cum verbo Dei: aliquando etiam cum natura rerum.

Si verò *μαντιῶς*, sicut Ethnici, falsa est & Diabolica. 3.

Primò, quia portenta naturalia, ut monstra, ut partus mulæ, &c. ad significandas res, cum quibus portenta illa, nullam prorsus habent connexionem, contorquent. Secundò, portenta ipsa diuina, non ad ea, quorum indicandorum causa sunt, applicant: sed ad res longè diuersas, atque prorsus aliebas. Tertiò, plerumque portenta propria, quæ habent, sunt Diabolica, arte Diaboli facta: vel Diabolicæ illusiones. Quartò, pleraque etiam, quæ nullo modo sunt portēta, superstitionis ceu portenta, interpretantur atque e illis mirabile aliquid futurum, diuinare volunt. Cuius generis multa apud Ciceronem, Augustinum, & alios leguntur, ideoque deridētur. Exempla. Cùm apud Lebadiam Thebanorum Trophonius rem diuinam faceret, galli gallinacei in eo loco, sic assiduè canere cœperunt, ut nihil intermitterent: Augures Bœotii hoc tanquam portentum interpretati sunt, dixeruntque, Thebanorum esse cōtra Lacedæmonios victoriam, propterea quod auis illa victa silere soleat, canere, si vincat. M. T. Cicero, hoc à Quinto fratre allatum, deridet, dicendo: *Hoc igitur per gallinas Iupiter tanta ciuitati signum dabit? An illa aues, nisi cùm vicerint, canere non soleat. Attamen canebant, nec vicerant. Id enim, inquit, ostentum. Magnum verò (ostentum) quasi*

Cic. in 1. de diuin.

pisces, non galli cecinerint. Quod autem est tempus, quo illi non canant? vel nocturnum, vel diurnum?

Item, quia ante Marficum bellum, mures Lanuuii clypeos corroserant, portentum, illudque maximum id Aruspices esse dixerunt. Item, Quidam cum vidisset, quod anguis domi vectem circumiectus esset, tanquam ostentum magnum esset, detulit ad coniectorem. *At sapiens coniector, tū esset (inquit) ostentum, si anguem vectis circumplicasset.* Subdit Cic. *Hoc ille responso satis aperte declaravit, nihil esse habendum portentum, quod fieri possit. Sed hallucinatur Cicero hac in parte.*

Simile refert Augustinus de doctrina Christiana, lib. 2. cap. 20. Venit quidam ad Catonem, dicens, portentum magnum accidit, Mures enim caligas meas corroserunt. *Tum Cato (inquit) portentum esset, si caligae corrosissent mures.* Hæc igitur ridicula portenta Gentium.

Quare iure Cicero hanc partem expugnat, aliquot paginis.

Summa: ostenta, quæ Physicè considerantur, connexionem habent cum natura, & vt effecta naturæ considerantur. Ostenta, quæ Theologicè, connexionem habet cum natura interdum: semper autem cum verbo: quæ *magis*, nullam.

At quo pacto discernuntur ostenta Christiana ab Eθνicis, seu Theologica, à diuinatoriis?

R. Primò, ostenta diuina vera sunt semper, aliquando naturâ mediâ, aliquando sine natura, immediatè à Deo edita. *Martini* verò & profana, falsa, sæpiùs ridicula, diabolica semper.

Secundò, Nostra, verbum Dei ferè vel generale, vel peculiare habent annexum: ideoque non
solùm

Ostenta
Christiana
quomodo ab
Eθνicis
discernantur.

I.

solùm cum natura, sed etiam cum verbo Dei cõ-
nexionem habent. Ista verò, nec cum natura ha-
bent, nec cum verbo Dei connexionem: sed tan-
tùm cum verbo Satanæ.

Tertiò, idcirco quæ nostris prædicuntur, eue-
niunt, præterquam, quòd mala sæpe, si resipiscant
homines, auertuntur misericordiâ Dei. Quæ illis
verò, non semper. Aliquando quidem eueniunt:
sed id vel temerè ac casu, vel arte Diabolica fit.

Platoni (vt Cicero testatur) in cunis paruulo
dormienti, apes in labellis confederunt. Hoc ceu
portentum ita quidam interpretati fuere, singu-
lari illum suauitate orationis fore. Atque ita eue-
nit. Midæ illi Phrygio, cùm puer esset, dormienti,
formicæ in os tritici grana congesserunt: prædi-
ctum fuit, ditissimum fore. Euenit. Sed quomo-
do? Temerè, casu, non autem, quòd vel apes cum
eloquentia Platonis, vel formicæ grana tritici fe-
rentes, cum diuitiis Midæ, connexionem veram
haberent, nisi significationis coniecturam. Sed
hæc fallax est, cùm aliis quoque eadem signa cõ-
tigerint, neque tamen easdem res, vel eloquen-
tiam, vel diuitias affecti sint. Proinde Cic. ad
hæc duo portenta Platonis & Midæ ait: *Atque
hæc ostentorum genera mirabile nihil habent, quæ cùm
facta sunt, tum ad coniecturam aliqua interpretatio-
ne reuocantur, vt illa tritici grana in os pueri Mi-
dæ congesta, aut apes, quas dixisti in labris Pla-
tonis pueri confedissee, non tam admirabilia sint,
quàm coniecta bellè, quæ tamen vel ipsa falsa esse,
vel illa, quæ prædicta sunt, fortuito accidisse potue-
runt.*

Summa: quæ connexionem habent vel cum natura, vel cum verbo Dei, vituperanda nō sunt; quæ verò nec cum natura, nec cum verbo Dei, inania sunt & Diabolica.

De vocibus
diuinitus
auditis.

1.

Quod verò de ostentis dixi, idem dico de vocibus diuinitus (vt dicunt) auditis, quæ ceu quædam portenta sunt.

Hæ aliquando φυσικῶς quoq; considerari possunt. Plerumque enim fit vt aut in luco aliquo nemoroso, ex ventis per densas arbores trāseuntibus, aut in terræ visceribus, & montium caueris, ex ventorum, qui ibi maximè regnant cursitatione, vel ex aquarum defluxu, & aliis id genus causis naturalibus, quidam strepitus audiantur, ita compositi, vt ceu humanæ voces esse videantur, cum tamen nihil minus sint. Hoc sæpius euenit, ita Deo permittente, in Papatu, ad hominum, qui verbum Dei negligebant, illusionem ac deceptionem: vnde postea tot superstitiones & idolatriæ profectæ sunt. Nota est origo, de functis anniuersaria iusta faciendi postridie Calend. Nouemb. vnde sic profecta, ex eo, quòd Odilo Abbas Cluniaensis in Sicilia, cum sensisset strepitus fremitusq; feruentis æstus Maris, & eructationes Ætnei montis, qui ceu gemitus & clamores dolentium esse videbantur, existimauit portentum esse, id est, cacodæmones lamētari, quòd per preces & sacrificia Christianorum, animæ defunctorum ab illis suppliciis liberarentur. Quæ res cum Papæ Ioan. 18. relata & credita fuisset, inde institutus dies quotannis postridie Calēd. Nouemb. sacrificia offerendi pro animis mortuorum. Cæterum, Physicus voces illas considerasset, vt sunt effecta

Polyd. lib. 6.
cap. 9.

effecta

effecta naturæ. Si autem ita consideret, nihil inde diuinare potest, nisi fortè ex insolito strepitu aut fremitu terræ, vel montis, aliquam eruptionem fore.

Aliquando verò *μαρτυκῶς*: tunc voces illæ vanæ sunt, cum scilicet strepitus naturales, ipsi diuini, voces esse Deorum vel Dæmonum putant, vt in exemplo suprâ allato Odilonis, ostensum est. 2.

Vel reuera quidem voces sunt, sed cum vel hominum, vel Dæmonum sint, tamen Dei, vel sanctorum defunctorum esse à superstitiosis hominibus putantur. Hominum, vt in Papatu sæpe cõrigit, vt aliquis se in crypta aliqua, vel in statua, vel in aliquo templo abdiderit, & simpliciore aliquam fœmellam, vel homuncionem allocutus fuerit, vt ibi vel templum extrueretur, vel aliquis cultus idololatricus institueretur, &c. iudicatæ fuerunt esse voces diuinæ, vel Mariæ Virginis, vel alicuius sancti demortui: inde multæ superstitiones exortæ. Dæmonum verò, vt præcipuè tempore Romanorum erant voces ex occulto, & ex idolis emissæ: quanquam idem etiam sæpe in Papatu vsu venisse scimus. Has voces audiunt diuini, & ex eis diuinant. Quis non videat, hanc diuinationem vanissimam esse & Diabolicam? vanam, cum voces putant esse Deorum, & sunt naturales strepitus, vel hominum deceptiones. Diabolicam, cum voces à Dæmonibus eduntur.

Aliquando verò Theologicè: tunc voces sunt reuera Dei, aut Angelorum, quales in scripturis leguntur, auditæ fuisse à Mose, à Patribus, à Prophetis, à viris Dei. Has considerat & audit ipse 3.

Christianus & pius, præterea nullas. Ex iis verò præsentire potest ea, quæ voces illæ Dei fortè futura prædixerunt.

Voces diuinae, quomodo à Diabolicis discernantur.

1.

At quomodo diuinæ à Diabolicis discernentur?
 R. Primò, Diuinæ voces non amplius ita vt antè, audiri solent. Deus enim finem loquendi fecit in Filio. Heb. 1. *Nonissimè locutus est in Filio.* Quicquid enim reuelandum erat è cælo, ad Ecclesiam pertinens, totum in Christo est reuelatum: nec alias Dei voces habemus, nisi in Scripturis sanctis. Quare reliquum, vt quæ deinceps audiuntur, ceu suspectæ reiiciendæ sint, præsertim si aliquid circa res futuras, vel circa cultum loquantur.

2.

Secundò, Hæc verò propria nota. Voces diuinæ nil contra aut præter verbum Dei reuelant. Diabolicæ verò, ferè aliquid contra verbum Dei, v. gr. vt vel templum ædificetur, erigatur idolum aliquod, colatur, &c. Hoc si obseruasset Gregorius primus, vir alioqui bonus, sed sæpe, plus quam par erat, credulus, non adhibuisset fidem tot nugis, quæ ei referebantur de vocibus auditis animarum, quæ cruciarètur in purgatorio igne, &c. Sed de vocibus satis.

De Ominibus.

Omen quid sit.

Idem de ominibus dicendum est. Quid omen sit, Cic. 1. de Diuinat. aperit, dicendo: *Neque solum Deorum voces Pythagoræi obseruarunt, sed etiam hominum, quæ vocant omina: quæ Maiores nostri, quia valere censebant, idcirco omnibus rebus agendis, quod bonum, faustum, felix, fortunatumque esset præfabantur.* Erat igitur prænunciatio futuræ rei, ori hominis incidens, diuino furore, &c. Exemplum adfert Cic. lib. 1. de Diuinat. *L. Paulus Consul iterum, cum ei bellum, vt cum Rege Persa gereret, obtigisset, vt ea ipsa*

praesertim ex vocibus diuinitus auditis. 63
ea ipsa die domum ad vesperam rediit, filiolarum suarum
Tertiam, quae tum erat admodum parua, osculans, a-
nimaduertit tristiculam. Quid est (inquit) mea Tertia,
quid tristis es? Mi Pater (inquit) Persa periit. Tum ille
arctius puellam complexus, accipio omen, inquit, mea
filia. Erat autem mortuus catellus eo nomine. Quid
omen sit, habetis: Diuination est, quae fit ore homi-
nis, quasi oremen, ait Festus.

Hoc Physicè considerari non potest, tum quia
non res, sed tantum dictum aliquod est: tum quia
connexionem nullam habet cum natura rerum
illarum, quarum omina esse dicunt. v. gr. Tertia
puella ait patri, periit Persa (scilicet catella) pater
vt omen accepit dictum illud, quasi periisset Per-
siae Rex, quocum erat bellum suscepturus, & cui
nomen erat Perses & Perseus, à quo ea regio ita
denominata fuit. Sed quam connexionem habet
mors Persae illius catellae, cum morte Regis Per-
siae? Idem de aliis huiuscemodi hominum dictis,
quae *Omina* appellantur, dicendum est, *φυσικῶς* cō-
siderari non posse, cum nullam habeant cum re-
bus, quarum omina esse dicuntur, connexionem.

An Physicè
considerari
possit.

Theologicè quoque, quatenus dicta sunt homi-
num, considerari non possunt, quoniam cum verbo
Dei nullam habent cōnexionem. Verbum enim
Dei nullum habet omen, sed vaticinia tantum Dei,
non hominum. Ideo August. 1. Retract. lib. cap.
1. corrigit se, quod hoc nomine, *Ominis*, vsus se-
mel fuerit. Verba eius haec sunt: *Hoc licet non se-
rio, sed ioco, dictum sit, nollem tamen eo verbo uti.
Omen quippe me legisse non recolo, siue in Sacris li-
teris nostris, siue in sermone cuiusquam Ecclesiasti-
ci disputatoris: quamuis abominatio inde sit dicta*

An Theologicè
considerari
possit.

2.

Omina nulla
in Scri-
pturis repe-
riuntur.

qua in diuinis libris assidue reperitur. Quo ex loco colligimus, omen non esse nomen, quod Christianos deceat: sed nomen potius abominabile. Multò vero minùs decet ais ominandi.

3.

Ergo *μεντικῶς* tantùm considerari potest, quatenus scilicet considerant tantùm diuini, vt sit quasi rei futuræ augurium & diuination, quæ ore hominis fit, id est, quæ fit ex aliquo, alicuius hominis dicto. Si igitur sic consideretur, vanam & Diabolicam esse dico hanc diuinationem, quæ fit per omen. Ratio, quoniam nullam (vt dixi) connexionem habet, neque cum rerum natura, neq; cum verbo Dei, sicut in Exemplo Ciceronis de Persa mortua patuit. Cicero verò hanc diuinationis partem ita expugnat in 2. de Diuinat. vt præter alia argumenta, ostendat, rem hanc meram esse superstitionem, sine vlla duce ratione. *Itane* (inquit) *si quis aliquid ex sua re, atq; ex suo sermone dixerit: & eius verbum aliquod aptè ceciderit, ad id quod ages, aut cogitabis: ea res tibi aut timorem adferret (si mala) aut alacritatem?* (scilicet si bona.) Talis enim fuit illa vox Tertiarum (Persa perit) patri, quoniam verbum illud aptè cecidit ad id quod cogitabat pater de Perse Rege. Talis fuit & vox Licentii apud August. lib. 1. contra Acad. cap. 4. cum esset allatus definitionem erroris ipse Licentius, & dixisset, difficillimam sibi hesternò die, definitionem erroris fuisse: tum Augustinus inquit, *Hic planè non erras quod vt tibi omen sit ad reliqua, libenter optauerim, ne scilicet in cæteris erres, sicut neque in hoc, quod nunc dixisti, errasti.* Tale & illud, quod refert Cic. de Diuinat. 2. & Plinius lib. 15. cap. 19. de M. Crasso. Cum Marcus Crassus nauim Brundisij

Diuinatione
per omina
Diabolica
est.

duſſi eſſet conſenturus, aduerſus Parthos in Ca-
riam, cuius oppidū, præter alia, erat & Caunus,
quidam in portu Caricas Cauno aduectas ven-
dens, clamitabat *Cauneas, Cauneas*, omen vox illa
clamantis *Cauneas*, fecit M. Craſſo, ne iret, quan-
quam non paruit. *Sed*, inquit Cicero, *dicamus ſi
placet, non fuiſſe periturum, ſi omini paruiſſet: quæ ſi
ſuſcipiamus, pedis offenſio nobis, & abruptio corrigiæ,
& ſternutamenta erunt obſeruanda.* Summa eſt:
Quoniam huiusmodi dicta, ex ore hominum
prolata, etſi aptè ad id quod cogitas, vel acturus
es, cadentia, nullam veram cum rebus, vel quas
cogitas, vel acturus es, connexionem habent: id-
circo diuinationo ex his dictis accepta, quæ *omen*
appellatur, res eſt vaniſſima. Quoniam verò nul-
lam cum verbo Dei, ſed potiùs cum Satana ha-
bet conuenientiam, ideo res eſt Diabolica.

ſpectra quid ſint, Cic. lib. 1. de natura Deorū, *De ſpectris.*
& in Epist. familiarib. lib. 15. & 16. ad Caſſium, &
in 1. de Diuinat. definit: ſimulachra & imagines *Spectra
quid ſint.*
rerum aut perſonarū ſunt, aliquando intellectu, *Quot eorum
genera.*
aliquando oculis corporis incurrentia: Et in 1.
de Diuinat. ſic ait, *obiiciuntur etiam ſæpe formæ, quæ
reapſe nullæ ſunt. ſpeciem autem offerunt.* Duo autem
ſunt genera ſpectrorum: quædam quæ animo oc-
currunt, idque bifariam, aliquando nobis dor-
mientibus (ſed de his hîc non eſt dicendi locus)
aliquando vigilantibus: ac de rebus illis, quarum
ſpectra occurrunt cogitantibus: quædam quæ et-
iam oculos corporis feriunt, vt ſunt ſpectra & i-
magines perſonarum demortuarū quæ aliquan-
do oculis corporis obiectæ, viſuntur, vt de multis
fertur. Vide Auguſt. Tom. 3. de ſpiritu & Anima,

c. 29. quomodo mortui vel etiam viui appareant: Ex iis igitur spectris, tam quæ animis, quam quæ oculis obiiciuntur, diuinationem & veteres fecerunt, & pleriq; etiam nū faciunt. Dicamus de primis, quæ animis occurrunt primū: deinde de aliis.

De spectris,
quæ animis
obiiciuntur,
quid senti-
endum sit.

1.

Primi generis spectra, quæ nobis vigilantibus in animos, vel in phantasia veniunt, si *φυσικῶς* considerentur, multis modis fiunt, vt August. explicat T. 3. de spiritu & Anima, c. 23. *Certum nempe est* (inquit) *quandam spirituale naturam, &c.* Sed plerumque hæc spectra in animis, nil aliud sunt, quàm partus quidam vehementiores phantasiæ seu imaginationis vel animi, qui ita pressè, vehementer & fortiter & attentè de aliqua vel re, vel persona cogitat, vt eius rei vel personæ idolum, animo de ea cogitanti occurrat, atque in eo in hæreat, vt rem illam vel personam quasi præsentem & coram videre videaris: id quod sæpe contingit illis, qui vehementis sunt phantasiæ, & attentè de aliqua re cogitant, sicut Cicero de se testatur, dicendo Cassio: *Simulac mibi collibitū fuerit de te cogitare, illud* (scilicet spectrum tui) *occurrit: neque solum de te, qui mibi haeres in medullis. sed si insulam Britanniam cœpero cogitare, eius εἰδωλον mibi aduolabit ad pectus.* Si ergo ita considerentur, quid aliud diuinari potest, nisi hominem, cui hæc spectra in animum aduolant, vehementis esse phantasiæ, & intentè de ea re, cuius spectrum obiicitur, cogitasse, vel quia amet rem illam, vel quia odit, vel ob aliquid aliud? vel etiam phrenesi, aut nimia melancholia laborare, quoniam hoc sæpe contingit phreneticis & melancholicis, vt etiam Aristo-

Aristo-

Aristoteles testatur, & Aug. de spiritu & anima, c. 23. Hæc diuinitio vera est, & scientia est physica, quoniam ex effectu causam cognoscit. Cæterum, quid rerum futurarum hinc diuinari potest? Quinetiam spectra rerum, quæ nobis dormientibus occurrunt, ex hac eadem causa proficiscuntur, quia scilicet vigilantes attentè de iis cogitauimus, & cum simus fortis phantasiæ, illarum rerum reliquiæ in animo remanserunt, vt Cic. ait de Diuinat. lib. 2. *Maximæq; reliquiæ rerum earum mouentur in animis Et agitantur, de quibus vigilantes aut cogitauimus aut egimus.*

Si verò *μεγαντικῶς*, id est, quatenus ex iis spectris futura & abdita diuinant, vana res est, ex iis rerum spectris, res tales, quales apparent in spectris, aut iam esse, aut futuras esse diuinare; quoniam nullam habent connexionem spectra in animo, cum rebus ipsis. Quod si tales aliquando succedunt res, quales in spectris visuntur: primò fortuitò & casu id fit: secundò, vel saltem arte Diaboli, id quod sæpe vsu venit Gentibus. Exemplum, sit illud, quod Cicero narrat in 1. de Diuinat. contigisse Brenno, eiusque Gallicis copiis, cum fano Apollinis Delphici, nefarium bellum intulisset: *tum referunt (inquit) ex oraculo hæc fatam esse Pythiam: Ego providebam rē istam, & albæ virgines. Ex quo factum, vt Et viderentur virgines ferre arma contra: Et niue Gallorum obrueretur exercitus.* Quis enim obiiciebat hæc animo Pythiæ, vt videret imaginem & spectrum illius belli à Brenno, fano illati: & spectra tum virginum, arma contra ferentium, tum exercitus

2.

Gallorum niue obrutorum, nisi Satan? Res igitur
vana est, & Diabolica.

5. Si verò Theologicè: notandum est, quod Pro-
phetis & viris Dei, spiritu Dei præditis, sæpius hoc
contigit, vt alicuius rei futuræ spectrum, ipsorum
animis, lumine Dei illustratis, occurrerit, ita vt re
ipsam ceu præsentem, quæ tamen vel longè abe-
rat, vel multò post euentura erat, quasi coram vi-
derint: atque ita ex spectro illo, quod in animis
obuersabatur, rem futuram talem, qualis appare-
bat in spectro, verè prædixerint, & vt prædixe-
rant, euenerit. Exemplum, vt cum Esaias hanc
Ecclesiæ firmitatem & amplitudinem, quæ futu-
ra erat in extremitate dierum, præuidit. Deus e-
nim illius animo spiritus S. lumine illustrato, spe-
ctrum ac imaginem quandam huiusce futuræ rei
obiecit, ita vt in eo, ceu in speculo quodam vide-
rit numerosissimos Gentium populos ad mon-
tem Zion fluentes, se inuicem adhortantes, *Ascē-
damus ad montem, &c.* Hinc vaticinatus est, dicen-
do: *Verbū quod vidit Esaias.* Vidit: Vbi? In spectro,
in imagine, quam illi obiecit Deus. Hæc præsen-
sio vera & certa est, atque probanda, vtpote Dei
spiritu facta.

Si igitur de iis spectris Theologicè, & quæ à
Deo animis Prophetarum offeruntur, loquamur,
dico, ex iis certò res futuras tales præsentiri ac
prævideri, quales in huiusmodi spectris appa-
rent. Ratio est, quoniam res illæ futuræ, conne-
xionem habent cum iis spectris, in quibus re-
lucent, qualem habet tua imago cum speculo,
quando in speculum intueris. Deus enim qui
res futuras ceu præsentem in seipsis videt, eas
etiam

etiam in spectris, ceu in speculis ostendit Prophetis.

Atque hîc videtis discrimen inter spectra diuinorum, & Prophetarum, seu *magici* & Theologica. Illa vel ex vehementi phantasia oriuntur, vel à Satana impiis offeruntur, ideoque vana & Diabolica sunt: ista verò à spiritu Dei piorum & præsertim Prophetarum animis admouentur: in illis apparent mendacia: in istis res, quemadmodum reuera futuræ sunt. Hoc discrimen posuit & Augustinus Tom. 3. de spiritu & Anima, cap. 23.

Quodnã sit discrimen inter spectra Prophetica & magici.

At quomodo hoc discernere possunt Prophetæ? R. Ab eodem spiritu, qui talia spectra offert, certiores etiam fiunt, quòd sint vera spectra, à Deo illis oblata. August. verò ait de spiritu & anima, cap. 27. *humanam speciem aliquando bonus, aliquando malus assumit spiritus, nec facile discerni potest, à quo spiritu assumatur, nisi quòd bonus instruit, malus fallit.*

Nunc quoad ista spectra primi generis, referam quæ tradit autor libri de spiritu & anima in 3. Tomo operum August. capite 23. In summa: Tres modi sunt, quibus hæc rerum, vel personarum spectra in animis nostris generantur: Primus est à natura, cum scilicet aliquid intentissima cogitatione cogitamus, sicut supra ex Cicerone declaravi, id quod etiam Aristoteles fatetur. Secundus est à Deo, cum scilicet phantasmata à spiritu Dei in animis nostris excitantur, quibus res absentes & futuras ceu præsentem videmus, sicut Prophetis accidit. Tertius est à Satana, cum scilicet, earundem rerum simulachra in nostra phantasia à spiritu Satanico cientur, sicut in multis im-

Spectra verã vel personarum, quomodo in animis generantur.

1.

2.

3.

piis factum fuisse legimus. Primus est Physicus, secundus Theologicus, seu Christianus & sanctus: tertius *μωυτινός*.

Autor quoq; libri eiusdem de spir. & anima, c. 23. primùm quidem docet, hæc rerum simulachra & spectra, in animis nostris generari, idque diuersis rationibus, dicendo: *Certum nempe est. quãdam spiritualement naturam esse in nobis, ubi corporalium rerum similitudines aut formantur, aut formate ingeruntur, siue cum presentia aliquo corporis sensu tangimus, & continuò eorum similitudo in spiritu (id est, phantasia) formatur, & in memoria reconditur: siue cum absentia iam nota, vel quæ non nouimus, cogitamus, ut inde formetur quidam spiritualis intellectus. Innumerabilia etiam pro arbitrio & opinatione fingimus, quæ vel non sunt, vel esse nesciuntur.* Deinde, hos tres præcipuos modos tangit, dicendo: *Innumerabiles quoque & variæ formæ rerum in animo nostro versantur: vel cum aliquid facimus, vel facturi sumus (Hic est primus) aliquo etiam spiritu rapiente tollitur anima in huiusmodi videnda, seu bona, seu mala.* Iis postremis verbis, reliquos duos modos tradit. *Cum enim ait, aliquo etiam spiritu rapiente, &c. intelligendum est, vel malo, vel bono: si bono spiritu rapiente tollitur anima ad hæc videnda, est modus secundus, cum scilicet à spiritu Dei, simulachra rerum in animo excitantur vel ingeruntur. Si verò malo spiritu, est modus tertius, cum scilicet à spiritu Satanæ cientur, vel ingeruntur.* Caput verò 24. tria lumina Animæ recenset: primùm corporale, quo corpora ipsa videmus, hoc est lumen, quo per oculos, Anima corpora intuetur. Alterum spirituale appellat, & intelligit

git

git lumen phantasiæ seu cogitativæ, quo anima corporum similitudines videt, id est, spectra. Tertium intellectuale, & intelligit lumē mentis, spiritu præsertim Dei illustratæ, quo res, quæ nec corpus, nec corporum formas habent, mens ipsa videt. Verba eius hæc sunt: *Natura Anima invisibilis est, ideo invisibiliter in corpore manet, Et de corpore invisibiliter egreditur. Per corpus, corpora videt, sicut cælum Et terram, &c. Videantur reliqua. Deinde ait, Ista tria genera visionum manifesta sunt. Primum corporale, quo per corporis sensus, corporalia sentiuntur. Secundum spirituale, quo corporum similitudines spiritu, nõ mente cernuntur. (Hic patet, per spiritum intelligi phantasiam, seu sensum communem, & cogitativam memoriamque.) Tertium, intellectuale, quo illæ res, quæ nec corpora, nec corporum formas habent, conspiciuntur.*

Modò ad spectra secundi generis veniamus, quæ etiam feriunt oculos corporis. Sæpe fit, ut quædam etiam rerum vel personarum simulachra spectraque, oculis corporis obiiciantur, ita ut res ipsas ac personas alioqui absentes, vel mortuas, vel quæ nunquam fuerunt, ceu præsentis ac coram videre videantur, cum tamē reuera personæ aut res illæ non sint. Exempla infinita adferri possunt tum ex libris Ethnicis, tum ex sacris, tum ab ipsa experientia. Plutarchus de Bruto, in eius vita narrat, quòd nocte quadam, sed vigilans, horrendam & monstrosam imaginem viderit ad se venire. Interrogavit eam Brutus, dicendo: *Quis Deorum aut hominum es, aut quid tibi vis? aut quid ad nos venisti? submurmuravit illa*

De Spectris, quæ feriunt oculos corporis.

An talia dentur.

imago dicendo: ô Brute, malus genius sum, in Philippicis me videbis. Tum Brutus, interritus, videbo, inquit.

Valerius Maximus refert, eandem imaginem deinde obiectam fuisse Cassio in campis Philippicis. In vita Catonis legitur, quòd quo tempore Cato Uticæ erat, quidam nocte venerit, nuntiaueritque Catoni, *die tertia, ante commissum certamen, castra Scipionis capta fuisse, Cesaremq; victorem, Scipionem & Iubam cum paucis evasisse, reliquas copias funditus deletas.* Epicuræi quidem (vt refert Plutarchus) hæc negant, asseruntq; mera esse hominum figmenta: sed tamen infinita huiuscemodi exempla referunt omnes ferè historici Latini & Græci, Valerius, Plinius, Liuius, Aul. Gellius, Lucanus, Herodotus. Cic. etiam in 1. lib. de Diuinatione multa refert.

Ex S. literis infinita possent adferri exempla, vt Rubi ardentis: item visiones Ezechielis, Iesaiæ, Jeremiæ, &c. item Ioannis in Apocalypsi. Sed illud est manifestum, quod est 1. Sam. 28. quando mulier illa, quæ habuit spiritum Pythonem, rogata à Saule effecit arte suâ, vt imago Samuelis iam demortui apparuerit, Saulemque allocuta sit. Quod illud fuit? Numquid verè Samuel? Minimè. Sed spectrû Samuelis. Sic Diabolus in specie humana dicitur apparuisse & locutus fuisse beato Martino. S. Sulp. in vita Martini, c. 6. item Latronis demortui spectrum eidem Martino apparuisse, cap. 14. Autor quoque libri de Anima & spirit. cap. 29. inquit, *Cùm homines mortui, siue viui, hominibus dormientibus, vel vigilantibus apparent: nõ in ipsis rebus, vt sunt, videntur, sed in quibusdam similitudinibus rerum.*

Expe-

Experientia quoq; docet. Multi enim etiamnum reperiuntur, qui huiuscemodi spectra vident, præsertim verò Melancholici, & graui aliquo morbo laborantes, & Phrenetici: aliquando videre videntur Dæmones, serpentes, variasque rerum figuras. Manifestum igitur, talia spectra dari.

De iis igitur, vt loquar, tria hæc præfari oportet: Primum quidem, spectra hæc, quæ oculos etiam corporis feriunt, non esse res, aut personas ipsas, quæ esse videntur. Sic enim non essent spectra, sed res ipsæ: sed esse (vt supra etiam dixi) imagines, εἰδωλα ac simulachra, quæ res & personas quasdam repræsentent & oculis offerant, sicut ex Cic. ostendi, & Augustinus T. 3. de spiritu & Anima, cap. 29. apertè docet loco paulò antè citato. Sic enim diximus, spectrum esse εἶδωλον, imaginem ac simulachrum rei vel personæ, quod quidem vel intellectui, vel etiam oculis corporis occurrat: ideoque duplicia esse spectra, alia quæ tantùm menti, alia quæ etiam oculis corporis obiciantur.

Quid sint.

I.

Secundum, spectra etiam hæc, quæ oculos etiam corporis feriunt, duplicis esse generis. Quædam enim intus ab ipsa etiam phantasia, genita, ad oculos vsque externos irruunt: quædam verò extra, id est, in aëre genita, in oculos impingunt. Illa priora, neque sunt res ipsæ, neque externum aliquod rerum simulachrum: sed sunt tantùm interna quædam rerum simulachra, genita in ipsa phantasia, & ad oculos vsque corporis perueniētia: ideoque præter phantasma ipsū & apparitionem, nihil sunt. Hæc admittuntur à Peripate-

II.

Quotupliciter sint.

ticis. Ista verò posteriora, non sunt quidem res ipsæ: sed tamen sunt vera rerū externa simulachra, in aëre existētia, & realiter oculis obiecta. ideoq; sunt aliquid reale, præter ipsum phantasma & apparitionē. Hæc negantur à Peripateticis: sed à Platoniciis, qui Dæmones fatentur, admittūtur.

III.
Quando v-
traq; spectra
hominibus
contingere
soleant.

Tertium, vtraq; autem hæc spectra, nō omnibus, sed tantūm tribus temporibus solent hominibus contingere, etiam iuxta Peripateticos. Nā omni tempore vel planè dormimus: vel planè vigilamus: vel partim dormimus, partim vigilam⁹, cū scilicet sopore tenemur. In pleno somno, spectra hæc non apparēt oculis corporis: sed tantūm phantasmata, ipsi menti, de quibus suo loco. In plena vigilia, si simus in tenebris, apparere solent: Si verò simus in luce magna, non solent apparere. Ratio, quoniam lux vehemens externa, cū fortius moueat oculos, quā internū phantasma, distrahit oculos ad externa corpora. Si tamen in luce magna simus vehementer ægroti, vt sunt phrenetici, ita vt oculorum acies sit penè obruta, apparere etiam solent.

In vigilia verò, quæ cum quodam somno sit mixta, ita vt simus semiuigilantes, maximè apparere solent huiuscemodi spectra, oculos etiam corporis ferientia, tam illa priora, quæ præter internum phantasma nihil sunt, quā posteriora, quæ præter internum phantasma, realia etiā sunt externa simulachra.

spectra, quæ
præter inter-
num phan-
asma nihil
sunt quotu-
plicia sunt.

Iā, vt de prioribus loquar, quæ præter internū phantasma, nihil habent externi, primūm declarabo, quotuplicia sint. Secundò, quomodo fiant. Tertiò, quæ ex singulis Diuinationis fieri possit.

Triplicia

Triplicia sunt, alia phytica: alia diuina: alia Diabolica. Phytica sunt, quæ naturâ tantum duce fiunt, sine spiritu vel diuino, vel Diabolico. v. gr. vt cum alicui naturaliter de re aliqua intentè cogitanti, occurrit phantasma illius rei, ita vt etiam oculos feriat: sicut sunt, quæ apparent phreneticis. Diuina sunt, quæ à diuino spiritu: Diabolica verò, quæ à Diabolico spiritu phantasiæ ipsi immittuntur, & eodem duce, ad oculos vsque corporis veniunt.

Gignuntur autem primùm Phytica plerumq; hoc pacto. Primò ab externis rebus, externis corporis sensibus perceptis, species quædam sensibiles, per sensoria externa, vsque ad sensum communem, & corporalem memoriam deferuntur: inde verò species aliæ priorum specierû, ad phantasiam, quæ res etiã diuisas componit, & composita diuidit, quæ phantasmata appellantur: idq; fit per vim sanguinis vaporosi spirituosi. Secundò verò, hæc phantasmata aliquando tam vehemètia sunt, vt per eundem vaporosum sanguinẽ, ad sensoria externa, per quæ priùs venerant, ad oculos deferantur, atq; ibi certo aliquo tempore manentia, faciãt apparere aliquod monstrosum animal, vel hominẽ mortuum, aut aliquid huiusmodi, &c. Ita generantur hæc spectra phytica.

Diuina sic: Phantasmata rerum in phantasia, à spiritu diuino excitantur vel immittuntur: inde verò, duce eodem spiritu, per sanguinem à phantasia ad externa sensoria discurrentem, ad ipsa externa sensoria deferuntur, sicut etiam phytica, ita vt oculi corporis ea videre videantur, sicut Prophetis sæpe contigit.

II.

*Quomodo
hæc spectra
fiant.*

Diabolica eâdem ratione fiunt, sed à spiritu Diabolico, sicut Gentibus infidelibus, vt illi Pythiæ, &c.

III. *An & qualis diuinatione ex naturalibus haberi possit.* Qualis igitur diuinatione ex naturalibus haberi potest? Nulla profectò. Ratio, quoniam nullam habent cum rebus, quarum sunt illa spectra, connexionem, nisi ex accidenti id fiat. v. gr. Mihi cõtingit in Musæo ambulanti, & ab aliis externis vehementibus sensationibus vacanti, vt intentè cogitem de aliquo amico, ita vt phantasma illud vsque ad oculos meos aduolet, quasi amicum ipsum præsentem videam: & en, adest amicus reuera. Vnde hoc factum, vt mihi de eo cogitanti, amicus occurrerit? Ex accidenti, & casu. Poteramne igitur, cum ita spectrum illud mihi apparet, diuinare certò ad futurum iam iam amicum? Minimè, quando quidem spectrum illud cum amico, nullam habet necessariam connexionem, sicut etiam de somniis dicitur. Somniat aliquis, vinum se Creticum bibere. Manè fit, vt ad conuiuium inuitatus, Cretense vinum bibat. Hic effectus ex illo somno, nullam habet consecutionem, nisi per accidens. Ideo ex somniis huiusmodi, diuinare stultum est, nisi à Deo immissa sint. Ita etiam de phantasmatibus spectrisve, quando scilicet naturalia tantùm sunt.

An ex diuinis haberi possit.

Diuina verò spectra, pariuntne veram diuinationem? Omnino: & si cõstat, diuina esse spectra, sicut Prophetis contigit, licet ex eis res illas diuinare, quas demonstrant spectra: sicut etiam de somniis dicitur. Ratio, quoniam habent connexionem cum rebus illis, sicut speculum cum tua imagine,

imagine, quæ in eo relucet, cum Deus ipse ea pareret & offerat.

Ita etiam ex Diabolicis spectris, vera diuinationo futurorum aliquando fiet. Excitat enim Diabolus spectra in phantasia, quæ reuera futurum aliquid præ se ferant: sed tamen Diabolica est diuinationo, sicut exemplis Gentium patet. Summa: Diuinationo ex spectris naturalibus, inanis est: ex spectris Diabolicis, diabolica: ex diuinis, diuina.

An ex Diabolicis.

Hactenus de spectris, quæ intus gignuntur in phantasia, & inde per sanguinem spirituosum, ad sensoria vsque, id est, ad oculos corporis externos perueniunt.

De aliis verò spectris, quæ externis oculis in aëre genita offeruntur, atque ita præter apparitionem ipsam, aliquid sunt, dico:

De spectris in aere genitis qua præter apparitionem, etiam aliquid sunt

Primum, Et si multi hæc negent dari, fateamur tamen dari necesse est, propter testimonia omnium ferè historicorum, qui de iis multa scripserunt. Nota est historia, quam refert Plutarchus & Cicero, quòd dum Romani cum Tusculanis bellum gererent, Aulo Posthumio duce, & apud locum Regellum, pugna commissa ad multam diei partem tracta foret, & in neutram partem victoria inclinaret, visi sunt Castor & Pollux pro Romanis fortiter pugnare, qui hostium copias penitus profuderunt. Ibi præter visionem aliquid verè fuisse, manifestum est, si veræ sunt historiae. Dantur igitur hæc etiam externa spectra. Neque dici potest, omnes qui illa viderunt, deceptos fuisse. Notum est etiam spectrum, quod Iustinus lib. II. & Cic. in 2. de Orat. Simonidi cõtigisse scribunt.

I. an talia decur.

Quid? quòd experientia multorum id confirmat, & testimonia Patrum, vt inter alios Augustinus de spiritu & Anima, cap. præsertim 29. Sed in primis verbum Dei id testatur, cùm scilicet vel mali, vel boni spiritus formas hominum induti, multis apparuerunt. Non possumus ergo inficiari hæc spectra externa, quæ præter apparitionem etiam aliquid sunt.

II.
Quotuplicia
sunt.

Hæc verò spectra etiam sunt vel diuina, vt illa, quæ Deus oculis sanctorum offert, sicut rubus Mosi ostensus, quasi arderet: vel cùm Angeli formis humanis induti, apparerent, vt Angelus, qui Petrum eduxit de carcere: vel sunt Diabolica, vt illa, quæ Satan obiicit oculis impiorum, vel cùm ipsi met Demones, diuersorum animalium formis induti, apparent. Physica nulla dantur. Natura enim non gignit spectra, nisi in animo, quæ sunt ipsa phantasmata: sed gignit corpora vera, nō autem apparentia tantum: idcirco, qui solū naturalem Philosophiam sequuntur, spectra hæc, nec vllos spiritus, seu dæmones admittere possunt, vt sunt Aristotelici permulti. Aliquando quidē vmbra aliqua alicuius corporis vera, tibi erit præsertim noctu obuiam, ita vt tu hominem aliquem, vel serpentē, deniq; spectrum aliquod existimes: sed decipitur visus tuus. Hoc sæpe vsu venit timidis, vt pueris, vt mulierculis, si noctu ambulent, vt quod reuera spectrū non est, sed vmbra aliqua, spectrum esse putent. Id etiam contingit morbo aliquo graui affectis, vt phreneticis. Idem etiam Melancholicis. Aliquando etiam arte sagarum fascinantur oculi, vt patrem vel matrem demortuam videre videaris, cùm tamen nihil minùs videas,

dea,

deas, & non sint, nisi meræ præstigiæ & oculorum fascino. Vide Augustin. de spiritu & anima, c. 28.

Specetra igitur hæc, si physicè considerentur, nulla cum sint, nulla quoque inde diuinationis fieri potest. Ex diuinis verò præsentiri possunt illa, quæ spectra illa vel prædicunt, vel significant, seu præse ferunt, eaque diuinationis bona est, sicut fuit Prophetarum sæpe, ex iis, quæ oculis etiam corporis à Deo illis obiiciebantur. Ex Diabolicis etiam fieri potest. Sed Diabolica est, cum arte Diaboli fiat, ideoque Christianis fugienda. Ipse enim Satan semper ad decipiendum & perdendum sua spectra ostendit, & aliqua vera prædicat.

Plura de spectris dici poterant: sed quantum ad præsentem nostram quæstionem attinet, hæc satis: quorum in summa (vt dixi) duo sunt genera: vnum eorum, quæ menti tantum occurrunt, eaque duplicia, alia quæ nobis dormientibus, alia quæ nobis vel plenè vigilantibus, sed in tenebris degentibus, vel semiuigilantibus. Alterum eorum, quæ oculos etiam corporis feriunt, eaque duplicia: alia quæ præter ipsum phantasma internum, nihil sunt: ea gignuntur in phantasia, inde verò ad oculos vique perueniunt, & eos percellunt: alia, quæ præter phantasma, aliquid reuera sunt, ea in aëre vel à D E O, vel à Satana gignuntur, & oculis hominum offeruntur. Hinc patefactum, quæ diuinationis ex iis fieri possit, & quæ non, quæ licita & bona, quæ illicita & mala.

III.

An ex iis diuinationis haberi possit.

De sortibus.

Nunc ad sortes est transeundum, quæ eò diligentiùs considerandæ sunt, quòd de iis frequens fiat mentio in S. literis, & non solùm in profanis autoribus, sed etiam in quotidiano vsu sint frequentes.

Vna ex parte multa sunt loca tum in scriptoribus profanis, tum in S. literis, tum in Ecclesiasticis scriptoribus, quæ sortes in vniuersum damnare videntur. Cicero in 2. de Diuinat. eam omnino improbat, dicendo: *esse rem totam inuentam fallacis, aut ad quæstum, aut ad superstitionem, aut ad errorem.*

Deut. 18. *Non sit inter vos sortilegus, &c.* Ideo in Decret. p. 2. can. 26. q. 5. multi canones tum ex Conciliis, tum ex Patribus citantur, quibus hæc ars diuinandi per sortes prorsus damnatur.

Altera ex parte, multò etiam plura sunt, tum in Scripturis, tum in Ecclesiasticis scriptoribus, tum in communi omnium hominum, populorù & nationum consuetudine, quæ sortes commendant, iustamque & diuinã rem esse docent, vti sortibus. Leuit. 16. lubet Deus, vt summus Pontifex, duos accipiat hircos, & super vtrumq; sortem mittat: super quem ceciderit fors Domini, eum offerat, & faciat hostiam pro peccato. Num. 33. Sortibus distribui iussit filiis Israël terram Canaam.

Psal. 30. *In manibus tuis sortes meæ, &c.*

Prouerb. 16. *In sinum coniciuntur sortes, & iudicium illarum exit à Domino.*

Exempla etiam permulta in S. literis sanctorù hominum habentur, qui vsi sunt sortibus ad ea, quæ alioqui eos latebant, agnoscenda & agenda.

Ios. 7.

Ios. 7. ex præcepto Dei iudicio sortium vsus est ad agnoscendum & puniendum peccatum Achan, qui de anathemate surripuerat. i. Reg. 14. Saul etiam, licet impius, sortibus deprehendit filium suum Ionathan mel comedisse. Certè hæc ostendunt, ex sortibus verè multa secreta agnosci posse, hancque diuinationem non esse illicitam. Luc. 1. Zacharias sorte exiit, ut poneret in censum. Actor. 1. Matthias in Apostolum electus sortibus ab Apostolis.

August. in Psal. 30. exponens verba, *In manibus tuis sortes meae*, &c. multis ostendit, sortes non esse rem malam, sed bonam. Esse enim rem, in dubitatione humana, quæ diuinam indicet voluntatem. Idem alii tum antiqui, tum nostri temporis scriptores sacri testantur.

In Decret. p. 2. c. 26. q. 2. multi textus Patrum sunt, qui sortes probant. Huc accedit antiquissima, minimeq; vnquam improbata omnium Gentium & populorum consuetudo, vt in creandis Magistratibus, in diuidendis hæreditatibus, aliisque ciuilibus negotiis plurimis perficiendis, sæpe vtantur, atque vsi sint sortibus, idque ad retinendam publicam pacem & cõcordiam inter ciues, quæ res optima est. Vnde Salomon, *Contendentes fors componit, & inter fratres diiudicat*. Quare cum hoc pacto vti sortibus, sit Dei institutio, & iudicium Dei appelletur in Scripturis, sitque ceu ius naturale omnium populorum consuetudine cõfirmatum, manifestum est, & ex sortibus multa, alioqui secreta cognosci posse, & vti sortibus, nõ solum nõ esse illicitum, sed etiã optimũ, & quod alicui ex sorte obuenit, ex iudicio Dei obuenire.

F

*Sors secundum
dum Augustinum, quia
sit.*

Quæstio igitur hîc proponitur, *An Diuinatio per sortes licita sit, nec ne: & an liceat uti sortibus.*

Vt quæstio hæc meliùs explicetur, & rectiùs intelligatur, varias adferam responsiones.

Prima:

Sunt quædam opera, quæ suapte naturâ mala sunt, quia illis benè uti non possumus, v.g. vt adorare alios Deos, præter verum Deum Patrem lesu Christi: vt adorare statuas, & multa alia. In horum genere non est hoc opus, mittere sortes, seu sortiri. Alia sunt, quæ cum suapte naturâ, neq; verè bona, neque verè mala sint, mala & bona fieri possunt. Bona, si benè: Mala, si malè eis vtamur, v.g. Iurare, si malè vtamur iuramento, ita vt vel iuremus per coelum, &c. non autem per Deum: vel iuremus per Deum, sed temerè, malum est, ideoque prohibetur Matth. 5. *Nolite iurare neq; per coelum, &c.* Si verò benè, debitis scilicet seruatis circumstantiis, ita vt iuremus per Deum verum, idque in causis necessariis & in iudiciis, bonum est, ideoq; commendatur in lege. Idè dicendum de aliis. In horum operum genere reponitur & hoc, de quo quæritur, nèpe sortiri, seu mittere sortes.

An liceat

uti sortibus.

Absolutè igitur & per se, mittere sortes, seu sortiri, & uti sortibus, malum non est, neq; improbatum, aut damnatum: sed si benè vtamur, debitis seruatis circumstantiis, bonum est, ideoq; in S. literis præcipitur & commendatur. Si verò malè, malum est, ideoque prohibetur in S. literis, Deut. 18. vt suprâ vidimus, cum prohibetur sortilegium. Ideo August. in Psalm. 30. explicans verba illa, *In manibus tuis sortes meæ, &c.* inquit, *Sors non aliquid mali est sed res est in dubitatione humana, diuinam indicans voluntatem,* idque exemplo electi Matthias declarat;

declarat, dicendo: *Electi sunt duo, iudicio humano: electus de duobus vnus, iudicio diuino: de duobus consultus est Deus, quemnam ipsorum esse vellet, & cecidit sors super Matthiam.* Docet igitur ibi Augustinus, sortem non esse rem malam, sed bonam potius, subintellige, si benè vtamur, debitis seruatis circumstantiis, quibus omissis, res alioqui bona, de bona fit mala.

At quæ sunt hæ circumstantiæ? Multæ quidem sunt, sed quæ sint præcipuæ, postea recensebo & declarabo. Hæc est prima responsio in genere de sortibus, quam etiam tradit Luther. Tom. 4. suorum operum, Latinè editorum, in cap. 1. Ionæ, explicans verba illa, *Mutamus sortes, & c.* vbi etiã contra eos, qui in vniuersum damnant sortes, propterea quod sortes mittere sit (ipsorum iudicio) tẽtare Deum, docet vir doctissimus, longè diuersa esse, tentare Deum, & mittere sortes. *Tentare enim Deum est, quãdo (inquit) ex humana libidine, aut curiositate, non cogente vlla necessitate præscribimus Deo tempus certum, modum personam, locum, vt operetur, sed & iuxta captum nostrum, & rationi nostra humane se attemperet, sicut fecerunt Israelitæ in deserto.* At in missione sortis hoc non fit: sed ibi duo aut tria aut plures paciscuntur & conueniunt de aliquo negotio sorte finiendo (vt varia sunt rationes & modi sortiendi) nec eligunt certam personam, sed permittunt Deo sortis euentum: & de hoc tantum conuenit inter eos, vt ille sit electus à Deo, super quem sors ceciderit. Et ibi etiam tradit hæc verba: *Equidem existimo, missionem sortis esse opus fidei, quo tamen ex libidine, aut prauo affectu aliqui abutuntur nonnunquam, vt multi abutuntur iuramento &*

Tentare Deum, secundum Lutherum, quid sit.

potestate gladii: sed ibi vitium est non in opere, sed in
 persona.

Secunda.

Alteram responsionem haurio ex Comment:
 D. Brentii in 1. cap. Act. exponentis verba, *Et ceci-*
dit fors super Matthiam:

Duplex (inquit) est sortilegii genus: alterum, quo
 nulla Dei ordinatione, sed mera temeritate, & impia
 superstitione, futura aut occulta inquiruntur. ut si quis,
 exempli causa, sortibus exploraret, num post annum
 victurus esset, aut quid ageret Caesar in Hispania. Ra-
 tio, quoniam tales sortes nullam habent cum ipsis rebus,
 de quibus diuinare tentamus, connexionem. Ideo
 subdit, dicendo: *Quæ enim convenientia sortis cum*
vita (Cæsar) post annum, aut cum negotiis, quæ ha-
bet Caesar in Hispania? Et hoc genus sortilegii impium
est. Et quoniam tria exempla in S. literis habemus,
quando homines quædam occulta sortibus cognouerunt:
primum, Iosua, qui sortibus deprehendit peccatum
Achan. Secundum Saulis, qui sortibus deprehendit
Ionathan filium suum peccasse. Tertium nauitarum,
qui Iona peccatum sortibus cognouerunt: Idcirco respo-
det vir ille, exempla hæc sortiendi facta fuisse persona-
lia, ideoque non esse trahenda in exemplum. Quare di-
uinationem per sortes damnat.

Quamquam responderi etiam posset, sicut D.
 Lutherus in Ioniam, Iosua benè fecisse, cum sor-
 tibus est usus, quoniam iussus fuerat à Deo id fa-
 cere; Saulem autem peccasse, quia abusus sit sor-
 tibus, nempe ad necem filii: Nautas item fortè
 peccasse, &c.

Alterum genus sortiendi est, quod publica regionum
 consuetudine in diuidendis hereditatibus, in creandis
 Magistratibus, & in aliis quibusdam civilibus rebus
 usurpari

usurpari solet: & hoc genus non solum licitum est: sed etiam est ordinatio Dei, quemadmodum ibi probat: & de hoc sortium genere Scriptura ait, Prou. 16. In sinum coniciuntur sortes: sed à Deo iudicium illarum proficiscitur: Et iterum, Contendentes fors componit, & inter fratres diiudicat: Et concludens ait: Cùm igitur hoc sortiendi genus sit ordinatio & iudiciũ Dei, non solum licet eo uti, sed etiam quicquid alicui per illud obuenerit, hoc verè ipsi iudicio Domini obuenerisse sentiendum est.

Prou. 18.

Hæ quidem duæ responsiones satisfacere debent: sed tamen quoniam & sortis nomen, (vt supra dictum) frequens est tum in S. literis, tum in scriptoribus profanis & sacris; & sortiũ vsus frequentissimus est apud omnes, in negotiis tum publicis & ciuilibus, tum priuatis & domesticis, idcirco ego quoque, vt res meliùs intelligatur, aliquid addam, idque quàm breuissimè, quando-

Tertia respic-
sio.

Notandum igitur primùm quidem, quoad nomen, quod Latinè *sors*, Græcè κλήρῳ, Hebraicè *Gural* dicitur, hac voce nihil mali per se significari, sed (vt Augustinus docet) *rem in dubitatione humana positam, quæ diuinam indicet voluntatem*, atque à serie fortuito alicuius rei euentu, dictum vult Varro, vt *sors* sit quasi *fors*, à fortuna, à qua putabãt Gentiles Romani sortes gubernari. *Sors* igitur est actio humana, certis quidẽ rationibus constans, ad incertos autem diuersosque exitus, Numinis iudicio atque arbitrio exposita, idque vt ex eius euentu, aliquid vel prorsus occultum

Sors quid sit
2o

nobis innotescat: vel controuersum inter nos cōponatur.

3.

Qui modi
sortiendi.

Modi verò sortiendi varii sunt, & innumerabiles. Alii schedulis vtuntur, in quibus sua scribant nomina, illa miscent in aliqua pyxide vel vase, inde educuntur manu alicuius pueri. Alii talos iaciunt, alii tesseras, alii digitis micāt, sicut Cic. docet de Diuinat. lib. 2.

os. 7.
177.

Quos modos seruarint Hebrei, vt Iosua & alii, in mittendis sortibus, nos latet: quantum tamen ego memini, chartulis vtēbātur, in quibus nomina eorum, super quos mittebantur sortes, scribebantur: primò nomina Tribuum 12. scripsit Iosua: secundò, inuentā tribu, nomina familiarum, quæ in illa tribu cōtinebantur, scripsit: tertio, inuentā familia, nomina mulierum & virorum eius familiæ scripsit: ita tandē deprehensus est Achan sustulisse de Anathemate.

4.

Sunt autem alii modi honesti & liciti: alii minùs honesti & illiciti. Honesti, vt qui seruantur in Magistratibus eligendis, vt iunctæ simul festuæ, quarum alia maior, alia minor: vt schedulæ, in quibus nomina scribuntur. Minùs honesti, vt talos & tesseras iacere, vt chartulis depictis, sicut vulgò fit ab impiis, vt i & ludere.

5.

in quibus re-
bus generi-
bus sortes v-
surpari solite
seriunt.

Quinto igitur loco notandum, in tribus potissimum rerum generibus sortes vsurpari solere: primùm, in rebus quæ nos latent, cognoscendis, sicut fecerunt Nautæ, qui Ionam vehebāt, & sicut faciunt diuini. Secundò, in rebus diuidendis ac distribuendis, idq; ad omnem litem dirimendam, cùm inter nos non conuenit, v.g. vt cùm inter fratres diuidēda est hæreditas. De iis loquitur

Salo-

Salomon, cum ait, *Contendentes fors componit, & inter fratres diiudicat.* Tertiò, in rerum consultatione, ut cum duabus rebus propositis, de quibus ambigamus, vtra sit eligenda, sortes mittimus, sicut fecerunt Apostoli Act. 1. de iis loquitur Salomon Prouerb. 16. *Sortes mittuntur in sinum: iudicium autem illarum expectatur à Domino.* Hinc tres species sortiendi. Prima dici potest per sortes diuination: Secunda, per sortes diuisio: Tertia, per sortes consultatio. Hæc cum ita se habeant, nunc de singulis iis speciebus, diuersæ proponi possunt quæstiones, ad quas paucis etiam respõdebo. Primam speciem, in locum postremũ reuiciam, quia propriè pertinet ad quæstionem hanc de Diuinatione.

Circa secundam & tertiam speciem, vna tantum proponitur quæstio, *An liceat Christianis uti sortibus in rerum diuisione, ut cum aliqua hæreditas, vel lucrum ex communi societate acquisitum, est diuidendum: idem etiam queritur in rerum consultatione, ut cum eligendus est aliquis in consulem, vel in Episcopum, & duobus propositis in medium, qui ambo ita pares, in omnibus sunt, ut vter sit eligendus, ignoremus.*

R. Licet. Vtrumq; confirmatur tum locis scripturarum suprà citatis, ex Salomone: tum exemplo Apostolorum in electione Matthiæ, &c.

Sed hîc seruandæ sunt hæ conditiones, alioqui res bona & licita, fieret mala & illicita in iis sortibus mittendis.

Prima, ut euentus rei expectetur à solo Deo. Prouerb. 16. *In sinum mittuntur sortes: iudicium autem earum à Domino.*

Peccāt igitur primò, qui à stellis, seu cœlorum influxu euentum in sortibus exspectāt, quasi cœli dirigant has sortes, faciantque vt super hunc cadant, & super illum non cadant. Non sic ait Salomon: *Sed iudicium à Domino, non à cœlis.*

Peccant secundò, qui exspectant à fortuna, tãquam à quadam spiritali causa, quæ sortes dirigat. Vt cum aliqui, non valentes rem aliquam inter se diuidere, sortibus vtuntur, quasi exponentes fortunæ Deæ rem ipsam, vt ipsa declaret, quã quisque partem accipere debeat. Hæc etiam fors plena est vanitatis, nec est Christiana. Non sic Salomon Prou. 16. *Sed sortes prouiciuntur in sinum: iudicium autem illarum à Domino.*

Peccant tertio, qui à Satana, quod peius est, iudicium & euentum exspectant, sicut Ezech. 21. legitur, quòd Rex Babylonis steterit in biuio, in capite duarum viarum, diuinationem quærens, commiscens sagittas, interrogaueritque idola, & exta consuluerit. Non sic Salomon: *sed iudicium illarum à Deo, & quidem solo.* Ratio: Deus enim ille est, qui nouit omnia quæ futura sunt, & solus omnia decreuit. Cum igitur nos latet aliquid, ad Dominum solum est veniendum. Hoc est, quod Augustinus in Psal. 30. scriptum reliquit, explicās verba illa, *In manibus tuis sortes meæ, &c. Consideretur illud, In manibus tuis, non hominum, nec fortune, neque cœlorum, neque Daemonum sortes nostra.*

II.

Hinc altera conditio, ad fidem pertinens: Hic nihil aliud à nobis fieri, nisi quod rē, de qua ambigimus, Dei iudicio exponimus, vt ipse sortium euentu, ceu aperto testimonio, indicet quæ sua sit
ca de

ea de re voluntas. Si sortis euentus à nullo alio, quàm à solo Deo expectandus est: credendum igitur, sortis euentum, nihil aliud esse, quàm visibile certumque diuinæ voluntatis aliqua de re, nobis alioqui prorsus ignota, testimonia: ideoq; quicquid nobis sortibus obuenit, illud ceu æternum Dei decretum amplectendum nobis est. Cùm enim sortimur, reuera nihil aliud facimus, nisi quòd rem, vel personam, de qua alioqui dubitamus, Dei iudicio exponimus, vt ipse sortis euentu, ceu aperto testimonio, quæ sua sit ea de re voluntas, indicet.

Peccant igitur, qui sortium euentum, casum quendam esse existimant, qui citra voluntatem Dei euenit: ideoq; talem euentum, si videtur aduersus, blasphemando reiiciunt: si prosper, nō Deo acceptum ferunt. Est enim reuera sortis euentus, diuinæ voluntatis per hoc signum reuelatio. Hoc est, quod Augustinus scriptum reliquit in Psal. 30. Vbi duo in summa, præter alia docet: primum, sortē nihil aliud esse, nisi diuinæ voluntatis iudicium. Alterum, veram sortem, de qua præsertim David & Scripturæ sæpius, esse ipsam gratuitam Dei gratiam ac prædestinationem, seu æternam Dei voluntatē, quā gratis seruare quosdam, ad hoc ante Mundi constitutionem electos decreuit. Verba eius subiiciam, quia pulcherrima sunt. Exponens verba illa, *In manibus tuis sortes meæ.* Primò considerat illud, *In manibus tuis,* & ait, *Non in manibus hominum, sed in manibus tuis sortes meæ.* Secundò, considerat vocem *sortis*, dicēdo: *Quæ sunt ista sortes, quare sortes? Audito nomine sortium, non debemus sortilegos quærere. Sors enim non*

aliquid mali est, sed res est in dubitatione humana, diuinam indicans voluntatem. Tertio, probat hoc exemplo Apostolorum, quando elegerunt Matthiam, dicendo: *Electi sunt duo, iudicio humano: & electus de duobus vnus, iudicio diuino: de duobus consultus est Deus, quemnam ipsorum esse vellet, & cecidit fors super Matthiam.* Quarto concludit, dicendo: *Quid igitur est, in manibus tuis sortes mea? Sortes dixit, quantum ego existimo, gratiam qua saluati sumus. Quare sortis nomine appellat gratiam Dei? Quia in sorte non est electio (scilicet humana) sed voluntas Dei. Nam ubi dicitur, Iste facit, iste non facit, merita considerantur: & ubi merita considerantur, electio est, non fors. Quoniam autem Deus nulla merita nostra inuenit, sorte voluntatis suae nos saluos fecit, quia voluit, non quia digni fuimus. Hac est fors. Item, Gratiã salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis. Vide sortem: Et hoc non ex vobis, Dei enim donum est, &c. Item, Ipsius enim factura sumus, creati in Christo Iesu in operibus bonis. Hac quodam modo fors occulta est. Voluntas Dei in humano genere fors est, fors veniens de Dei occulta voluntate, apud quem non est iniquitas. Non enim ille personas accipit, sed occulta illius iustitia tibi fors est. Item citat illud Actor. 8. vbi Petrus ad Simonẽ, qui voluit pecuniã Spiritum S. comparare, ait: *Non est tibi fors, neque pars in fide hac, id est, non pertinens ad gratiam istam, quam gratis accipimus omnes, quia pecuniã putas te posse emere, quod gratis datur. ex eo autem, quod gratis datur, fors vocatur.**

Hæc omnia eò retulit Augustinus, vt declararet, sortem nihil esse, nisi voluntatem Dei, seu gratiam

gratiam Dei, quæ gratis datur, eâ præsertim, quâ elegit ante Mundi constitutionem (est enim illa fors occulta) & quâ deinde in Christo saluauit, iustificauit, &c. Hæc est fors reuelata, patefactaque, quæ cadit super electos, super quos voluit Deus. Concludit sermonem, dicendo: *Non mihi igitur promittat homo nescio quam particulam Deus meus, in manibus tuis sortes mea.*

Ego verò in hunc finem hæc verba Augustini retuli, vt ostenderem, sortis cuiusque exitum, hilari animo & fide amplectendum; quoniam fors, seu sortis exitus, nihil est, nisi voluntas Dei gratuita, quæ ante sortes alioqui occulta erat, sortibus verò declaratur.

Ad Honoratum: *Si inter Dei Ministros sit disceptatio, qui eorum persecutionis tempore maneant, ne fuga fiat omnium: & qui eorum fugiant, ne morte omnium deseratur Ecclesia: si hæc disceptatio aliter terminari non potest, quantum mihi videtur, qui maneant, & qui fugiant, sorte eligendi sunt.* Exemplum hoc facit ad controuersias componendas.

Hinc sequitur tertia, quæ est, si sortis euentus III. nihil aliud est, quàm diuinæ voluntatis, aliqua de re nobis prorsus occultæ, testimonium, quod sortibus declaratur: ergo cum alia ratione, vel lumine naturali, vel verbo Domini, fieri de aliqua re certiores possumus, sortibus non est voluntas Dei inuestiganda. Hoc enim esset tentare Deum. verbi gratia: vt si quis incontinens sortiri velit, an debeat vxorem ducere, nec ne: item, si ne voluntas DEI, vt Evangelii prædicationem amplectatur, nec ne.

Item, edendumne sibi sit, & bibendum, nec ne:
 Cùm hæc partim lumine naturali, partim lumi-
 ne verbi Dei nobis nota sint, esse secundum vo-
 luntatem Dei, sortibus hæc inuestigare, Deum est
 tentare: ideoq; huiusmodi fors illicita est. Erit
 igitur hæc tertia conditio, vt non nisi necessitate
 adacti, ad sortes recurramus.

*Non nisi vr-
 gente necessi-
 tate, ad sortes
 est recurren-
 dum.*

Confirmatur hoc testimonio Ambrosii in Lu-
 cam, dicentis, *Qui sorte eligitur, humano iudicio non
 comprehenditur.* Ergo, cùm sine sortibus electio a-
 licuius fieri potest, idq; humano iudicio est per-
 spicuum, ad sortes non est veniendum. Est enim
 fors, teste Augustino, *res in humana dubitatione po-
 sita, diuinam indicans voluntatem.* Si igitur non est
 dubitatio vlla, fors non est.

Sed hîc diligenter obseruandum est discrimê
 quoddam inter res Ecclesiasticas & profanas. In
 rebus profanis, v.g. in electione consulis, sæpe fit,
 vt multis viris ad consulatum propositis, iudicio
 nostro manifestum sit, quis ex iis omnib⁹ dignior
 sit, qui in consulem eligatur, & qui indigniores,
 ita vt quantum ad hanc cognitionem attinet, sor-
 tibus minimè opus sit: vtimur tamen sortibus in
 deligendo consule: in quem finem? Non in hunc,
 vt qui dignior sit, nobis innotescat: sed vt quod
 inter nos est quodam modo controuersum, Dei
 arbitrio componatur, ideoque publica pax & cõ-
 cordia conseruetur. Cùm enim regimen ciuita-
 tis, hunc inter alios scopũ habeat, vt publica pax
 & concordia inter ciues conseruetur, cedendum
 aliquando est iudicio nostro in electionibus istis,
 & res sortienda committenda arbitrio Dei, ad
 pacem hanc conseruandam.

In re-

In rebus verò Ecclesiasticis alia est ratio. Exem-
plum. Eligendus est aliquis in Episcopum: multi
proponuntur, quorum alius alio est dignior, ut-
pote doctior, grauior, sanctior, prudentior. Hic
certè ad sortes currendum non est, etiamsi multi
ex his propositis viris, officium illud Ecclesiasti-
cum appetant. Ratio est, quoniam hinc non pro-
priè inter aliquos fratres concordia & pax, sed
totius Ecclesiæ salus, & gloria Dei in primis spe-
ctanda est. Docet hoc Paulus ad Timoth. & Tit.
non iubet, ut in eligendis Episcopis utantur sor-
tibus: sed ii eligantur, qui describuntur 1. Tim. 3.
& Tit. 1. Idem Apostoli docent in electione septem
Diaconorum, Act. 6. Secus autem erit, si duo ad
Episcopatum proponerentur, quorum alter alte-
ro dignior non esset, sed alter alteri par omnino
esset virtutibus: tum sortes locum haberent. Qua-
re? quoniam cum lateat nos, vter futurus sit Ec-
clesiæ utilior, tota illa electio, Dei iudicio est cõ-
mittenda, ut ipse vtrum velit eligere, indicet. Hu-
ius exemplum esto electio Matthiæ. Duo propo-
siti ad Apostolatam, Ioseph, qui *Barnabas* voca-
tur, cognomine Iustus, & Matthias: ambo digni.
Sortibus igitur utuntur: quanquam propria ra-
tio, cur ad sortes venerint Apostoli, est, quoniam
electio ad Apostolatam immediatè à Christo
fieri debebat, non autem ab hominibus. Ideo
propositis duobus, qui omnium dignissimi vide-
bantur Apostolis, electionem ipsam totam Chri-
sto committunt, ut sortibus declaret, vtrum ele-
gerit.

*Cur Apostoli
in electione
successoris
Iuda, vbi
fuerint sorte-
bus.*

Augustinus aliud exemplum adfert in epist. ad
Honoratum.

Est etiam notandum, quòd aliquando aliquid in genere quidem ex verbo Dei scimus: sed ubi ad singularia ipsa venit, quid agendum sit, ignoramus: tunc certè necessitate urgente, sortibus perscrutanda est Dei voluntas. Exemplum adferam Augustini, Tom. 3. de doctrin. Christ. lib. 1. c. 28. In genere scimus ex verbo Domini, indigentibus, pro nostra facultate succurrendum esse. Modò sit, ut tibi aliquò iter facienti, & nil nisi obulum vnum panis habenti, obuiam fiant pauperes duo, fame ambo pereuntes, quorum alter, alterum nec indigentia, nec aliqua erga te necessitudine, nec Christiana pietate superet: tu utrique succurrere non potes, vni tantum illud panis frustum dari potest: hinc utri sit dandum, prorsus hærebis. Quid igitur agendum? sortibus inuestiganda est Dei voluntas, utri velit panem illum dari. Verba Augustini hæc sunt: *Si tibi abundaret aliquid, quod dari oporteret ei, qui non haberet, nec duobus dari posset: si tibi occurrerent duo, quorum neuter alium vel indigentia, vel erga te aliqua necessitudine superaret: nihil iustius faceres, quam ut sorte eligeres, cui dandum esset, quod dari utrique non posset.*

IV. *Conditio.* Hinc quarta conditio, quæ est, cum in sortibus mittendis diuinum oraculum, seu diuinæ voluntatis iudicium imploretur: Ergo siue cum de aliqua re deliberandum est & consultandum: siue cum aliquid inter fratres est diuidendum: fortitendum non est, nisi res sint & honestæ & graues. Honestæ, propterea quòd, cum Deus turpia & inhonesta nolit, in rebus turpibus & inhonestis, voluntas Dei non est expectanda. Graues propterea

Sortes mittende tantum in rebus honestis & grauis.

pterea quod diuina oracula cum sint sacrosan-
cta, ad res quasvis leuissimas & nullius momenti,
conuertenda non sunt. Ideo August. Tom. 2. epist.
119. c. 20. *Hi verò qui de paginis Euangelicis sortes le-
gunt, etsi optandum est, ut hoc potius faciant, quàm ut
ad Dæmonia consulenda concurrant: tamen ista et-
iam mihi displicet consuetudo, ad negotia secularia, &
ad vitæ huius vanitatem, propter aliam vitam loquen-
tia, diuina oracula velle conuertere.*

Peccant ergo illi, qui pro quauis re vel leuissi-
ma, vel etiam turpi sortiuntur, vt passim, præser-
tim apud Papistas fit. Nisi enim res sint quæ vel
ad gloriam Dei, vel ad ædificationem Ecclesiæ,
vel ad publicam pacem & bonum, vel deniq; ad
fraternam charitatem faciant, de illis sortiendum
non est.

Quinta, vt cum Dei viuentis reuerentia & in-
uocatione, semper sortes mittantur. Id docet ex-
emplum Apostolorum in Actis. Collecto fratrum
cœtu, & precibus ad Deum fuis, cum magna Dei
reuerentia & timore sortes miserunt.

V:
Cum reue-
rentia & in-
uocatione
nominis di-
uini mitten-
da.

Peccant igitur illi, qui sine vlla Dei inuocatio-
ne & reuerentia, sed vel cum Dæmonum, vt infi-
deles: vel cum hominum demortuorum, inuo-
catione, vt Papistæ: vel ioco & risu, vt vulgo fit,
sortiuntur.

Hæ mihi conditiones præcipuæ visæ sunt, quæ
in sortibus iis mittendis seruari debent: & tunc
sortis bona est & licita, Deoq; grata, & opus fidei.
Hæc de duabus speciebus postremis sortium, qua-
rum altera in electione, altera in diuisionibus
consistit;

*Quaestio.
An liceat
sortibus fu-
tura & abdi-
ta, cognoscē-
di tantum
causā inue-
stigare.*

I.

De prima verò specie, quæ in rebus tantum cognoscendis consistere videtur, vnica etiam quaestio proponi potest: *An liceat sortibus futura vel abdita, cognoscendi tantum causa, inuestigare, seu diuinare.*

R. Primò, in S. scripturis non habemus neque verbum vllum, quòd liceat futura sortibus explorare: neque exemplum vllum, quod quispiam futura sortibus inuestigarit. Nihil autè est Christianis agendum, cuius vel præceptum, vel exemplum aliquod in S. literis non habeant: vel saltem ex verbo Dei necessaria consecutione deduci non possit. Sortibus ergo futura inuestigare, sicut faciunt sortilegi, impium est.

De præteritis autem sorte inuestigandis, exemplum habemus in S. literis sine vlla dubitatione probatissimum, Ios. 7. Cùm scilicet Iosua peccatum Achan iam commissum, sorte inuestigat & deprehendit. Sortibus igitur præterita inuestigare, per se malum non est: alioqui malum etiam in Iosua fuisset.

Sed hinc notandum, quòd Iosua sortibus non est vsus in cognoscendo peccato Achan, tantum vt cognosceret: sed in hunc finem cognoscere voluit, vt illo punito, ira Dei contra populum vniuersum placaretur. Vnde sortes illæ Iosua tum ad gloriam Dei, tum ad salutem totius populi faciebant.

II.

Hinc concludamus, sortibus ergo abdita inuestigare tantum cognoscendi causa, idq; ex curiositate, impium est, nec licet Christiano. Hinc sequitur secunda responsio, quæ regula est generalis; Abdita siue præterita, siue præsentia, siue futura,

futura, quorum cognitio nihil aut ad gloriã Dei, aut ad ædificationem Ecclesiæ, aut ad publicum bonum, aut denique ad fraternam charitatem: sed tantum ad meram curiositatem facit, inuestigare, impium est, & peccatum. Cum autem tales sint sortes, quibus sortilegi seu diuini vtuntur: idcirco talis diuinatio impia est & Diabolica. Hæc est illa, quæ propriè Diuinatio per sortes, seu sortilegium & κληρονομία appellatur, & tum in S. literis Deuter. 18. tum in Decret. p. 2. c. 26. q. 5. ex multis Patrum & Cõciliorum autoritatibus damnatur. Illa verò, quæ tum est in rerum diuisione, tum in consultatione versatur, improbari nõ potest. Sed bona est & Christiana ac licita, vt diximus. Atque hæc de sortibus satis.

Dicendum nunc est de φυσιογνωμία: An aliqua sit rerum futurarum, vel alia ratione abditarum, ex φυσιογνωμία præfensio seu cognitio: & quatenus Christiano sit licita, quatenus non sit.

De hac in S. literis nulla penitus fit mentio, neque vllum prorsus habemus in Theologia exemplum: idcirco hæc Theologικῶς considerari non potest. Philosophi multa de hac scripserunt: diuini etiam multa ex φυσιογνωμία præcognoscere ac prædicere se profitentur. Ergo φυσιογνωμία φυσικῶς tantum & μαθητικῶς considerari potest.

Si igitur Physicè consideretur, dico, multa, nempe naturales hominum affectiones ac propensiones, alioqui nobis abditas, è φυσιογνωμία, seu è totius corporis inspectione, cognosci ac prædici, seu diuinari verè & legitimè posse: idque propterea, quod Physiognomia, cum illis affectionibus & propensionibus, certam habet connexionem,

Ex physiognomia quænam cognosci ac prædici possint.

ideoque naturalem è physiognomia rerum ab-
ditarum & futurarum prædictionem, veram esse
ac licitam Christiano.

Hoc autem ita esse, ex iis quæ à Philosophis dis-
putata & explicata de physiognomia narrabo;
perspicuum fiet.

Traduntur autem multa de physiognomia
cùm ab aliis Philosophis, tum etiam ab Aristote-
le, in lib. cui titulus est *φυσιογνωμική*. Vbi primùm
disputat, an detur *φυσιογνωμία*, seu, an fieri possit,
vt ex corporis aspectu, Animæ affectiones ac pro-
pensiones cognoscantur. Secundò, disputat de
modo, quò fieri *φυσιογνωμική* possit: & qualisnam
sit explicat. Tertiò, tradit, de quibus rebus sit
physiognomia, seu quidnã ex corporis aspectu,
cognosci in homine possit. Quartò, docet, ex qui-
busnam rerum generibus, quæ in humano cor-
pore sunt, signa physiognomizandi accipi pos-
sint. Postremò, sigillatim signa hæc explicat, &
quid vnumquodque indicet, fusissimè tradit: quæ
omnia recensere tum longum, tum superuaca-
neum est. Illa tantùm tum ex Aristotele, tum ex a-
liis Philosophis referam, quæ ad præsentem caus-
sam nostram de Divinatione spectant. Sunt au-
tèm hæc capita.

*Præcipua ca-
pita de phy-
siognomia.*

*Physiognō-
mīa dicitur
scilicet cognitio
naturæ & ingenii
hominis ex
aspectu corporis.*

I. An detur Physiognomia, seu, an verè ex cor-
poris aspectu, humanæ Animæ, seu hominum af-
fectiones ac propensiones cognosci ac præsentiri
possint. Ipsa enim nominis *φυσιογνωμική* notatio,
significat Philosophis scientiam illam, quã vel ex
totius corporis, vel alicuius partis corporis aspe-
ctu, de hominis natura & ingenio iudicamus: Et
à Philosophis sic definitur, quòd sit scientia, qua
naturales

naturales humanæ Animæ, seu hominū affectus, qui nobis insunt, aut alterato corpore, aut quibusdam signis affecto, per signa permansiva, necessario cognoscuntur. An igitur talis scientia datur, primo loco inquirendum est.

II. Alterum caput est, de quibusdā rebus propriè sit Physiognomia, seu quænam in homine latentia, ex corporis aspectu, cognosci possint, videlicet naturales Animæ affectus.

III. Tertium, de signis, per quænam signa, huiuscemodi naturales Animæ affectus cognoscantur, nimirum per signa permansiva.

IV. Quartum, de necessitate physiognomiæ: An hi naturales affectus, per hæc signa permansiva, necessario cognoscantur.

DE PRIMO.

Quoad primum caput, Stoici negarunt Physiognomiam, dicentes, fieri non posse, ut ex corporis aspectu, interni Animæ affectus, & hominis mores cognoscantur: quoniam (inquirebant) mores & affectiones hominum extrinsecus homini accidunt; non autem ab Anima intrinsecus proficiscuntur. Chrysippus quidem dixit, Animas ex mortuorum corporibus, mores & affectiones ferre in corpora nova: Panætius autem & Possidonius tradiderunt, Animas mores ex stellis deducere. Hanc ob causam negarunt ex signis, quæ sunt in corpore, internos Animæ affectus cognosci posse. At fundamentum hoc falsum est. Reliqui igitur ferè omnes naturales Philosophi, Physiognomiam fassi sunt, in primis verò Hermes

Physiognomiam quidem negarunt.

Zophyrus, Loxus, Philemon & Palæmon, qui auctores physiognomiæ fuisse dicuntur. Deinde eam confirmat Aristoteles, Galenus & alii Medici.

Quibus rationibus Aristoteles animam probet.

Ac primùm quidem Aristoteles hanc probauit iis rationibus:

1. Inter Animam humanam (scilicet qua homo uiuit, & sentit, & mouetur, non autem qua intelligit) tanta est *συμπάθεια*, ut quemadmodum corpora afficiuntur ab animis, excitatis affectibus: ita vicissim Animæ (per accidens tamen) afficiantur & patiantur à corporibus: & sicut corpora sequuntur animæ affectiones: ita Animæ sequuntur corporum qualitates: *ὅτι* (inquit Aristoteles initio Physiognomicorum) *ἢ Διάνοιαν ἔπονται τοῖς σώμασι ἢ ὅτι εἰσὶν αὐτὰ μετ' ἐαυτῶν ἀπάθεισ' ἕσονται τῶν τῶ σώματι κινήσεων.* Hoc probat & aperit exemplis aliquot perspicuis. Quòd Animæ afficiantur & patiantur à corporibus, seu à corporū passionibus, demonstrat in ebriis & ægrotis. Videmus enim, quòd si quis inebrietur, dum ebrius est, insanit, homines non agnoscit, nullius recordatur: certè tunc Animam alteratam esse, ex corporis alteratione, & corpori patienti ipsam quoque compati, manifestum est. Idem patet in iis, qui aliquo graui morbo laborant, quòd ægrotante corpore, Anima quoque patiatur. Quamobrem? propter *συμπάθειαν* inter Animam & corpus. Quòd verò vicissim ex Animæ passionibus & affectibus, corpus afficiatur & patiatur, patet in amoribus, in timoribus, in tristitiis, gaudiis, quæ sunt Animæ affectiones: Animam amante, corpus afficitur amore. Videmus enim multos ex nimio amore, qui affectus

affectus est Animæ extenuari, macrescere, aliquādo interire: Ex timore verò, qui est in Anima, corpus pallere videmus: imò aliquando ita comprimi, vt multi subitâ morte perierint: propter etiã maximas tristitias & dolores, multi belluis similes facti sunt: rursus propter nimias animi voluptates & lætities, multi periisse leguntur. Corpora igitur ab animorum passionibus afficiuntur, & contrâ.

Confirmatur hæc propositio ab aliis etiam Philosophis.

Galenus, pueri cùm primùm in lucem eduntur, alii timidi, alii gulosi, alii inuerecundi, alii aliis modis naturâ morati & affecti nascuntur. Hoc autem quid docet, nisi quòd Animæ sequantur corporum qualitates?

A permutatione cõplexionis. Permutatâ corporis complexione, sæpe permutantur & mores. v.gr. cholera abundante in cerebro, in desipientiam trahimur: nigra bile, in melancholiam: phlegmate in lethargum: sicq; complexione mutatâ, in varios mares mutamur. Quid hoc docet? nisi quòd Animæ affectiones, sequuntur corporum habitudines? Hinc autem est physiognomizare.

Plato quoque hoc fundamentum Aristotelis comprobatur. Nam in Timæo dixit, corpora tantò esse prudentiora, quantò humiditatis sunt minùs participantia. Ergo indicat, Animas, propter corporum qualitates alterari.

Idem ex permutatione ætatum docuit. Pueri alios mores, alios iuuenes, alios viri, alios senes ducunt.

Aristotel. in 2. De partib. ex varia sanguinis natura, mores in animalibus differre scribit: vnde exangues timidiores esse sanguinem habentibus, asserit. Taurum & aprum iracundos & fortes: quoniam eorum sanguis feruentissimus est.

Hippocrates etiam tradit, mores naturales sequi potentias naturales; & potentias, complexionum. Complexionum verò diuersitates, pendere ex diuersitate regionum: morum autem diuersitatem, pendere ex diuersitate complexionum. Id patet: alios esse mores naturales Hispanorum, alios Italorum.

Ptolom. quoque in 2. Apotelesmatum libro, affirmat, ex differentia climatum, differentias pendere complexionum: ex differentia verò complexionum, differentias morum.

Loxus Physiognom. rem sic probat: quod fertur, sapit naturam sui deferentis. Anima fertur in corpore: Ergo sapit naturam corporis.

DE SECVNDO.

*Quanam res
è physiogno-
mia cognosci
possint.*

Quoad secundum, *quanam res in homine, è physiognomia cognosci possunt?* R. Primò, Non actiones ipsæ, quas aliquis vel fecerit, vel facturus sit. Ratio, Nullam enim habent cum physiognomia certam connexionem: sed ipsæ tantum Animæ affectiones, *ὡς τὰ πάθη*. Ex corporis igitur aspectu iudicare, aliquè hoc vel illud egisse, vel acturum esse, temerarium est, nec ad veram physiognomiam attinet.

Secundò, Non omnes Animæ affectiones, sed tantum naturales. Sunt enim quedam Animæ affectiones

fectiones naturales & essentielles, seu à natura insitæ: quædam verò accidentales, seu aduentitiæ. Accidentales sunt, quæ naturæ quidem insunt, sed ex eo, quod insunt, nulla in corpore fit mutatio, seu nullum sui in corpore indicium præbent. Huius generis sunt scientiæ & artes, quas addiscimus & nobis comparamus. Circa has physiognomia naturalis nõ versatur, seu ex corporis aspectu sciri non possunt. Ratio, quoniam nullum sui indicium in corpore præbent, quod in earum cognitionem ducat, seu quoniam nulla in corpore signa esse possunt, quæ aliquã cū iis accidentalibus Animæ affectionibus, artibus, scientiisque habeant connexionem. v. gr. Quod enim signum in nudo hominis corpore esse potest, quod aliquem demonstrat esse Medicum, vel fore Theologum? Circa has igitur non versatur Physiognomia. Ex corporis igitur aspectu iudicare, aliquem futurum vel Philosophum, vel Medicum, &c. temerarium est.

Naturales verò affectiones Animæ sunt, quæ cū in nobis insint, aliquod etiam sui indicium ac testimonium in corpore præbent: v. gr. ut sunt ira, metus, gaudium, libido, &c. Cū istæ affectiones naturales in Animæ existentibus, aliquod etiam sui testimonium in corpore, præsertim in facie præbeant: idcirco dicimus, ex iis signis, & mutationibus, quæ apparent in corpore, huiusmodi affectiones cognosci posse: & hæc est physiognomia.

Sed hîc tertio est notandum, has naturales Animæ affectiones considerari posse bifariam: primo, quatenus sunt actuales affectiones, seu actus

exteriores, v. gr. vt cūm quis actu incontinens est, actu libidini carnis deditus, & id genus alii. Secundò, quatenus sunt affectus insiti quidem in Anima, à corrupta natura, sed actu non exercentur: & tunc propriè appellantur propensiones ad tales affectus. v. gr. vt cūm quis ad lasciuiam quidem suapte naturâ propensus est: sed tamen gratiâ Dei fit, vt actu lasciuia operam non det: sed eam coherceat, frenet. Physiognomia igitur naturalis propriè circa has affectiones, quatenus sunt actuales, non versatur, nec ex lineamentis corporis tales actuales mores agnosci per se possunt, nisi ex accidente, quatenus scilicet accidit, vt qui ad lasciuiam, v. gr. est propensus, ei etiam operam det: sed circa has naturales affectiones, quatenus sunt propensiones naturales, propriè versatur physiognomia, & è corporis aspectu certò agnosci queunt. Quare diuinare, v. gr. è corporis aspectu, aliquem actu vel esse, vel fore luxurie deditum, temerarium & impium est: & hæc est propriè illa per physiognomiam diuinationo, quæ improbatur. Diuinare verò, eū esse ad lasciuiam propensum, naturalis est & certa scientia: & hæc improbari non potest neque vt falsa, neq; vt impia.

Notum est illud, quod Cicero de Socrate in lib. de Fato tradit. Socratem notauit Zophyrus physiognomon, qui se profitebatur hominum mores naturasq; ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoscere. Cūm multa in conuentu vitia collegisset in Socratem Zophyrus, qui se naturam cuiusque ex forma perspicere profitebatur, derisus est à cæteris, qui illa in Socrate vitia non agnosce-

rent:

rent: ab ipso autem Socrate est subleuatus, cum illa sibi signa inesse, sed ratione à se deiecta diceret. Falsus igitur est Socrates, verum agnouisse Zephyrum, quantum ad naturalem propensionem in talia vitia attinet: sed quantum ad actualia ipsa vitia, hallucinari. Constat igitur, de quibus propriè sit naturalis physiognomia.

DE TERTIO.

Per quæ signa in corpore hæ naturales Animæ *Per quæ si-*
 affectiones cognoscantur, Aristot. lib. *Dei Physiogn.* *gna natura-*
 duo genera signorum tradit. Primò quædam ap- *les Anima*
 pellat ingenita & *μύμησ*, permansiva, siue stabilia, *affectiones*
 seu à natiuitate vsque ad mortem in corpore per- *cognoscantur.*
 manentia & inseparabilia. v. gr. qualia sunt ipsa
 corporis lineamenta, magnitudo, vel paruitas ca-
 pitis, cutis dura vel mollis, extrema corporis ma-
 gna vel parua: denique omnia quæ à corpore se-
 parari non possunt.

Aliud genus signorum est illorum, quæ in cor-
 pore non sunt permanentia, & horum alia vocat
ἐπεισρόμματα, aduentitia, scilicet quæ non sunt à na-
 tura insita corpori, sed à causa externa recens ad-
 ueniunt, vt ab ægritudine, à vulnere, qualia sunt,
 v. gr. oculorum cæcitas, cicatrix in facie, &c. Alia
 vocat *ἀπογινόμματα*, discedentia, id est, quæ congenita
 quidem sunt à natura in corpore, non tamè per-
 durant, sed procedente ætate prorsus discedunt
 & delentur, vt colores capillorum, qui nascentur
 rubei, in senectute verò tandem fient albi. Alia
 appellat *ἀπολείπονται*, deficientia, id est, quæ à natu-
 ra quidem insita erunt, & etiam perdurabunt: sed
 tamen non in eadem dispositione perdurant, sed
 paulatim deficiunt, v. gr. qualis est staturæ erectio,

quæ aliquādo in senectute curuatur. Hæc omnia huius secundi generis signa mutabilia sunt, non permanentia.

Dico igitur, quòd per signa primi generis, naturales Animæ affectiones in Anima permanentes cognosci à physiognomone possint. Ratio, quoniam (ait Aristoteles) quæcunque signorum *μόνιμα*, mansiua sunt, *μόνιμοναυτιχά σωμαίνας*, mansiuum etiam aliquid significant. Sunt autem naturales Animæ affectiones, in Anima permanentes: Ergo per signa permansiua significantur.

Per signa verò secundi generis nequaquam à physiognomone cognosci possunt, nisi per accidens. Aduenientia enim (ait Aristoteles) & discedentia, & deficientia, quonam modo vera erunt eius signa, quod manet in Anima? Possunt quidem etiam hæc transeuntia signa aliquid quod in Anima manet significare: verum non per se, sed ex accidenti. Exemplum, vt rubedo faciei, quæ recens adueniat, & discedit, potest quidem esse signum verecundiæ, vt Terent. *Erubuit, salua res est*; sed tamen per se propriè signum nõ est, quod verecundiam semper, & in omnibus indicet. Manifestum igitur est, per quæ signa propriè fiat *φυσιογνωμία*, idque in genere. Singula verò signa Aristoteles explicat, quæ ad nostrum institutum non faciunt. Velle igitur è signis transeuntibus, vt ex colore faciei, capillorum, &c. aliquid certi de internis affectionibus asserere, temerarium est & vanum; sed tantum è signis permansiuis fit.

DE QVARTO.

Postremò nunc videndum, An per hæc signa permanſiua, affectiones & mores Animæ, neceſſariò agnoſcantur, ita vt ſcientia hæc & prædictio firma ſit, & falla eſſe non poſſit.

An per ſigna
permanſiua
naturales
animæ affe-
ctiones neceſ-
ſariò agno-
ſcantur.

Quidam negant, his præcipuè rationibus.

Si ſcientia hæc eſſet neceſſaria, tunc neque virtutum ſtudioſis vlla eſſet laus: neque vitioſis vlla vituperatio. Eorum enim quæ à natura ſunt, neque laus eſt, neque vituperatio. Argumentum eſt Galeni.

1.

Multi habent ſigna mala, & tamen boni ſunt, vt patet de Socrate.

2.

Voluntas eſt libera, & poteſt in contrarium eius, in quod naturâ inclinât, duci.

3.

Si ita eſſet, mores tam boni, quàm mali eſſent à natura. Alii tamen, vt Ariſtot. &c. aliter docent.

4.

R. Vt conſuſio hæc, quam vera ſit, pateſiat, notandum eſt. Primùm, omnibus Animalibus commune eſſe, vt ab inclinatione naturali acta agant, vel patiantur: ſed hæc inclinatio naturalis, in brutis *impetus*, & Græcè *ὀρμη*: in hominibus verò *propenſio* appellatur. v. gr. In cholericò, inclinatio eſt ad iram: in Melancholico, ad metum: in ſanguineo, ad iucunditatem: in phlegmatico, ad ſegnitiem. Iſtæ igitur inclinationes in brutis *impetus*, in hominibus *propenſiones*. Item, in brutis mores & affectus, quoniam ſenſibus & appetitu viuunt: in hominibus autem, morum atque affectuum ſemina, quoniam ratio moderari illi poteſt, appellantur.

Secundò, notandum, Aliquid dici poſſe tale,

aut actu, aut naturali aptitudine, seu *ἐνέργεια καὶ δυνάμει*. Exemplum. Æstas naturali quidem aptitudine calida est: contingit tamen ei aliquando actu esse frigida. Auster ventus, naturali aptitudine, siccus est: ei tamen aliquando contingit actu esse humido. Iam notatis his distinctionibus, dico, ut perspicuum est, physiognomiam, scientiam esse necessariam, quatenus per ipsam præsentimus ac prædicimus naturales aptitudines, seu propensiones ad mores & affectus: & scientia hæc vera & certa est, ideoque improbari non potest.

Quatenus verò ex physiognomia actuales affectus ac mores diiudicare ac diuinare volumus, scientia non est neque necessaria, neque firma ac certa, ideoque temeraria & illicita est hæc diuinationo per physiognomiam. Exemplum: Ut si videas aliquem sanguineum esse, aliaque propria libidinosi hominis signa habentem, & iudices, dicasque hunc ad libidinem esse propensum: iudicium istud tuum verum est, & certa ac necessaria scientia, eaque naturalis, ideoque improbari non potest ista non diuinationo, sed scientia. Ratio, quoniam talia signa, connexionem habent necessariam & certam cum illa ad libidinem propensione naturali. Et hæc propriè est physiognomia. Si verò iudices dicasque, actu & re ipsa libidinosum esse, iudicium istud tuum temerarium est, & cognitio nec certa aut firma, nec necessaria, ideoque illicita est Christiano. Ratio, quoniam signa illa, connexionem non habent nec certam, cum actuali libidine. Fieri enim potest, ut vel ratione, vel potius gratiâ Dei, propensionem illam
domet

Quatenus
physiognomia sit necessaria sciētia.

domet & cohibeat, ne actus suos exerat, sicut in exemplo Socratis supra allato patet. Et huc spectant argumenta supra contra hanc physiognomiae necessitatem allata.

Hic tamen notandum, quod quoniam homines plerumque sensu viuunt, non autem ratione: & destituti gratia Dei, suas propensiones ceu bestiae suas *ὁρμῆς* sequuntur, ob quam causam Bias Prieneus, dictitare solebat, *plures esse malos, quam bonos: quoniam plures appetitu, quam ratione mouentur:* ideo plerumque etiam (quanquam ex accidenti) contingit, ut est physiognomia, non solum propensiones, sed etiam actuales mores hominum verè praesentiamus ac diuinemus. Hanc ob causam, quidam Philosophi dicunt *φυσιογνωμίας* scientiam esse praedicendi ex signis, quae sunt in corpore, semper quidem & necessariò & per se, naturales Animae humanae, tam ad vitia, quam ad virtutes propensiones: per accidens verò & plerumq; etiam ipsos actuales hominum mores.

*Cur è physio-
gnomia non
tantum pro-
pensiones, sed
etiam actua-
les mores ve-
rè praesentiri
interdum
possint.*

Ex iis, quae de naturali physiognomia à Philosophis accepta, retulimus, perspicuum est factum, id quod initiò dixi, est physiognomia (quae quid sit ostendimus, & eam dari probauimus) per physiognomiam inquam, seu est totius corporis inspectione, per signa, quae in corpore apparent perman sua, multa, id est, naturales humanae Animae affectiones ac propensiones, verè, necessariò, & legitimè, cognosci ac praesentiri posse: hanc verò non esse diuinationem, sed naturalem certamq; scientiam. Quare hanc damnari aut improbari non posse.

Si verò *μεντικῶς* consideretur, quatenus scilicet

diuini hac physiognomia ad actuales cuiusque mores, imò ad actus ipsos certò prædicendos abutuntur: dico diuinationem hanc per physiognomiam, neq; certam, neq; necessariam, esse scientiam: sed per se inanem ac temerariam: quãquam per accidens interdum vera sit, vt supra diximus. Christianis igitur licita est naturalis physiognomia, qua scilicet per signa in corpore permanens, naturales hominum affectiones ac propensiones verè & necessariò cognoscimus. Ratio, quoniam signa illa connexionem habet necessariam cum propensionibus illis. Physiognomia autem *per accidens*, qua scilicet diuini abutentes profitentur se nosse è cuiusq; hominis forma ac vultu, actuales ipsius mores & affectiones, Christianis licita non est, cum sit tota & inanis & temeraria. Hæc de physiognomia satis.

De Chiromantia.

Nunc de chiromantia, quam cõstituunt quinquam speciem artificiosæ diuinationis, quæ aliquid rationis habere videtur.

Quid sit.

Chiromantia quid sit, ipsius nominis notatio indicat: *diuinationis est, qua fit ex manuum inspectione.* Est autem species quædam physiognomicæ. Quod igitur de physiognomia dixi, idem de chiromantia dicendum est.

Quantam ex manuum inspectione verè & certò cognosci possunt.

In S. literis, ne verbum quidem vllum de chiromantia habemus. Ergo Theologicè considerari non potest. Philosophi autè de hac locuti sunt, & diuini hac abutuntur. Ergo & *Physicòs & Magicòs* considerari potest.

Si ergo consideretur *Physicòs*, dico, ex manuum inspectione verè & certò cognosci posse cum corporis constitutionem, tum multorum affectionum

etuum

ctuum propensionem. Ratio, quoniam signa quæ sunt in manu, vt illa lineamenta, inter quæ numeratur & linea vitalis ab Aristotele & Medicis, signa, inquam illa, connexionem quandam certam & necessariam habent cum corporis constitutione, & affectuum propensione. Actuales verò mores, aut futuras contingentes adiones ac dignitates, verè ac certò præsentiri ac prædici posse ex manuum inspectione, inficior. Ratio, quoniam lineamenta manus seu vitæ, nullam certam aut necessariam, cum actualibus moribus, aut futuris actionibus connexionem habent. Exemplis res fiet illustrior.

De histor. animal. lib. 1. cap. 1. § 2. lib.

Ac primò, de corporis constitutione, ad longam vel breuem, felicem vel calamitosam vitam degendam, exemplum adferamus: deinde, de affectuum propensione:

In vola manus, præter alias lineas; est etiam quædam linea, quæ *linea vitæ* appellatur, quoniã index sit breuis aut longæ vitæ, de qua cum Medici omnes, tum etiam Aristoteles sæpius mentionem fecit, sed præsertim in lib. 1. De historia animalium, cap. 15. dicendo: *Pars interior manus, vola dicitur, carnosæ est, & scissuris vitæ indicibus distincta: longioris scilicet vitæ singulis aut binis ductis per totam: breuioris, binis quæ non longitudinem totam designent.*

Linea illa, seu, vt Aristoteles vocat, *scissura*, bifariam intelligi potest, quòd sit longioris vel breuioris vitæ index. Primò, quatenus indicat ipsam corporis constitutionem esse vel ita bonam, vel ita malam, vt suapte natura aptus sit talis homo ad vitam vel longam vel breuem

Linea vitæ in vola manus, cur ita dicta.

degendam: tunc dico primùm, quòd talis linea, sit verus, certus & necessarius longioris vel breuioris vitæ index. Ratio est, quoniam linea illa, ex naturali corporis dispositione & temperamento proficiscitur, ideoque certò & verè corporis habitudinem ad longam vel breuem vitam degendam indicat: quemadmodum etiam calor sanguineus, vel cinericius faciei, & alia corporis signa, malam vel bonam corporis habitudinem indicant.

Secundò dico, Ideoque cum sit certus & verus bonæ vel malæ corporis constitutionis, ad diu vel breui viuendum index: ergo ex talis lineæ inspectione certò Physicus præsentire ac prædicere potest, an, quantum ad ipsam corporis constitutionem attinet, diu vel breui sit victurus: & hæc non est diuinitio, sed certa & naturalis scientia. Dico autem, *quantum ad ipsam corporis constitutionem attinet*: quoniam vi fortè morieris, aut si nimia crapula & ebrietate, vel lasciuia, aut alia ratione, ipsum corporis temperamentum corrumpas.

Secundò potest etiam linea illa, linea vitæ appellari, quatenus per illam actuale vitam vel longam vel breuè significari velis: tunc dico primùm, quòd talis linea, non est certus & necessarius vitæ longioris vel breuioris index: sed tantùm coniecturalis & incertus, ideoque ex lineæ huius inspectione, certò affirmare, te vel breui vel diu victurum, temerarium & impium est: conditionaliter verò & coniecturaliter id prædicere, nempe nisi Dominus secus voluerit, aut vi è medio tollaris, aut intemperantia victus, vel laboris
tempe-

temperamentum corrumpas, nec temerarium nec impium est. Ratio vtriusque est, quoniam linea illa, cum vita actuali futura, non habet quidem connexionem certam nec necessariam: sed aliquam tamen habet, licet imbecillam & fallacem.

Idem de affectuum propensione dicendum: cum lineæ quæ sunt in vola, testimonia & indicia sint (vt supra dixi) temperamenti corporis: ex vario autem corporum temperamento, varii etiam affectus deriuentur, vt Hippocrates, Galenus & Aristoteles testantur: ideo fit, vt huiuscemodi lineæ dicantur esse, & sint, indicia affectuum. Sed hoc bifariam intelligi potest: vel quatum ad propensionem attinet: vel quantum ad actuales mores & affectus, aut actiones. Si quantum ad propensionem, certa & naturalis & necessaria est præsentio ac scientia, quæ fit ex scita manuum inspectione. Si quantum ad actuales mores, certa non est, aut necessaria, sed incerta, & sæpe temeraria ac falsa assertio: Ratio, quoniam tales lineæ, nullam certam aut necessariam habent cum actualibus moribus cõnexionem: sed tantum cum propensionibus ad bonos vel malos mores.

Nunc ad postremam artificiosæ Diuinationis speciem transeundum est, nempe ad diuinationem per astra, quæ tum *Astronomia*, tum *Astrologia*, apud probatos autores appellatur: quanquam sunt, qui discrimen faciunt, inter *Astronomiam* & *Astrologiam*: quod *Astrologia* sit scientia certa, quæ de syderibus, seu de cursu, & aliis proprietatibus syderum astrorumque pertractat, & quod hæc nullibi improbetur: *Astronomia* verò sit

De Astronomia.

*Astronomia
& Astrologia
quid differant.*

scientia, quæ ex astrorum inspectione, de hominis vita & morte, felicitate & infelicitate, deque aliarum rerum, quæ infra cœlum sunt, euentu diiudicat, quæ & idcirco iudiciaria passim appellantur: & ob hanc causam in scripturis & à Patribus damnatur. Sed ut ut appelletur, quæstio duplex hac de re proponitur.

Prima, *An aliqua rerum futurarum ex Astris præsentio ac diuinitio haberi possit.*

Secunda, *Et si potest, qualis & quarumnam rerum præsentio diuinitioq; habeatur.*

Quod ad primam igitur quæstionem attinet, dico ad eam explicandam longa disputatione minimè opus esse. Nemini enim dubium esse credo, aliquam aliquarum futurarum rerum præsentionem, eamque veram ex astris, seu ex cœlorum influxibus obseruatis, haberi posse: quandoquidem & Medici ex præcognita futura Lunæ mutatione, ut ex Nouilunio, ex plenilunio, &c. verè & certò prædicunt corporum ægotantium alterationes, morborum incrementa, pericula mortis ægotantibus imminere: & nauium gubernatores ex notatis astris, certò prædicunt ventorum mutationes, maris æstus, & alia quàm plurima.

Quod verò ad secundam quæstionem attinet, ut breuiter intelligatur, quarumnam rerum, & qualisnam præsentio prædictioque haberi possit, notanda est ista distinctio.

Tria rerum actionumque esse genera. Primò, quædam sunt, quæ nullam penitus cum astris, sicut effecta cum causis, habent connexionem, ut sunt hominum voluntates, præsertim regnatarum, proptereaq; earum operationes, quæ scilicet metè
sunt

sunt voluntariæ. Neq; enim operationes voluntatis præsertim regeneratæ, vlllo pacto à cœlis, aut ab astris, tanquam à suis causis pendent. Dico *præsertim regeneratæ*, quoniam voluntas nō regenerata, quādam habet cum cœlis connexionem, quatenus scilicet carnales affectiones, etsi vltro, necessariò tamen sequitur; cum sit serua peccati: affectiones autem carnales, quæ sunt in Anima, à corporis habitudine quodammodo pendent, & ipsam sequuntur: corporum autem qualitates, à cœlorum influxibus non parum dependent, vt supra ostēdimus. Igitur & voluntas non renata, quodā modo in suis actionibus, à cœlorum influxibus mouetur, ideoq; cum eis aliquam habet connexionem: regenerata autem nequaquam, sed tota, quatenus renata, à spiritu Dei agitur.

Secundò, Quædam verò contra sunt, quæ certam & plerumq; necessariam cum cœlis & astris habent connexionem, vt sunt res actionesque omnes in Mundo, quæ nullo pacto à voluntate proficiscuntur. v. gr. vt sterilitas aut fertilitas terræ, aëris perturbationes, pestis, elementorum commotiones, terræ motus, & alia id genus. Hæc enim ex cælestibus influxibus, & elementorum; quæ vi syderum aguntur, commotione, magna ex parte eueniunt: ideoque cum astris, certam & plerumque necessariam habent connexionem. Dico, *plerumq; necessariam*, quoniam aliquando etiam immediatè à Deo hæc immittuntur, citra cœlorum influxum, vt patet in scripturis.

Tertiò, Quædam verò sunt, quæ connexionem quidem aliquam, sed nec certam aut firmam, nec necessariam cum cœlis habent, cum etiam à vo-

luntate libera pendeant: vti sunt operationes & rerum euentus, qui partim à cœlorum influxibus, partim à libera voluntate proficiscuntur, v. gr. vt bona vel mala corporis habitudo, longa vel breuis vita. Hæc enim non ita à cœlorum influxibus dependet, quin etiam à voluntate: quandoquidẽ homo potest pro sua libera voluntate, & bonam à natura datam corporis habitudinem, luxu, crapula, & aliis intemperantiæ actionibus, de bona malam facere, & mortem sibi accelerare, aut vi consciscere: & contrà, malam corporis habitudinem à natura acceptam, & ab influxibus cœlorum profectam, temperatâ victus ratione, & medicamentis, de mala, bonam facere. Atque idem de aliis multis actionibus, quæ partim à voluntate, partim à cœlorum influxu vt plurimum dependent, dicendum est.

Iam explicata hac distinctione, ad quæstionem adfero responsionem, quæ triplici conclusionem constat.

*Quanam res
& actiones
ex astris naturaliter
præsentiri
cognosci possunt.*

Prima igitur: Earum rerum & actionum, quæ nullam penitus cum astris habent connexionem, propterea quòd ab illis minimè dependent, præsentio nulla ex astris naturalibus haberi potest.

Secunda, Earum verò, quæ certam & quasi necessariam cum astris habent connexionem, certa quoque & sæpe necessaria, ex cognitis astris, haberi præsentio potest.

Tertia, Earum autem, quæ incertam & infirmam cum astris habent connexionem, incerta quoque & infirma, ac sæpe fallax præsentio, ex notatis agnitisque astris haberi potest.

Ratio

Ratio totius huius responsionis vnica hæc est: cum necesse sit, vt signa, quæ in rerû cognitione ducunt, connexionem habeant aliquam cum rebus, quarum sunt signa: ergo talis erit rerum præsentio per ea signa, qualis erit connexio inter res & ipsarum signa. Si nulla connexio; nulla quoque erit præsentio per ea signa: si certa & firma connexio, certa quoque & firma præsentio: si incerta & infirma connexio, infirma quoque & incerta præsentio.

Respondi paucis & in genere, qualis & quarumnam rerum ex astorum inspectione & obseruatione haberi diuinitio possit: & quarum vel nulla, vel admodum tenuis & incerta, itidem per astra haberi queat.

Nunc enucleatiùs & particulariùs videndum est, ad quasnam res & actiones iudicium veræ Astrologiæ extendatur, & ad quas non extendatur. Hinc enim patefiet, quæ per Astrologiam diuinitio licita sit Christiano, & quæ non licita. Cum enim duplex sit Astrologia vera, quæ simpliciter *Astrologia & Mathematica*: & falsa, quæ *iudiciaria Astrologia* appellatur: vera, sciëntia est, honesta & bona: falsa verò temeraria ac superstitiosa opinio: & illa licita est Christiano: hæc verò minime.

*Astrologia
quoduplex
sit.*

Ac vera quidē certos habet, intra quos se contineat limites: falsa verò illos excedit atque egreditur. A certis ergo finibus, quos vera Astrologia non egreditur, agnoscitur, quæ sit vera, & quæ sit falsa.

Vera Astrologia, quodnam sit officium.

Officium veræ Astrologiæ est, vt in cælis stellarum situm, ordinem, motus, naturasque obser-

uet ac cognoscat. Situm, vt vbinam & quo in orbe vnaquæq; stella sit collocata: ordinem, vt quãto inuicem interuallo stellæ distideant: Motus, quo quæq; motu moueatur. Aliæ enim recto, aliæ obliquo & penè contrario motu moueri cernuntur. Item, aliæ velociori, aliæ tardiori motu mouentur. Naturas, vt quæ sit cuiusq; syderis natura. Natura enim Solis alia est, quàm natura Lunæ, cùm illius sit calefacere & exiccare: huius verò frigefacere & humectare.

In quem verò vsum hæc inuestigat? Vt inde multorum naturalium effectuum, qui partim in cœlo, partim in terra fiunt, causas, vtpote cœlestes agnoscat. v. gr. Cur Sol potiùs hyeme, quàm æstate à nobis longiùs distet: cur æstate diutiùs apud nos, quàm hyeme commoretur: quæ causa sit Solis & Lunæ defectio: cur conchyliæ & ostreæ aliquando crescant, aliquando decrescant, &c. Videmus enim effectus multos hîc in terris, quorum causas ignoramus: beneficio autem veræ Astrologiæ, causam suam atq; originem supra nos in cœlis habere cognoscimus. Nemo non videt pluuias, grandines, niues, maris fluxum & refluxum, vëtorum Itæpitis: sed nemo, nisi qui adiutus est beneficio Astrologiæ, causas eorum in natura positas esse intelligit. Isti igitur sunt fines, quos nō egreditur vera Astrologia: & hic est eius vñus, vt multorum effectuum, qui in terris fiunt, causas quæ in cœlo sunt, agnoscat: aliquando etiam antequam fiant, ipsos effectus in suis causis præuideat. Ad ea verò inuestiganda, aut prædicenda, quæ nullam penitus in cœlis seu syderibus causam habent, minimè progreditur. Illud quod

in Ge-

*Quis eius
vñus.*

in Genesi scripsit Moses, ad hanc veram Astrologiam pertinet, cum ait, Solem & Lunam conditum esse à Domino, quibus & dies & noctes, menses & anni, & tempora gubernarentur: quibus verbis, quæcunque ad agriculturam, Reipub. gerendæ rationem atque prudentiam attinet, complectitur. Versatur igitur vera Astrologia circa corpora cœlestia, & naturales illos effectus, qui in corporibus terrenis ex corporum cœlestium influxu verè & naturaliter fiunt. Habet enim hoc fundamentum prorsus verum, omnia terrena corpora, seu omnia inferiora corpora, à cœlestibus & superioribus corporibus aliquo modo regi, ideoque hæc inferiora, quandam cum superioribus habere cognationem & sympathiam, atque inde qualitatem aliquam ducere.

Iudiciaria Astrologia hoc fundamento abutitur, ad sua iudicia vel somnia potius, de effectis etiam & rebus, quæ nullo pacto causam habent in cœlis seu in syderibus, perinde ac si à syderibus pendeant, statuenda, atque ita fines veræ Astrologiæ impudentissimè egreditur,

Illæ autem quæ sibi peculiariter assumit, hæc ferè sunt:

Primum, ut de vniuerso Mundi statu iudicet. *Astrologia iudiciaria de quibusdam rebus cognoscendis sibi iudicium summat.*
v. gr. ut futuram pestem, bella, belluarum incur-
siones, aquarum illuiones, & alia id genus certè
& necessariò ventura prædicant, idque ex astris,
tanquam ex vnicis & necessariis earum rerum
caussis.

Secundum, ut non solùm naturam hominum & corporum & affectuum propensionem, notam ac perspectam ex syderibus habeat: sed etiã quid

cuique euenturum sit, & quid quisque in vita acturus aut passurus sit, ex iisdem astris cognoscat.

Tertium, vt agnoscat quos exitus habitura sint ea consilia, quæ homines inter se contrahentes ineunt: id ex astris perinde ac si astra consilia hominum ad exitum perducant.

Quartum, Neq; hoc solùm, sed etiam sese eò extendit, vt profiteatur se scire, qualis quisque futurus sit, bonus vel malus, pius, an impius: idque ex obseruatione syderis, sub quo quisque natus est: quasi hominum malitia ac bonitas, salus aut perditio, è cœlis & stellis pendeant.

Quintò eò etiam se extendit, vt profiteatur, se posse prædicere ex astris, quæ & quanta scelera in Mundo sint futura, quasi scelerum nostrorum causæ sint stellæ. In his ferè capitibus sita est iudiciariæ Astrologiæ professio, ad quas vera & laudabilis Astrologia se non extendit. Quare ex iis diuersis vtriusque officii ac professionibus facile discerni altera ab altera potest, ideoq; facile iudicari, quæ diuinitio per astra licita sit, & quæ non licita Christiano viro.

*Quàm vana
& Diabolica
sit hæc iudiciaria Astrologia.*

Nunc superest, vt quàm breuissimè poterim⁹, videamus quana vana sit & Diabolica hæc Astrologia, quæ iudiciaria appellatur. Hoc verò perfacile fiet, si viderimus primùm, quàm inania sint & falsa illa quinque prædicta capita: Deinde, quàm infirma & debilia sint fundamenta, quibus tota hæc Astrologia iudiciaria nititur.

*Primum caput professio-
nis Astrologiæ iudicia-
riæ excuti-
etur.*

Agedum excutiamus primum caput.

Primùm, profitentur se posse ex natali die, de cuiusque natura, & corporis habitudine diuinare. Professio hæc ac diuinitio, quæ fit ex nascen-
di tem-

di tempore, vana atque inanis est, id quod patet
iis rationibus.

Si per Astra, de alicuius natura, aut corporis
habitudine, & affectuum propensione, iudicium
est faciendum: faciendum est magis à tempore ge-
nerandi, quàm à tempore nascendi. Ratio, quo-
niam astra (id quod nemini dubium esse debet)
plus in generandi, quàm in nascendi tempus, ad
certam homini qualitatem informandam valēt.
Hoc docet ratio naturalis: hoc confirmat quoti-
dianus vsus in gemellis fratribus, qui eodem tem-
pore nati, diuersissimis tamen naturis, & corpo-
rum habitudinibus præditi nascuntur, ita vt alter
alteri non minùs sit absimilis, quàm si diuersissi-
mo cœli & syderum statu natus esset. Vnde hæc
diuersitas? Non à tempore nascendi, quoniam
eodem tempore nati. Ergo si à cœlis pendet, à tē-
pore potius conceptionis est facta, quoniã scilicet
non eodem tempore concepti, quàm à tempore
nascendi. Quod cum ita sit, ergo in huiuscemodi
iudiciis, spectandum est potius Astrologo tem-
pus generandi, quàm tempus nascendi.

Atqui isti Astrologi iudicant, non ex generan-
di, sed ex nascendi tempore, id est, ex natali die.
Ergo quàm vanum & inane sit illud iudicium,
quis non videat?

Quando illud, ex quo iudicium est faciendum,
incertum est, iudicium quoq; incertum sit & va-
num, necesse est: Atqui etiam tempus, quo quis
concepitur, plerumq; ignotum est, & nullus nul-
lave mulier ferè scire potest, quo die, & multò
minùs quâ horâ conceptus fuerit fœtus. Ergo et-
iam si ex hoc tempore iudicare velint Astrologi

I.
Ex natali
die de cuius-
que natura
& corporis
habitudine
nihil certè
diuinari
posse.

2.

(id quod non faciunt) iudicium illud vanum esset.

3. Sed esto: iudicium faciendum sit ex tempore nascendi, illud etiam plerūque est incertum: imò ausim dicere, nequaquam sciri perfectè, vt debet, posse. Nam notandus est non solūm dies aut hora, sed etiam momentum, quo quis nascitur. Singulis enim momentis, diuersissimi cœlorum influxus fiunt. Quis autē perfectè obseruare queat verum & certum momētum, quo quis natus sit? Adde, quòd si etiam satis sit, horam notasse, facile etiam in hac notanda Genethiacus hallucinari potest; quando quidem horologia sæpius iniusta nos fallunt. Si verò vel minimum temporis momentum aberret, Genethiacus, seu Astrologus, longè alia fiet stellarum, & cœli inclinatio, quàm ipse putet: Ergo à tempore nascendi, de cuiusque natura & corporis habitudine & affectibus iudicare, vanum ac temerarium est.

4. Sed esto, vt certum sit momentum & conceptionis & generationis alicuius: iudicium tamen quod inde faciunt Astrologi per astrorum inspectionem, vanum est. Cœli enim & astra non habent in homines tantam vim, quantam isti existimant (vt mox ostēdemus, quando eorum fundamenta examinabimus) ita vt quòd quis sit talis habitudinis, naturæ, & propensionis, omnino à cœlis, tanquam ab vnica & certa causa, pendeat. Ergo ex iisdem cœlis iudicari non potest.

Sed esto etiam, vt cœlum tantam habeat vim, quantam dicant: iudicare tamen ex natali die, ita vt qui tali die natus est, tali etiam sit corporis constitutione, & affectuum propensione, vanissimū est, &

est, & contra Astronomiam ipsam. Ratio, quoniã diuersi astrorum aspectus, & diuersitas cœli, diuersas parit qualitates in corporibus. Hęc est Astrologorum. Atqui eodem die diuersitas erit cœli, & diuersus planetarum aspectus in variis regionibus.

Exemplum. Romę post solstitiũ, aliquot diebus exoritur canicula: apud Troglodytas, ante solstitium. Item, eodem die hęc plaet, alibi serenum erit, quę quidem diuersitas cœli, diuersas etiam in corporibus qualitates excitat. Ergo vanũ est & falsissimum iudicium, ipsiq; Astrologiæ repugnans, ex natali die, de qualitate cuiusq; iudicare, ita vt quicunq; nati sunt eodem die, licet in diuersis regionibus, iisdem etiam qualitatibus sint affecti, id quod ipsi dicunt, & coguntur dicere, si ex natali die licet iudicare: imò qui eodem tempore nascuntur, in dissimiles tamen naturas possunt incidere, propter cœli dissimilitudinem: si tamen concedendum sit, vim cœlestem, aliquid ad eos, qui in terris gignuntur, pertinere.

Hinc etiam patet, quã vana sit illa professio, quã profitetur se posse, ex eodem natali die, certò agnoscere ac prædicere, de cuiusque bonitate, pietate, ac salute.

*Secundum
caput.*

Vanissima est hęc professio.

Pietas, *ὑποθεσία*, regeneratio, cæteraq; beneficia, quæ Deus filiis suis confert, cum eos regenerat, nullo pacto pendent ab astrorum aspectu, sed à mera Dei gratia & voluntate, vt scripturæ testantur. Ergo hęc ex cœlorum aspectu iudicare vel prædicere, vanissimum est: verbi gratia, vt quod Iacob fuerit pius, Esau verò impius: ille dilectus

I.

à Deo, iste odio habitus: si quis velit iudicare, ut nonnulli faciunt Astrologi, dicentes, quia scilicet ille natus est sub tali planeta, vel astro, iste verò sub alio illi diuerso, insanissimus erit: quandoquidem à cœlis minimè hæc dependent, sed à solo Deo. Saul quòd eligendus in Regem populi Iudaici, in alium planè hominem fuerit mutatus, quàm ante fuerit, non est consecutus ex cœli, aut stellarum situ, sed ex mera Dei voluntate. Apertè enim Dominus hoc promiserat, se scilicet id effecturum, idq; Samueli 1. Sam. 10. Ergo multò minùs à cœlis quis habet, quòd ex veteri homine, in nouum regeneretur. Quomodo igitur ex cœlis præsentiri, aut prælagiri potest?

Tertiū cap.

Tertium etiam caput, vbi profitentur se posse ex natali die prædicere, quid cuique euenturum sit, quid quisque in vita sit vel acturus, vel passurus, vanissimum esse, patet.

1.

Ab experientia. Quoties enim Astrologi ipsi prædixerunt, vel hunc futurum Episcopum, qui tamen nihil minùs fuit, quàm Episcopus: vel illū ducturum vxorem, qui tamen cœlebs mortuus: vel alium felicissimum in coniugio, qui tamen fuerit infelicissimus. *Quàm multa ego* (ait Cicero 2. de Diuinat. contra Astrologiam iudiciariam) *Pompeio, quàm multa Crasso, quàm multa Casari à Chaldeis dicta memini, neminem eorum, nisi senectute, nisi domi, nisi cum claritate esse moriturum?* Hæc ille. Manifestum tamen est, hosce tres egregios Imperatores turpiter occisos periisse. Subdit: *Vt mihi permirum videatur, quenquam extare, qui etiã nunc credat is, quorum prædicta quotidie videat re & euen-
tis refelli.*

Atc-

A testimoniis & scripturarum & Patrum, & sapientissimorum hominum, quorū ferè omnium testimonia in initio recensui, qui genus hoc prædicendi damnant: imò verò etiam testimonio sapientissimorum Astrologorū. Eudoxus enim Platonis auditor (vt refert Cicero) & in Astrologia, omnium iudicio facilè Princeps, sic scriptum reliquit: *Chaldeis in prædictione, & in notatione cuiusque vite ex natali die, minimè esse credendum.*

Archelaus & Cassander, (referente Panætio apud Ciceronem) summi Astrologi illius ætatis, quā erat ipse Panætius, hoc prædictionis genere ex natali die, non sunt vsi.

Scylax Halicarnasseus familiaris Panætii, excellens in Astrologia, totum hoc Chaldaicum prædicendi genus repudiauit.

Si ex natali die prædicere certò possunt, quid cuique sit euenturum, quādiu victurus sit, & qua morte moriturus, propterea quòd videāt, illi qui sub tali sydere natus est, hæc aut illa proculdubio euentura: ergo omnibus qui eodem tempore nascuntur, eadem eueniant necesse est. Atqui hoc falsum esse, multorum geminorum exēpla, quibus longè diuersa contigerunt, docent, vt Iacobi & Esau: item Pharis & Zaran filiorum Iudæ ex Thamar moru sua: & apud Ciceronem Proculus & Euristhenes Lacedæmoniorum Reges, gemini fratres fuerunt: at ii nec totidem annos vixerunt, nec eadem iis contigerunt. Anno enim Procli vita breuior fuit, multumq; is fratri rerum gestarum gloria præstitit. Falsum igitur quod aiunt, ex natali die prædicere eos certò posse, quid cuique euenturum sit.

4.

Quæro ab Astrologis, an in sydere, sub quo aliquis est natus, videant, quæ alii non sub eodem sydere nati, facturi sunt: an tantum quæ sint facturi illi, qui sub eo sunt nati. Respondebunt, omnino tantum ea, quæ qui sub eo sydere est natus, facturus est. Tunc infero: Ergo ex natali cuius die præuidere aut prædicere non possunt Chaldæi omnia, quæ illi sunt euentura, aut quæ sit passurus. Ratio. Hæc enim quæ extrinsecus alicui accidunt, aliunde obueniunt, aliasq; habent efficientes causas, à quibus tali homini inferentur. Causæ autem istæ in eo sydere videri non possunt. Exemplo res fiat illustris.

Est mihi vxor: ex inspecto natalitio meo sydere prædicat Astrologus, ducturum me duas aut tres vxores. Si hoc prædicere potest: ergo in meo natalitio sydere videat prioris vxoris mortem, necesse est. Atqui hanc videre non possunt (faterentur enim etiam ipsi Astrologi) in natalitio vnius sydere, non videri aliorum, sed ipsius tantum conditionem, naturam, euenta, &c. Ergo iudicium hoc quod faciunt, vanum est. Rationes aliæ permultæ legantur apud Ciceronem, libro 2. de Diuinat. contra Chaldæorum monstra, vt ipse appellat.

5.

Illud profectò argumentum Cic. efficacissimū est, quod à Cannenti pugna desumit. v. gr. In prælio aliquo occidunt eodē tempore, & eodē mortis genere pereunt hominum millia 20. si à syderibus id contingat: ergo omnes sub vno sydere nati sunt: Atqui quàm hoc impudēs sit fateri, nemo non videt: Ergo nō à syderibus natalitiis, quæ nobis contingunt, proueniunt: quare neque ab
illis

illis prædici aut præsentiri potest, quid cuique euenturum sit, quando & qua morte moriturus.

Profitentur etiam, se posse ex syderibus prædicere, quos exitus habitura sint ea, quæ inter se homines cõsilia ineunt. v. gr. cogitat mercator nundinas Francofurtenses: venit Astrologus & inspecto sydere, quod tum regnat, consulit Mercatori, vt iter ad nundinas non suscipiat, nisi octauo post cœptas nundinas die: tum enim cœli & stellarum positum, qui secunda omnia illi promittit, inclinatum fore: ideoq; omnia ipsi feliciter & ex sententia euentura, consiliaq; ipsius felices exitus habitura. Vanum est hoc iudicium.

Quartū cap.

Si ideo profectio huius Mercatoris felicẽ exitum est habitura, & multum lucri ipse est factururus, quia tali die duntaxat, quem dixit illi Astrologus, iter ad nundinas suscepit: Ergo quicumque Mercatores eodem die iter susceperunt ad easdẽ nundinas, omnes ex æquo multum lucri facient. Videmus autem aliter euenire, vt qui eodem die ad nundinas appulerint, alii iacturam, alii lucrũ, neque id æquale faciant.

1.

Deinde, quid prohibet, ne quis eò, die ante nundinas octauo, vel septimo eat: & interim (si tamen tempus aliquod est obseruandum & parendum Astrologis) & interim, inquam, merces tantũm paret, nil verò negotiorum absoluat, nisi eo die, quem fore illi propitium præuidit Astrologus? Hoc enim potius esset spectandum (vt Astrologus loquor) quomodo affecto cœlo, seu quo die res sit transigenda, quàm quo die iter eò sit suscipiendum, quo felicem exitum habeant Mercatoris negotia.

2.

Quintus cap.

Denique profitentur, se posse certò de totius Mundi statu prædicere, vt an futura sint bella, nec ne, &c.

Hic etiam dico, vanam esse hanc prædictionem, propterea quòd res huiuscemodi, quæ in mundo contingunt, bella, pestis, fames, belluarum incursiones, aquarum illuiones, & alia id genus permulta, etsi aliquam sæpius habeant cum syderibus cœli *συμπάθειαν* ac concentum, & partim ab illis sæpe pendeant, id quod libenter concedo: non tamen aut necessariam, aut semper cum illis *συμπάθειαν* habent: nec semper ab illis, sed ab aliis etiam causis sæpenumero pendent, quæ latent Astrologos. Exempla. Fames & siccitas, quæ fuit tempore Eliæ in Iudæa & Syria, non profectò ab affectione syderum, sed à Deo scelera hominum vlciscente, immediatè profecta fuit, alioqui non fuisset singulare prodigium, vt Scriptura tradit. Pestis quæ fuit tempore Davidis, causam nullam in syderibus habuit: sed cum David ex tribus varii generis pœnarum optionibus, à Deo illi oblatis, pestem elegerit, illam immisit Deus, bellum etiam & famem illaturus, si eas David elegisset.

Bella etiam quæ gesserunt Israëlitæ contra Amorrhæos, &c. causam in syderibus non habuerunt. Deus enim cum alloqueretur Abrahamum, eique polliceretur, fore, vt eius posterii (bellis scilicet) subiugent sibi populos terræ Canaan, eamque occupent: dilationem non adscribit syderibus, quasi ad eam rem nondum benè affectis: sed potiùs peccatorum illius Canaicæ gentis (vt ita loquar) immanitati, dicendo: *Nondum enim completa sunt iniquitates Amorrhæorum*, Genes. 15. Item, minatur

minatur Deus hæc omnia peccatoribus, propter iniquitates: nō ergo à cœlis. Cū igitur hæc, quæ in mundo contingunt, aduersa, non semper à syderibus, tanquam effecta naturalia, sed sæpe à Deo, vt effecta præter ordinem naturæ, & pœnæ scelerum nostrorum immittantur: voluntatem autem hanc Dei Astrologi non possint in syderibus videre, manifestum est, iudicium huiuscemoditemerarium esse. Atque hæc de primo capite, quid profiteantur Astrologi, & quam vana sit hæc professio.

Nunc excutiamus etiam fundamenta eorum, *Secundū cap.* quibus tota hæc Astrologia iudiciaria nititur.

Præcipua ratio, quâ nititur tota ista Astrologia, hæc est, tribus constans fundamentis. *Quibus fundamētis hæc Astrologia iudiciaria nitatur.*

I. Cœlum (inquiunt) vim habet in hæc inferiora omnia, quæ sub cœlo continentur & fiunt, in elementa, in corpora composita, in animalia, in homines, in hominum affectiones, mores & actiones, ideoque ex variis cœlorum & syderum seu astrorum influxibus, varii etiam hictam in hominibus, quàm reliquis animantibus & rebus inanimis, effectus oriuntur. Quare cū hæc fiant à cœlis, ab iisdem etiam indicantur.

II. Ex vi autem Astrologiæ agnosci possunt à veris Astrologis cœli & astra, astrorumque singulorum positus, naturæ, vites, influxus.

III. Potest etiam facile à quouis Astrologo obseruari, sub quo quisque astris & cœlorum influxu, syderumq; positu, natus sit. Ergo ex vi Astrologiæ agnoscere ac prælagire possunt Astrologi cū reliqua omnia, quæ sub cœlo sunt futura, tū etiam, quæ cuique hominum sunt euentura.

Refutaturis igitur hanc iudiciariam Astrologiam, conuellenda sunt hæc fundamēta, iis enim euulsis, tota Astrologia corruat, necesse est.

Responsio ad
primum
fundamen-
tum.

Ergo, quod ad primum fundamentum attinet, sic Astrologis respondeamus: Nos quidem non inficiari primò, quin cœli, astraq; cœlorum, vim aliquam in hæc inferiora terrenaq; corpora habeant, idque propter multas ἀποδείξεις, quæ ad hoc confirmandum adferuntur à Philosophis, Mathematicis & Theologis: ideoque secundò, non negare, quin hæc inferiora corpora cum cœlis, astrarumque cursu, cognationem quandam ac συμπίθειαν habeant, atque inde qualitatem aliquam ducant. Id enim est manifestissimum cum in Sole, & aliis astris, tum præsertim in Luna. Ostreae enim & conchylia cum Luna pariter crescunt atque decrescunt. Medici quoque re ipsa experti sunt, & diuturna obseruatione didicerunt, maximi referre, quo Lunæ tempore sanguis extrahatur, pillulae, potiones, & alia id genus exhibentur. Vnde hoc? nisi quia corpora hæc inferiora, συμπίθειαν aliquam habent cum cœlis & astris, indeque aliquam ducunt qualitatem? Damus illis hæc.

Sed etiam ego hæc contra illos contendo.

Primum, cœlos in hæc inferiora non agere, nisi motu & lumine: & præter hanc communem motus & lucis influentiam, nullam aliam cœlestibus corporibus in hæc inferiora vim inesse, quemadmodum multis rationibus Ioan. Pic. Mirand. vir doctissimus, lib. 3. contra Astrologos, c. 5. demonstrat. Quare frustra alios ab Astrologis, & peculiare quibusq; astris influxus assignari.

Secun-

Secundum, Contendo, hanc cœlorum vim, quę in motu & lumine consistit, nihil corporibus communicare posse, quàm motum & lucem, indeque calorem, qui ad vitam vitęque functiones corpora ad id apta, disponat, conferuet, & ad varias affectuum propensiones, pro qualitate corporum afficiat.

Tertium, contendo, hanc cœlorum vim, quę tantum lucem & motum, indeq; calorem communicare iis corporibus potest, causam esse multorum, quę infra Lunam contingant, vniuersalē, non autem ita particularem, vt omnes, qui sub alicuius syderis influxu reperiuntur, ab eo etiam omnes pariter afficiantur, ideoq; individuorum varietatem, vt v. gr. quod quis sit bonus, alius malus: vnus felix, alius infelix, ad virtutem cœlorum referri non posse, sicut docet idem Pic. lib. 3. c. 3. Varietatem tamen individuorum, quę in qualitibus corporum, & affectuum propensionibus est, ad cœlorum vim sæpenumero, & magna ex parte referri posse, ego iam antè concessi: sed præter hanc nullam aliam varietatem individuorū ad cœlorum vim referri posse contendo.

Ex iis consequitur id quod primum Astrologorum fundamentum conuellit, vim cœlorū aut astrorum non esse tantam, quantam ipi constituent, ita vt se extendat non solum ad corpora, corporum habitudines, affectuum propensiones: sed etiā ad actuales mores vel bonos, vel malos, ad singulos rerū, qui hominibus contingere possunt, euentus, ad bonam vel malam (vt vocant) fortunam: ad hominum cogitationes, cōsilia, instituta, ad voluntates hominum, voluntariasque

eorum actiones. Nego igitur astrorum vim primùm in corpora nostra tantum valere, vt quæcunque qualitates & affectuum propensiones sunt in corporibus, à cœlis semper pendeant.

I. *vi parentiū.* Vis parentum plus in corpora filiorum valet, ad quam velis qualitatem illis informandam, quàm cœlorū vis. Experiētiā hoc sic demonstro. Sunto duo parentes longè inter se differentes, v. gr. Petrus & Paulus, quibus etiam sint vxores dissimilis naturæ: ambo parentes suscipiant ex suis vxoribus filios, idque eodem temporis momento, & eodem syderum aspectu. Tunc sic arguo: Si vis cœli ad informandas corporibus qualitates, constitutiones, morum propensiones plus valet, quàm vis parentum, ii duo filii magis inter sese erunt similes, quàm suis parentibus. Ratio, quoniam cum sint eodem temporis momento concepti & nati, easdem vtrisque qualitates vis cœli imprimere debuit. Atqui contra videmus, filios hosce magis similes esse parentibus, quemque suo parenti, quàm inter sese, magisq; esse affectos parentum ingenio, quàm vlllo syderum aspectu, qui tamen vtrisque similis & par fuit. Ergo hoc apertissimo est testimonio, quòd plus virtutis habeat semen parentum in filios, quàm cœlum ipsam. Ideo Cicero hoc argumentum concludit, dicendo: *Quod non contingeret, si hoc non vis & natura gignentium efficeret: sed temperatio Luna, cœliq; moderatio.*

II. *à sexus diuersitate.* Sexuum diuersitas, quæ est omnium animalium qualitatum maxima, à cœlis non pendet, sed à viteminis paterni & materni, vnà cum Dei voluntate. Si enim à cœlo penderet, cum duo eodem tempo-

tempo-

temporis momēto, & sub eodem syderum aspectu concipiuntur & nascuntur, utique deberent vel ambo masculi, vel ambo femellæ nasci. Atqui videmus oppositum tum in gemellis, tū in aliis, qui eodem tempore nascuntur. Ergo non à cœlo, sed à vi seminis parentum, & à voluntate Dei. Si ergo hæc non pendet, quæ est omnium maxima: ergo neque aliæ necessariò pendent.

Si diuersæ qualitates in corporibus humanis à cœlo pendent: ergo etiam eadem in brutis, leguminibus & fructibus ab eodem cœlo penderent, imò multò magis. Atqui hoc falsum est: sed à suis seminibus pendent. Patet. Vnde enim esse dicemus diuersitatē qualitatum, quæ est in leone & vrsō, qui tamen eodem tempore nati & sub eodem sydere concepti? Non à sydere, alioqui esset eadem in vtroque: sed vnde? nisi à diuersitate naturæ, & seminum vtriusque parentum? Hoc argumentum simile est primo, à semine parentum hominum deducto. *Quid?* (ait Cicero) *quòd vno eodemque temporis puncto nati, dissimiles & naturas & vitas, & casus habent, parumne declarant, nihil ad agendam vitam, nascendi tempus pertinere? nisi forte putamus, neminem eodem tempore ipso & conceptum & natum, quo Africanum. Num quis igitur talis fuit?*

III.

à vi seminis

Cic. in 2. de
Divinat.

Si à cœlis necessariò pendēt qualitates in corporibus humanis: quorsum igitur studia, industria, artes? pereunt. Per multi cū ita nati essent, ut quedam contra naturam depravata haberent, arte & medicina restituti sunt à natura, cū se ipsa reuocasset. Item, multi naturæ vitium, meditatione atq; exercitatione sustulerunt. Exemplum Demoithe-

IV.

ab industria

nis, de quo Phalereus, cum Rho dicere nequiret, exercitatione fecit, ut planissime diceret. Quòd si hæc astro ingenerata & tradita essent, nulla res ea mutare posset.

V.

Terrarum

tæ,

Plus terrarum situs, quàm Lunæ & syderum tractus, valet ad nascendum. Patet. Dissimilitudo enim locorum, dissimiles hominum in eodem temporis momento procreationes habet. Quantum inter Indos & Persas, Ethiopas & Syros differt corporibus, animis? tantum, ut incredibilis varietas, dissimilitudoque sit. Ergo non tanta est vis cœli, quantam dicunt Astrologi.

Deniq; si ad rem pertinet, quo modo cœlo affecto, compositisq; syderibus, quodq; animal oriatur, valeat id necesse est etiã in rebus inanimis. Atqui quid hoc dici potest absurdius? id quod tamen dicere Astrologi quidam non dubitarunt. Lucius enim Tarutius Firmanus (ut refert Cicero) familiaris Ciceroni, in primis Chaldaicis rationibus eruditus, urbis etiam Romæ natalem diem repetebat ab iis Parilibus, quibus eam à Romulo conditam accepimus: Romamq; cum esset in iugo Luna, natam eam dicebat, nec eius fata cauere dubitabat. *ô vim maximã erroris* (subdit Cicero) *etiamne urbis natalis dies, ad vim stellarum & Luna pertinebat? Fac in puero referre, ex qua affectione cœli primum spiritum duxerit: num hoc in latere, aut in cemento, ex quibus urbs est effecta, potuit valere?*

VI.

Concludo igitur ex iis, non esse tantam cœlorum vim, in hæc inferiora, quantam ipsi Astrologi fingunt, ita ut omnes corporum constitutiones, qualitates, affectuum propensiones, à cœlis pendeant:

pendeant: quandoquidem ab aliis sæpe cauſſis magis, quàm à cœleſtibus emanant.

Tunc verò ſic licet argumētari: Si non eſt tanta aſtrorum vis, vt ad omnes corporum qualitates, habitudines, & affectus illos, qui corporum qualitatibus participant, ſeſe ſemper extendat & valeat: multò minùs erit tanta, vt valere poſſit aut in ea omnia, quæ cuique ſunt euentura, vel quæ quiſque in vita eſt acturus, aut paſſurus. Nã vt maximè poſſint ſydera quaſdam in hominibus qualitates informare: efficere tamen non poſſunt, vt poſtea hoc vel illud aliunde illis obueniat, aut vt quiſque hoc vel illud faciat. Multò minùs poteſt eſſe tanta, vt valeat in cuiuſpiã bonitatem vel malitiam, pietatem vel impietatem, ſalutem vel damnationem. Pietas enim & ſalus, à Dei duntaxat gratia, non à cœlis pendet: impietas verò & damnatio cum à Sarana, tum maximè à libera hominis voluntate. Neque tanta eſſe poterit in hominum conſilia & ſtudia, nimirum vt efficiant, quò hominum conſilia, quæ inter ſe ineunt, ſecundum vel aduerſum habeant euentum. Euenta enim huiuſcemodi, in alterius, non in ipſius, cuius eſt conſilium, arbitrio poſita ſunt. A Deo enim sæpe (vt in S. literis patet) hæc ſine intermediis naturalibus cœlorum influxibus immittuntur. Exemplum trium varii generis pœnarum, quarum optio facta fuit Dauidi, hoc quod dixi, confirmat. Ergo neque hæc, ex via aſtrorum præſentiri aut prædici ab Astrologis poſſunt: ſed tantùm à Prophetis, quibus ea reuelat Dominus.

Primum igitur fundamentum Astrologorum, quo dicunt, cœlos & Astra vim in hæc inferiora habere, elementa, homines, &c. ideoque ab eis etiam indicari, corrui, si respondeamus, habere quidem cœlos & astra vim tuâ luce & motu generalem in hæc inferiora corpora, corporum habitudines, & affectionum propensiones: in reliqua verò nullam: corrui inquam, si cœlorum influxum & vim, quam ad omnia, & res & personas & actiones extendunt Astrologi: nos eam ad corpora tantum, & corporum qualitates, adde & affectuum propensiones contrahamus, sicut reuera contrahenda est. Neque id etiam semper: cum corporum etiam qualitates, & affectuum propensiones, nō semper à cœlis, sed ab aliis causis pendeant.

Ad secundū
fundamen-
tum, respon-
sio.

Sed esto, vt vis cœlorum ad illa omnia, de quibus supra diximus, extendatur: corrui tamen secundum fundamentum, quo dicunt Astrologi, ex vi Astrologiæ cognoscere se omnium cœlorū & syderum vim & influxus. At quo pacto hoc probabunt? Contra opponamus scripturam. Genes. 15. *Suspice cœlum, & numera stellas, si potes*: quo indicat, fieri non posse, vt omnes à nobis stellæ numerentur: quomodo igitur earum influxus cognoscentur? Colligit hinc Augustinus Tom. 5. de ciuit. Dei, lib. 16. c. 23. hac scripturæ autoritate contemnendos esse eos omnes, qui numerum stellarum comprehendisse ac conscripsisse se iactant. Solius hoc Dei est, qui omnes etiam stellas suis notat nominibus, vt est Psal. 147. Si igitur numerum stellarum non tenent Astrologi, & vnæquæque suam (de ipsorum sentētia) habet vim in inferior-

inferio-

inferiora, quam tamen ignorant: quî igitur fieri potest, vt aliquid certi de quouis homine, ex vi stellarum, sub quibus est natus vel conceptus, possit asserere? Agnoscit v. gr. conceptum esse vel natum aliquem sub influxu Veneris, venereum igitur futurum pronuntiabit. At fortasse conceptus est, & natus sub influxu aliûs stellæ, influxui Veneris cōtrario, quo fiet, vt magis ad continentiam, quàm ad libidinem sit propensus.

Sed esto quoque, vt omnes stellas, omniumq; stellarum vim teneant Astrologi: nisi tamen certò agnoscant, quo temporis momento, ideoque sub quo cuiusque stellæ influxu, quisque sit, non dicam, natus, sed conceptus, profectò nihil de cuiusque moribus, morte vel vita, felicitate vel infelicitate, & id genus aliis pronuntiare certi poterunt. Dicunt se scire; at hoc quàm falsò dicatur, nemo non videt. Motus enim cœli & stellarum ita celer est, vt momentum vnum discernere ab alio nullus mortalium possit: sed cum putas te momentum vnum obseruasse, sub quo duo gemelli nati sint, duo maximè inter se distãtia temporis momenta, & cœlorum spatia reperientur, sub quibus gemelli illi nati sint: id quod Nigidius Figulus Astrologus (vt referunt historiæ, & præsertim August. de ciuit. Dei, lib. 5. c. 3.) testatus fuit. Cùm enim proposita illi esset quæstio, quî fieret, vt duo gemelli, eodem tempore nati, diuersissimis tamen naturis & ingeniis & voluntatibus & moribus nascerentur, si omnes, qui sub eodem stellarum influxu nascuntur, easdem à cœlis naturas, ingenia, voluntates, mores consequantur: respondit, etsi spatium nullum, vel minimum

*Ad Tertium
responsio.*

temporis intercessisse inter vtriusq; gemelli natiuitatem nobis videtur: plurimum tamen intercessisse planè fatendum est, quod quantū sit, nos ignoramus. Hoc autem simili totum hoc expressit. Rotam figuli, quanta potuit vi intorsit, ita vt maxima celeritate rotaretur: currentem celeriter rotam, bis sed citissimè atramento percussit & aspergit: nemo est, qui non dixisset, eodem in rotæ loco, duo illa atramenti puncta esse: tamè vbi rota desiit moueri, inuenta sunt duo illa puncta seu signa, quæ Nigidius fixerat, non paruo interuallo, in rotæ illius extremitate distare: Tum Nigidius: *Sic (inquit) in tanta cœli rapacitate, etiamsi alter post alterum (loquens de gemellis) tanta celeritate nascatur, quanta rotam bis percussit: tamen cœli spatium plurimum est. Hinc sunt (inquit) quæcumq; dissimilima perhibentur in moribus casibusq; geminorum. Et certè id, quod nobis videtur exiguum, vel nullū esse temporis spatium, quod inter duorū gemellorum conceptionē & natiuitatem intercedit: si mente tamen (vt ait Quintil.) perspicere velis orbis huius & cœli vastitatem, scies nullū esse, quod inter duas transcurrit animas. Falsus est igitur Nigidius, ignorare nos verum & certum istud temporis momentum, sub quo quisq; gemellus natus sit: inde verò conclusit proficisci, eam morum & voluntatum, rerumq; omniū diuersitatē, quæ in gemellis cernitur. Ceterùm hîc ait August. *Hoc figmentum (inquit) fragilius est, quàm vasa, quæ illa rotatione finguntur. Nam si tam multum in cœlo interest, quod constellationibus comprehendendi non potest, vt alteri geminorum hereditas obueneriat, alteri non obueneriat: cur audem ceteris, qui gemini non sunt, cum inspe-**

xerint

xerint eorum constellationes, talia pronuntiare, quæ ad illud secretum pertinent, quod nemo potest comprehendere, & momentis adnotare nascentium?

Cùm igitur ostenderimus & capita præcipua, in quibus sita est iudiciariæ Astrologiæ professio, vana ac falsa esse: & fundamenta, quibus nititur, non solùm nimis infirma, sed etiam vanissima & falsissima esse: manifestum esse puto, quàm tota hæc professio vana & falsa sit.

Cùm verò etiam verbum Dei illam prorsus damnet, cùm prohibet, ne Ariolos, Astrologos, Chaldæosve consulamus, quos etiã saepe per Prophetas, ut vanissimos Deus irridet, ut patet in Iesaja, & aliis Prophetis, sicut initio huius quæstionis ostendi: Et cùm Patres etiam omnes eam sint acerrimè persecuti, ita ut nullus ferè Ecclesiasticus scriptor ex antiquis Patribus existat, qui non contra hanc vanam & superstitiosam Astrologiã scripserit: Quin etiam cùm fuerit expressis legibus, tum in Conciliis, tũ ab Imperatoribus Christianis prohibita & damnata: adde, cùm etiam à sapientibus Philosophis, imò etiam à multis eorum, qui in Astrologia maximè excelluerunt, damnata: miror, miror, tantam nunc esse quorundã hominum, qui Christiani appellantur, qui Evangelium profitentur, qui alioqui sunt & probi & docti homines cæcitatẽ, ut non solùm hisce falsis & vanis Astrologis etiamnum credant; sed etiam in huius vanissimæ artis studium toti incumbãt. Potuitne Satan pestilentiosem hac inuenire rationem, quã fidelium corda, à verbo Dei auelleret? vid. Cal. contr. Astrol. iud. § 12.

DE DIVINATIONE PER
insomnia.

Diuinationis genera duo ex Cicerone principio retulimus, alterum artificiosum, alterum naturale, seu quod caret arte, ab eodem Cicerone appellatum. Sub primo genere 20. species reposuimus, quarum quasdam in vnum quasi fasciculum complexi, quantum veritatis habeant, quamque Christiano liceret, paucis ostendimus: quasdam verò seorsim singulas aggressi, quam veræ, quamque licitæ sint, vel non sint, satis abunde hætenus explicuimus. Nunc superest, vt alterum genus, quod expers artis esse dicitur, quam itidè verum & licitum sit, explicemus. Sunt autem sub hoc genere species duæ, diuinatione per somnia; & diuinatione per furorem. Dicam primùm de Diuinatione per somnia; deinde de altera, per furorem.

Mihi autem dicturo de Diuinatione per insomnia, quædam prius de insomniis ipsis necessariò dicenda sunt. Si enim ignoremus quid sit insomnium, quot & quæ eorum causæ, & quot eorù genera: profectò quæstiones quæ de Diuinatione per insomnia poni solent, benè explicari non poterunt. Idcirco & Aristoteles primum librum edidit *περὶ τῶν ἐνυπνίων*: deinde librum *περὶ τῆς κατὰ ὑπνομαντικῆς*. De insomniis igitur dicam non quidem omnia, quæ à Philosophis traduntur: sed ea tantùm, quæ ad præsentem quæstionem de Diuinatione per insomnia, faciunt.

Hæc autem de insomniis in præsentia dicenda esse videntur.

I. Quo-

I. Quoniam (vt ait Aristot.) τὸ ἐνύπνιον ἐστὶ φαινόμενον *Præcipua causa de insomnia.*
 ἡ δὲ τοῖς καὶ ἐν ὑπνῷ, videndum primò quid sit ὑπνός, *Præcipua causa de insomnia.*
 antequam videamus, quid sit ἐνύπνιον, vt inde appareat discrimen inter vtrumque: imò etiam hinc meliùs patefiet, quid sit insomnia. Vnde Arist. *Ἐπι τῶν ἐνύπνιων* inquit, *Quid autem sit insomnia aut qua ratione fiat, ex iis maximè, quæ in somno accidunt, cognosci potest.*

II. Quid sit ἐνύπνιον, id est, *insomnium, seu somniū.* Neque enim discrimen vllum facio inter somniū & insomnia, sicut neque Aristoteles: quãquam Macrobius & alii permulti faciant.

III. Quot sint somniorum causæ.

IV. Quotuplex ἐνύπνιον, seu, quot insomnia-
 rum genera, vt inde tandem appareat, per quæ somnia possit, & per quæ non possit fieri diuina-
 tio: seu, quorum somniorum interpretatio ac di-
 uinatio probanda, quæ improbanda, quæ licita,
 quæ illicita sit.

V. His declaratis, paucis & facilè explicabun-
 tur quædam de Diuinatione per insomnia quæ-
 stiones. Prima, vtrū aliqua Diuinatione per somnia
 fieri possit. Secunda, si possit, per quænam possit.
 Tertia, atque ita quæ licita sit Christiano, quæ
 non.

DE I.

ὑπνός, in quo sit ἐνύπνιον, & qui (vt ait Arist. *Ἐπι ὑπνὸς καὶ ἐξ ἐξηγήσεως, c. I.*) φαίνεται σέριστος οὗ ὑπνὸς τῆς ἐξη-
 γήσεως, quid sit, nemo est, qui nesciat, cum omnes
 quid sit quotidie experiamur. Sic autem definiri
 non iniuria potest. Somnus est quædam sensitivæ *Somniū quid sit.*
 facultatis affectio, quâ sensibus (scilicet externis)
 confopitis, animal quiescit. Colligantur enim

sensus omnes exteriores in somno, ne animal quicquam videre, audire, olfacere, gustare, aut tāgere vllō modo possit. Inde animal quiescit. Interna tantum φαντασία, per quam fit insomnium, non colligatur, imò tum maximè vagatur. Habetis quid sit ὕπνῳ. Reliqua quæ à Philosophis de somno traduntur, huc non pertinent. Satis est nouisse, quid sit somnus, in quo fit insomnium, & sine quo insomnium esse non potest.

DE II.

Ἐνύπνιον verò quid sit, Aristoteles (qui vt omnia, ita & hanc materiam diligentissimè explicauit) antequam definiat, prius proloquia seu ἀξιώματα, quæ & diligenter explicat, præsumit: deinde ex illis in fine libri, quid sit insomnium aperit. Igitur & nos illa, vtpote ad agnoscendum quid sit, & quomodo fiat insomnium ἐν τῷ ὕπνῳ scitu necessaria, quàm poterimus breuissimè explicabimus.

I.

Primum proloquium ad illam Animæ potentiam seu virtutem spectat, qua fit insomnium, & cui apparet insomniū: vnde ita incipit; μετὰ δὲ τῶν πᾶσι τοῖς ἐνυπνίων ζητητέον, καὶ ἀρχαίον, πῶς τῶν τῆς ψυχῆς φαίνεται, καὶ πότερον τῆς νοητικῆς καὶ τῆς αἰσθητικῆς τῆς τοῖς γινόμενοις τῶν ἐν ὑμῖν γινόμενων. Est autem in summa hoc proloquium primum: Insomnium non fit vi partis sensitivæ (sensuum scilicet exteriorum) neque vi partis intellectivæ; sed vi τῆς φαντασίας seu imaginariæ, seu, vt alii loquuntur, non est passio sensitivæ, &c. Primum, non partis sensitivæ, scilicet exterioris, vel (vt loquitur Aristoteles) ὅτι ἀρχὴ τῆς αἰσθητικῆς τὸ ἐνύπνιον. Ratio, quoniam insomnium fit,

De potentia
& subiecto
somnia.

fit, dum animal dormit, *ἐν τῷ ὕπνῳ τὸ ἐνύπνιον*. Dum autem animal dormit, exteriores sensus ita sunt colligati & consopiti, ut nihil sentiant, oculus non videat, aures non audiant. Hæc est enim proprietas somni, ut in eius definitione visum est. Insomnia autem sunt simulachra quædam (ut postea videbimus) quæ phantasiæ apparent. Ergo somnium non fit vi sensuum exteriorum.

Secundò, non fit vi partis intellectiue, licet ad illud sæpiùs concurrat. Ratio, propriè enim intelligimus vniuersalia. Insomniis autem videmus particularia. Quod enim videmus insomniis, non solum dicimus hoc esse, v. gr. animal, hominem, quæ sunt intelligibilia, sed etiam esse hominem album, vel pulchrum, tali indutū veste, talia loquentem, quæ circumstantiæ sunt, non ad intellectum, sed ad sensum pertinentes. Ergo vi intellectiue partis non fit, vel non apprehenditur somnium.

Dixi, licet aliquando ad illud concurrat. Ratio, quoniam aliquando contingit, ut in somnis, præter ipsa phantasmata, quæ sunt ipsa somnia, aliquid aliud intelligamus, seu mente percipiamus, ut cum in somniis quis metra componit, locum aliquem scripturæ cõsiderat & intelligit, aliquod argumentum dissoluit, quæ quidem sine operatione intellectus fieri non possunt.

Tertiò, sed fit in *φαντασιας*, seu imaginariæ, quæ est sensus interior. Est enim somnium passio eius potentiæ seu facultatis, quâ decipimur. Ægroti quidè in vigilia, ut cum ægrotâtes videmur videre serpentes, cum tamè non videam⁹: In somnis autè etiã sani, ut cum in somnis videmur videre vel

alloqui hominem, cum tamen re ipsa non ita sit. Potentia autem hæc, quâ decipimur sæpe, est *φαντασία*. Vi ergo *φαντασίας* fit insomnium. Hoc est primum proloquium, quod phantasiâ fiant somnia, & hæc somnia apprehendamus, vnde & *phantasmata* appellantur ab Aristotele, & sunt.

II.
De materia
somnia.

II. Secundum proloquium, & quædam alia, quæ sequuntur, spectant ad materiam somnii, vt inde tandem appareat, quid sit somnium. Ergo secundum proloquium est hoc: Sensilia in vnoquoque sensorio, non solum sensum efficiunt, dū sunt præsentia: sed etiam sui species in sensorio impressas post suum etiam discessum, seu absentiam relinquunt.

1. Apparet id in visu. Si figas in Solem oculos, non solum videbis solem, quamdiu est præsens: sed etiam vbi oculum auerteris aliquandiu speciem solis in oculo impressam habebis, ita vt plenus luce Solis oculus videatur. Item, si aquam rapidè currentem intentè intueris, vbi etiam auerteris oculum, per aliquod temporis spatium, omnia etiam quiescentia tibi moueri videbuntur.

2. Idem in auditu, & in odoratu, & in gustu patet, in quibus singulis species sensilium impressæ relinquuntur. quemadmodum accidit in projectione, vbi aliquid proieceris, v.g. lapidem, te etiam illum amplius non tangente, ille mouebitur. Cur? quoniam vis mouentis in lapide impressa aliquandiu in illo remanet. Ita sensilium species in sensoriis manent aliquandiu, absentibus etiam sensilibus ipsis. Ita etiam in phantasia, species seu simulachra rerum, quas sensib⁹ exterioribus sensimus, remanent, vbi ad illam transmissæ fuerint.

Hoc

Hoc proloquium declarat, ex qua materia fiant somnia, ex speciebus sensilium, quæ in sensoris externis relictæ, ad phantasiam deinde sunt transmissæ.

Proloquium tertium: Qui affectu aliquo, aliquaue perturbatione premuntur, facilè circa sensilia decipiuntur. Patet. Meticulosi omni vel minimo strepitu percepto, hostes imminere sibi putant. Ita ægrotus, volitantem muicam, serpentem aliquem vel Dæmonem esse existimabit. Ita etiã in somniis decipiuntur homines à phantasia: quãquam aliquando intellectu accedente, sese interdum corrigant, vt dicant, scio me somniare, neq; ita esse, vt apparet.

Proloquium quartum eò potissimum spectat, quomodo fiat somnium: est autem hoc: Motus à simulachris non tantum in vigilia, sed etiam in somno fit, & quidem magis in somno, quàm in vigilia. Quod vt intelligatur, notandum, quomodo fiat somnium. Primò, sensilia externa, mouent sensus externos. Secundò, species in sensibus externis impressæ, per sensum communem ad phantasiam deferuntur, ibique conseruantur, & phantasmata à Philosophis appellantur. Tertiò, à phantasia ad sensum communem reuertuntur phantasmata, vel potiùs phantasmatum species. Regressus igitur à simulachris est, cum aliæ species & imagines phantasmatum à phantasia deferuntur ad sensum communem, ita vt videaris videre sensilia ipsa foris ceu præsentia, tamen si absentia sint. v. g. vt cum in somno videris videre Socratem, audire musicam, &c.

Motus ipse fit primò & in vigilia, præsertim si

K

III.

De causa erroris in somniis.

IV.

De ratione, quæ sunt somnia.

ægrotes, vt freneticis accidit, qui videntur sibi videre mira, & sunt imagines regressæ à phantasia ad sensum communem. Imò etiam si sanus sis, & cogites de re valde chara, videbitur tibi diu præsens ante oculos: imago est reuerfa à simulachro, quod erat in phantasia, vel memoratiua. Secundò fit, dum incipis dormire, & nondum perfectè colligati vel consopiti sunt sensus: & tunc nõ est verè somnium, sed partim verum sentimus, partim fallimur. Verum, quia audies aliquem loquentem: fallimur, quia putabis longè abesse, & tamen præsens erit. Tertiò, fit in perfecto somno. Tunc enim maximè libera phantasia, consopitis externis sensibus, maximè vagatur, & circa phantasmata illa occupatur, & subinde imagines ex illis simulachris expressæ, ad communem sensum remittuntur, ita vt sensibus videamur quasi res ipsas præsentis sentire. Hoc propriè somnium est, & hoc pacto fit.

V.
De diuersitate somniorum.

Proloquium quintum ad somniorum diuersitatem spectat, cur aliquando distincta sint somnia, aliquando vaga & interrupta. Est autè hoc proloquium. Phantasmata aliquando integra, aliquando fracta deferuntur ad cor, vbi sedes est sensuum omnium, & præsertim communis. Sensus est: idè contingere in somniis gignèdis, quod etiam contingit in imaginibus exprimendis, in aqua, quando in illam intuemur. Si vas plenum sit aqua, & manu fortiter moueatur, tametsi in aquã respicias, in aqua tamen nulla tui apparebit imago. Quare? ob nimiam aquæ agitationem & perturbationem, quæ non sinit imaginem imprimi.

Vbi

Vbi verò cœperit sedari aqua, & patum moueri: imago quidē tui apparebit, sed aliquantò distorta. Vbi autem perfectè quieuerit aqua, tunc tui imago in aqua apparebit recta & integra. Vnde hæc diuersitas eiusdem imaginis tuæ? Non quidem ex diuersitate faciei tuæ, quæ eadem est, sed ex varia recipientis aquæ dispositione. Idem accidit in somnis, dum scilicet dormimus. Nam quanquam simulachra continuè à phantasia ad sensum communem reuertantur: non tamē semper somnia excitantur, seu nō semper nobis imagines vllæ appatēt. Aliquando verò somniamus, sed somnia illa inquieta sunt & confusa seu vaga: aliquando verò somniamus & somnia illa sunt clara & ordinata ac distincta, vsque adeo, vt aliquando videamur nobis non somniare, sed asserimus rem ita esse. Vnde hæc diuersitas? Non à simulachris ipsis: sed à diuersitate euaporatiui humoris, qui in dormiente aliquando nimius est, & nimis exagitatus, ita vt sanguinem, qui à phantasia ad sensum communē secum trahit simulachra, perturbet: tunc sanguis ille est instar aquæ perturbatæ, in qua nullum apparet idolum, tunc nullum fit somnium. Hoc vsa uenit pueris & ebriis, & denique omni ferè dormienti, post assumtum nutrimentum, primâ somni horâ. Aliquando humor ipse remitti incipit, ita vt & sanguis, qui defert phantasmata, minùs sit perturbatus: tunc fiunt somnia, sed aliquantum perturbata & vaga: id quod secundâ ferè dormitione contingit. Aliquando verò ita sedatus est humor ille, & cum eo sanguis, vt nulla ibi sit perturbatio: tunc fiunt somnia perspicua & clara.

16

26

30

Id quod vsuuenit primò sobriis omnibus, præfer-
tim veìò manè, sedato omni humore. Ita clara
fiunt somnia, vt videantur non somnia, sed aper-
tæ visiones. In huiusce modi solent somnia à Deo
excitari: & hæc illa sunt, per quæ licet fieri diui-
nationem, vt dicemus.

His omnibus explicatis, tunc inquit Aristote-
les: ἐν δὲ τῆσιν ἀπάντων ἐστὶ συλλογίζεσθαι, ἢ εἰ τὸ ἐνύπνιον,
φαίνεται μὴ τὴν ἐνύπνιον: id est, ex his itaque omnibus
colligere licet somnium esse phantasma, seu visum quod-
dam sed quod in somno sese offerat. Sed nos plenio-
rem afferemus de finitionem.

Somnium
quid sit.

Somnium est phantasma, quod à phantasia per
sanguinem ad cor delatum, à sensu communi in
somno recipitur. Nā dum est in via ad cor, phan-
tasma est: dum autē receptum est in corde à sensu
communi, somnium est.

Fox. Somnium est quadam imago in cerebro ob-
ue: sans, quam imaginatio à memoria eductam, aguat.

Philip. lib. de Anima: Imaginatio est, facta in so-
mno, variè in cerebro discurrentibus speciebus, qui sunt
cogitationum instrumenta, & efficiunt simulachra.

Habetis quid sit somnium, & quomodo etiam
fiat. Neque veìò hæc abs me frustra dicta fuisse
mox intelligetis, vbi ad partitionem somniorum
ventum erit. Partitio veìò necessaria est, ad expli-
candam quæstionem de Diuinatione, per quæ-
nam somnia Diuinatione fieri possit, & per quæ
non.

DE III.

Causæ so-
mnicrū quæ
& quorūpli-
ces sint.

Causæ somniorum permultæ sunt: sic autem
illas partimur iis partitionibus.

I. Causæ

I. Causse somniorum alia sunt extrinsecæ ipsi dormienti seu somnianti, alia intrinsecæ.

II. Extrinsecæ tres sunt præcipuæ. Prima Deus. *Extrinsecæ quæ & quæ*
Solet enim Deus aliquando somnia immittere suis Prophetis & aliis viris piis, ut in Scripturis patet: imò aliquando & impiis, sicut de somnio Pharaonis patet, quod in nullum à Deo fuisse Pharaoni, Ioseph ipse Genes. 41. testatur: idque aliquando per se, aliquando operâ alicuius Angeli. Secunda, Dæmon. Solet enim & ipse aliquando in suis Pseudopphetis & aliis impiis, somnia excitare, sicut pleraq; somniorum illorum, quæ apud profanos scriptores de Gentibus referuntur. Tertia, cælum ipsum. Cum enim phantasia, in qua excitatur somnium, potentia sit cum corpore participans, seu (ut loquuntur Philosophi) organica, corpori cœlesti subiicitur: quo fit, ut cælum, sicut potest in corpore humores ciere, indeque aut sanitatem, aut morbum gignere: & sicut potest in nobis commouere irascibilem potentiam, indeque ad iram: & concupiscibilem, indeque ad amoré excitare: ita potest simulachra seu phantasmata in ipsa phantasia seu potètia imaginaria commouere, indeque insomnium gignere. Hæ sunt causse somnii extrinsecæ, quarum prima & secunda sunt spirituales & supernaturales: tertia corporalis & naturalis. Iam ad intrinsecas.

Causse verò intrinsecæ duplices sunt: quædam sunt naturales, quædam animales. Naturales sunt ipsi interni, & dominantes in corpore dormientis humores, & corporis alterationes. v. gr. ut cum redundat in te cholera, vel pituita, vel sperma, vel cum sitis, vel fame scis: tunc solet excitari somniū, *Causse somnii intrinsecæ quatuor duplices. Naturales quæ.*

quo tibi ipsi videberis in rogam aliquem accensum ingredi (hoc est à redundante cholera, seu accensibili) vel in aquam mergi (hoc est à pituita) vel rem habere cum aliqua (hoc est à spermatis superabundantia) vel bibere, vel comedere (hæc sunt à siti & fame.

*Animales
causæ & quo-
simplices.*

Animales verò somnii causæ, sunt ipsæ Animæ affectiones, vt sunt metus, amor, &c. quæ etiam triplices sunt. Aliæ sunt affectiones naturæ, vt naturalis metus, amor, &c. Aliæ sunt affectiones artis, quatenus aliæ sunt affectiones studiosi literarum, aliæ piscatoris, &c. Aliæ sunt affectiones eorum, quæ nobis obiter occurrunt, vt sunt affectus earum rerum, quas vel agere, vel facere, vel meditari, vel inuenire, aut recordari cœpimus interdium, vel proposuimus. Hæc, causæ animales appellantur, propterea quòd à sensitua apprehensione, quæ animali est propria, proficiscuntur. Habetis causas somniorum. Hinc patefiunt genera eorum.

DE IV.

*somniorum
quot sint ge-
nera.*

Somniorum igitur genera multa sunt, sicut etiam multæ causæ. Sic autem partior iis partitionibus.

I^a. Tria sunt in primis somniorum genera: quædam diuina, quæ à Deo, quæ & *ἑὸν δὲ θεοῦ* dici possunt: quædam Diabolica, quæ à Diabolo immittuntur: quædam naturalia, quæ à causis dormienti intrinsicis fiunt, seu quæ originem habent in nobis: sicut duo superiora originem non habent in nobis, sed à causis externis in nobis exstantur. Hic enim sub naturalibus complector etiam animalia, quippe quæ omnia causas habent in somniantem intrinsicas.

II^a. Di-

II^a. Diuinorum species tres sunt, de sententia Augustini & aliorum. Vna est, qua Dominus eos, quos sibi libet, de futuris, inter dormiendum apertis verbis instruit, & hoc oraculum vocatur. Tale fuit somnium Abrahamæ Genes. 15. Vbi Dominus per somnium Abrahamæ apertè prædixit de semine illius futuro captiuo in terra Ægyptiorum, deinde possessuro terram Chanaam. Gen. 20. tale fuit somnium, in quo Dominus Abimelechum Regē Geraræ claris verbis increpauit, & quid ipsi esset faciendum admonuit. Matth. 2. Sic Iosepho in somnis apertè dixit Angelus, *Tolle puerum & fuge in Ægyptum, &c.*

Diuinorum
somnia
species tres.

1. Oraculū.

Altera est, cū Dominus per figuras & spectra quædam futura in somnis ostendit; & hoc vocatur somnium, quod ita definiti potest, quòd sit visum diuinitus dormienti ostensum, sed figuris & inuolucris tectum, quod non nisi interpretatione per spiritum Dei intelligi potest. Sic etiam August. de spiritu & Anima, cap. 25. *Somnium est figuris tectum, & sine interpretatione intelligi non potest.* Talia fuerunt insomnia Iosephi Gen. 37. quādo vidit reliquos manipulos assurgentes suo manipulo, & Solem & Lunam cum stellis se adorare. Talia fuerunt insomnia Eunuchorū Pharaonis, quæ interpretatus est Ioseph, Genes. 40. Tale etiam somnium Pharaonis, Gen. 41. cū vidit 7. vaccas pingues, & 7. macilentas.

2. Somnium.

Quid sit somnium diuinum.

Talia sunt apud Danielelem Nabuchodonosoris, & suum. Item in Apocalypsi.

Tertia species somnii diuini & *geomantis* est, cū Dominus alicui in somnis clarè ostendit, quæ futura sunt eo modo, quo etiam sunt futura,

3. *Visio.*

tanquam depicta in aliqua tabella: & hæc vocatur ab Augustino *visio*. Sice enim Tom. 3. de spiritu & Anima (si tamen sit Augustini) c. 25. vbi quinque somniorum genera recenset, ait: *Visio est, cum id, quod videt quis, eo modo, quo apparuerat, euenit.*

Ego tamen (vt quod sentio liberè dicam) in Scripturis non reperio, visionem vocari, huiusmodi somnium, quod iam est definitum: sed visio opponitur somnio, Num. 12. Vbi Dominus ponit modos, quibus Dominus ordinariè apparere solet: primus in visione: alter in somnio. Visio igitur est, cum Deus apparet in vigilia: somnium, cum in somno, id quod expressè patet Genes. 15.

Hic obiter notandum est ex Iamblichio in lib. de Mysteriis, discrimen quoddam inter tempus, quo naturalia, & tempus, quo diuina somnia fieri solent. Fuit quidem vir Platonicus: sed multa etiam præclara per hosce viros reuelauit Deus.

*Naturalia
somnia quã
de fiunt.*

Naturalia somnia fiunt tantum in profundo somno, cum sensus exteriores (vt vidimus ex Aristotele) penitus sunt ligati. Nam in vigilia aperta non contingit somnium: inter vigiliam & somnum, cum scilicet incipimus dormire, non fit somnium, quia sensus externi non sunt penitus ligati: sed partim verum sentiunt, partim decipiuntur. In perfecto verò somno, fit insomnium.

*Diuina
quando.*

Diuina verò insomnia potius fiunt inter vigiliam & somnum, cum incipimus dormire: vel inter somnum & vigiliam. Hoc non videtur dissentire à S. literis, vbi plerumque legimus, quòd cum Dominus immittit alicui somnum vel soporem, ibi statim sequitur, *Et Ecce vidit, &c.* quã locutione indicat, viros, quàm primum correpti fuerunt

erunt

erunt somno & sopore aliquo, qui est medius inter vigiliam & verum somnum, vidisse quæ Dominus ostendebat. Sic est Genes. 15. de Abraham: *Et fuit, Sole occumbente sopor cecidit super Abram: Et ecce terror tenebrosus, &c.* Verba Iamblichi huc referre non grauabor: *Somnia quandoque incitantur in nobis ab innatis intelligentiis, rationibusve: vel ab imaginationibus curisq; diuinis, quæ aliquando verum assequuntur, plurimum verò falluntur. Atque hæc humanis principiis oriuntur, dormientibus contingunt, vigilia nihil habentibus. Somnia verò missa diuinitus, non ita contingunt: sed veniunt vel inter vigiliam atq; somnum (ut quando imus cubitum) vel inter somnum atque vigiliam (ut manè, antequam surgimus) vel in ipsa vigilia: tum breues audiuntur voces, quid agendum sit admonentes, &c.*

Item infra: *Somnia humanis causis procedentia, defectus patiuntur duos. Nam & in ipso somno, omnino dormientibus accidunt: & nos tunc non distinctè, vel plerè animaduertimus, aut quæ occurrunt, aut statum ibi nostrum. Quando verò diuinitus mittuntur somnia, neq; reuera dormimus, & assequimur animaduertimusque clariùs, quàm consueuerimus vigilantes: ideoq; in huiusmodi somniis maximè ponitur vaticinium. Mihi videntur verba non Platonici Philosophi, sed diuinissimi Christiani.*

Habetis species somnii diuini, quæ iuxta multorum sententiam tria sunt: Ego verò duas tantum facerem, oraculum & insomnium: cum visio propriè fiat in vigilia, ideoque non sit somnium, nec eius species.

III^a. Naturalia partior in duo genera, in verè & propriè naturalia, & in animalia. Naturalia

Naturalia somnia quæ modo diuisa dantur.

sunt, quorum principia seu causæ sunt humores, aut alterationes in corpore somniantis: ac sub istis complector etiam illa, quæ à cælo excitantur. Ab illo enim humores alterantur. Animalia sunt, quorum principia & causæ sunt affectiones in anima & mente somniantis.

*Animalia
motuplicia
sunt.*

I V^a. Animalia triplicia sunt, alia ab affectionibus Animæ naturalibus, vt à naturali metu, vel fortitudine animi, excitantur somnia, in quibus videmur vel inimicis terga dare, vel illos persequi & occidere: atque idem de reliquis affectionibus animæ naturalibus: v. gr. vt à naturali habēdi cupiditate, vel à naturali liberalitate, excitabitur somnium, quo videbimur vel numos inuenisse, vel eos aliis distribuisse.

2. Alia ab affectibus artis. Alii enim sunt affectus (vt supra dixi) studiosi literarum, alii piscatoris. Ideo alia somnia excitantur in studioso, alia in piscatore: in illo somnium, quo videbitur sibi librum aliquem, elegantem inuenisse, vel disputare, vel scribere: in isto somnium, quo sibi videbitur magnam piscium multitudinem cepisse. Tractant enim fabrilia fabri: ita & diuersæ artium affectiones, diuersa excitant somnia. Vnde illud Claudiani:

Judicibus lites, aurigæ somnia currus.

3. Alia sunt ab affectionibus eorum, quæ obiter nobis accidunt, vt sunt affectus earum rerū, quas vel agere, vel facere, vel inuenire, vel recordari cœpimus aut instituiimus. Ab iis enim etiam excitantur somnia, & vulgò dicitur, vt etiam Cic. affirmat, quod de quibus solemus interdium colloqui, meditari, agere, ea noctu solemus somnare. Inde

re. Inde illud Theoc. *πάσα κύνων ἄρτες μαντ' ἀνεταίχ' ἰχ' ἴα καίω.* Hæc sunt perspicua, & nemo ferè est, quid non re ipsa experiatur.

Addam quintam partitionem ex Arist.

V^a. Somniorum quædam sunt causæ, scilicet per se eorum, quæ futura sunt nobis: quædã sunt signa tantùm eorum scilicet, quæ sunt, vel etiam futura sunt: quædam verò sunt neq; causæ neq; signa, sed tantùm accidentia, siue fortuita. Et hæc partitio Arist. est in initio *ὡς εἰ τῆς κατ' ὕπνον ἡμερμεύσης.* Quid per causam? λέγω δὲ αἴτιον μὲν, οἷον τὴν σελήνην τὴν ἐκλείπειν τὸν ἥλιον: id est, causam autem voco, v. gr. deliquii Solaris, Lunam, id est, interpositionem Lunæ inter nos & Solem. Item, labor immodicus, causa est febris. Signum verò quid? est effectus ipse, vt lingue asperitas signum est febris, quia est eius effectus. Item, Tonitruum signum est pluuie. Est enim effectus aquæ in cælo coactæ, & deorsum casuræ. Accidens, quod neq; causâ, neque effectus est, vt euaginatio gladii in Solis Eclipsi. Si enim gladio è vagina educto Sol obscuretur, euaginatio gladii accidens est seu fortuita causa eclipsis Solis. Quæ cum ita sint, ait Philosophus, primò, quædam somnia, causas esse rei futuræ, v. gr. Architectus aliquis ingeniosus, interdium attentè & diligèter cogitat, quomodo domus ista sit ædificanda, hinc fit vt noctu dormiēs somniet, sic & sic esse ædificandam. A somno excitus, somnium cōsiderat, & videt, optimam esse rationem, si sic ædificetur domus, sicut in somno somniarat, atque ita ædificat. Tunc somnium illud causa fuit ædificii. Idem de Imperatore aliquo in exercitu dici potest, si exercitum ea ratione disponat contra hostem, qua in somno se illum instruxisse somniarat.

Secundò, quædam verò somnia, signa tantùm sunt eorũ scilicet quæ sunt, vel etiam futura sunt: v. gr. somniauit aliquis sæpiùs, se mel comedere, vel in aquam mergi, &c. Signum est redundare in hoc homine phlegma, ideoque signum etiam futuri alicuius morbi, nisi medicamento aliquo præueniatur. Huc plerumque referuntur somnia naturalia.

Tertiò, quædam sunt accidentia fortuita, quæ scilicet casualiter se habent ad futurum euentum: v. gr. somnias noctu pluere: & manè pluit. Casus fuit, & fortuita causa. Nam etiam si non somnias- ses, pluisset. Item, somnias venisse amicum tuum, & manè vides venisse. Casus fuit. Nam neque causa, neque signum fuit. Huc spectant plerumque somnia animalia. Hæc est causa, cur somnia plerumque non eueniant, quia scilicet fortuita sunt, & accidentia. Fortuita autem & casualia, neque semper, neq; frequenter fiunt, ait Aristoteles.

His ita explicatis, modò proponuntur quæstiones istæ.

I. *Possitne aliqua fieri diuinatione per somnia, id est, possitne ex somniis certi aliquid de futuris rebus presagiri ac verè prædici.*

II. *Et si possit, per quanam somnia, & quarumnam verum per illa somnia fieri diuinatione possit.*

III. *An omnis, quæ fieri per quæcunq; somnia potest diuinatione, licita sit Christiano, nec ne: & quanam licita sit, quæ non.*

DE I.

Quod primam quæstionem attinet, per multi Philoſophi negarunt diuinationem per somnia,

Xeno-

*Precipue
quæstiones
de Diuina-
tione per in-
somnia.*

*An per so-
mnia diuina-
tione aliqua
fieri possit.*

Xenophanes Colophonius, Epicurus, Panætius, Carneades, Cynici omnes, imo & Cicero multis argumentis (quæ tamen nullius sunt ponderis, si diligenter perpendantur) omnem conatur tollere divinationem per somnia: maximam autem argumentorum illorum partem ex Aristotelis *ἔτι τῆς ἡγ. 9 ἰπνοῦ μαντικῆς* libro desumpsit: præsertim illud amplificat, quod ante ipsum Aristoteles attulit, si vlla esset per somnia divinatio, somnia immitterentur à Deo. Huius enim solus est cognoscere futura. Non immittuntur autem à Deo. Patet. Quoniam immitterentur sapientibus & probis viris: immittuntur autem sæpius stultis, &c.

R. Argumentum hoc frivolum est: immitti à Deo dicimus multa somnia, & aliquando sapientibus, vt Abrahamæ, Danieli, &c. aliquando insipientibus, vt confundat sapientes.

Aristoteles quoque primùm argumenta quædam affert, quibus confirmare videtur divinationem per insomnia, præsertim argumentum ab experientia ductum; sed postea alia ex parte affert argumenta in contrarium, & huius potius sententiæ fuit, quòd nulla possit fieri certa divinatio eorum quæ futura sunt, per insomnia. Possunt quidem per insomnia multa agnosci præterita, & præsentia, vt quoniam humores dormientur in corpore, &c. vt dicemus: sed rerum futurarum nullam voluit per insomnia fieri divinationem. Ratio, quoniam negavit insomnia diuina. Naturalia verò non posse futura indicare, sed iis ferè semper nos decipi, sensit: & si contingat, vt somniauimus, casu id euenisse sentit.

Altera verò ex parte, permulti Philosophi nobiscum fatentur, dari diuinationem per insomnia: Antipater, Iamblichus, Democritus, Dicearchus Peripateticus, Diogenes Babylonicus, Cratippus, Cleantes, Pythagoras, Possidonius, Plato, Socrates, Zeno, &c. Ii enim falsi sunt somnia aliquando à Deo immitti: ideo diuinationem per insomnia admiserunt: atque ii tales sunt viri, qui vt nullam rationem adferant, suam tamen auctoritate reliquos omnes minutos Philosophos vincant. S. Literæ apud nos valeant, vbi infinita propè somnia *ἱερότερον* narrantur, in quibus futura Prophetis & aliis piis viris sunt reuelata. Datur igitur diuinationo vera & certa per somnia.

DE II.

At per quænam somnia, & quarumnam rerum per illa somnia diuinationo esse potest?

Per quænam
somnia diuina
caso fieri
possunt.

R. Hic reuocanda sunt ad memoriam generam somniorum supra allata. Sic ergo distinctis conclusionibus respondeo.

Prima, Per somnia diuina, certa & vera diuinationo haberi potest, & quidem earum rerum omnium, quæ per illa somnia significantur. Ratio: Immittuntur enim à Deo, non frustra, sed vt quæ futura sunt, significet. Deus autem optimè nouit, quæ sint futura. Agnosci igitur ex diuinis somniis possunt, quæ futura sunt: si oracula sint, sine interpretatione: si verò somnia, inuolucris & figuris tecta, cum interpretatione, per spiritum Dei. Exempla in S. literis apertissima sunt & frequentissima, in Genesi, in Prophetis, & N. Testamento.

Secun-

Secunda: per insomnia etiam Diabolica, fieri aliquando diuinationo potest, & quidem earum rerum, quæ per illa significatur. Ratio. Potest enim etiam Dæmon futura multa prænoscere, atque ea alicui impio per insomnia reuelare. Exempla multa ex libris Gentilium, præsertim ex Valerio Max. lib. 1. c. 5. de somniis, & ex Cicerone, de Diuinatione, lib. 1. adferre possem, vbi multa somnia narrantur, quæ certè non à Deo, sed à Dæmone, hominibus illis impiis immissa fuerunt, & multa futura reuelata. Item, multa id genus somnia, nostro etiam tempore, multis impiis, præsertim Anabaptistis & Papistis, à Satana immissa fuerunt, quæ multa quidem vera prædicebant: sed tamen ab effectis, Diabolica fuisse compertum est. Sed an iis fides sit adhibenda, nec ne: seu, an hæc diuinationo licita sit Christiano, nec ne, alia quæstio est. Dicimus, minimè. Primò, quoniam Satan mendax est, & pater eius: ideo etsi aliquando verum reuelat, sæpius tamen fallit: imò verum aliquando dicit, vt postea mendacium persuadeat. Secundò, nullum habendum est cum Satana commercium.

Diuinationibus qua fiunt per insomnia Diabolica, fides non est habenda.

Tertia: De naturalibus verò somniis (tametsi diuinationo per hæc non pertinet ad secundum genus Cic. quod est expers artis: arte enim fit hæc diuinationo) aliter est respondendum, & diuersæ conclusiones, iuxta diuersas naturalium somniorum species sunt constituendæ. Cùm ergo primùm diuisa sint in verè naturalia, & in animalia, dicam primò de animalibus.

Per somnia animalia quanam diuinationo fieri possit.

Per somnia animalia, tam quæ ab affectionibus animæ naturalibus, quàm quæ ab affectionibus

artis, & illarum rerum, quæ obiter occurrunt, diuinationo nulla certa rerum futurarum haberi potest. Ratio. Huiusmodi enim somnia, nihil aliud ferè sunt, quàm vanæ quædam nostrarum affectionum, cogitationum, locationum, actionumque præteritarum vmbra & imagines in phantasia relictæ: hæc autem nihil futurum significant. Neque ergo diuinationo fieri potest. Huc spectat illud Catonis:

*Somnia ne cures. Nam mens humana quod optat,
Dum vigilat, sperat: cum dormit, cernit id ipsum.*

Sic enim comparata est mens nostra, vt quæ interdum cupidius vidit, cogitauit, appetiit, fecit, timuit, horum simulachra noctu, dum ab externis sensibus est auocata, somniando videat, vel videre se putet. De iis Salom. Eccles. 7. *Vbi multa sunt somnia, ibi per multa vanitates.* Et Tibul.

*Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pavidas mentes falsa timere iubent.*

Nulla ergo certa rerum futurarum diuinationo per hæc fieri potest.

Aliquid tamè ex iis somniis, præsertim frequentibus, coniectari posse dico. Primò, ex somniis, quæ ab affectionibus animæ naturalibus oriuntur, si frequentissima sint, coniectari licet, affectus seu propensiones somniantium ad vitia, vel virtutes. Ratio, quoniam per effecta cognoscuntur cause. Si igitur ab affectibus talibus vt causis oriuntur: Ergo, &c. Exemplum. Si quis sæpissimè, & vt plurimum somniet somnia ad liberalitatem spectantia, coniectare licet, eum naturâ propensum esse ad liberalitatem, & affectum liberalitatis in eo vigere, ex quo tale somnium sæpe oritur.

Dico,

Dico, *si sint frequentia*. Nam sicut vna hirundo nō facit ver (vt ait Aristot.) ita nec vnum aut alterum somnium animi affectum indicare potest.

Secundò, ex somniis verò, quæ ab affectionibus artis deriuantur, licet coniectare artes eorū, quorum sunt somnia. Sed neque hoc fieri verè potest ex vno aut altero somnio: sed ex quāplurimis, si sint frequentia, idem portendentia. Exemplum. Non enim quod quis semel de piscibus capiendis somniauit, licet coniectare, eum esse piscatorem: sed si subinde de iis somniet, aliqua fieri potest coniectatio.

Tertiò, Ex iis verò somniis, quæ ab affectibus eorum, quæ obiter occurrunt, sunt profecta, coniectare licet affectus illos, quibus præcedenti die premebamur. Hæc enim somnia sunt memoriæ quædam relictæ eorum, quæ interdum cogitauimus, egimus, &c. Notanter autem dico *coniectare*; quoniam nihil certi statuere possumus ex iis somniis. Modò ad naturalia.

Quarta, per somnia naturalia, quæ scilicet causas in nobis habent, & sunt corporis vel humorum, vel alterationes: præsentiri verè possunt humorum corporis alterationes, vt in quo quis humore magis vel minùs peccet, indeq; morbi tam vniuersales, quàm particulares, vel quibus aliquis laboret, vel in quos breui, nisi remedium aliquod quamprimùm adhibeatur, casurus sit, facile à Medicis agnosci & diuinari possunt. Ratio, Quoniam inter hæc somnia, & tales humores ac morbos, est certa ac naturalis cōnexio. Illa enim sunt effecta: hæc verò causæ. Per effecta autem, causæ agnosci perfacile possunt. De iis certæ & veræ à

Per naturalia
causæ.

Physicis & Medicis traduntur regulæ: vt v.gr. si somnia admodum sint melancholica, & frequētia (nam ex vno somno, vt supra etiam dicere cœperam, certum iudicium fieri non potest) si igitur somnia sint melancholica, eaque frequentia, facilè præsentiet Medicus, hunc nimiâ melancholici humoris abundantia laborare, ideoque nisi antidoto aliquo præueniatur, citò in grauissimum aliquem morbum casurum. Quod verò de Melancholicis dixi, idem de aliis humoribus dicendum est. Exemplum. Vt si quis somniet, se ab aliquo premi & suffocari, quod quidem insomnium *Ephialtes* à Philosophis, & *incubus* à Medicis appellatur, diuinabit vel potiùs verè cognoscat Medicus, talem hominem crassissimis humoribus esse repletum. Fit enim *Ephialtes*, cum crassus humor in thorace, vel in cerebro existens, motum thoracis impedit & comprimit, eaque compressio mouet imaginationem, vt putet somnians, se ab aliquo alio, magno pondere premi. Hæc est diuinatione seu præsentio per somnia naturalia.

Ephialtes
unde.

De quo &
August.

Tom. 3. de

Spirit. & A-

nima, cap.

25.

Somnia præ-

sagientia

qua.

lis sunt qui addunt aliquod aliud genus somnii, quod neq; diuinum, neq; Diabolicum, neque propriè naturale esse volunt: sed *præsagientia* appellant, quod tamen causam habeat in præstantia naturalis temperamenti. Dicunt enim, quòd quemadmodum temperamento naturæ, seu peculiari proprietate ac naturali dono, alius alio agilior est ad scandendum, alius alio magis musicus: sic quodam naturali dono seu proprietate multi habeant præsentia somnia quibusdam quasi allegorici pingentia futuros euentus, qualia fuerunt

runt

sunt Syllæ & Luculli somnia. Item, qualia multa fuerunt, quæ apud Cic. lib. 1. De Diuinar. leguntur. Exemplum in Cicer. Cicero somniauit Octavianum, Principem Reipub. fore, priusquam eum puerum nosset, & ita euenit. Galenus etiã refert, quendam phtisi laborantem, somniasse se balneari in sanguine suo: postridie narrat somniũ Medicis. Iudicant illi, languinem in eo redundare, & ideo (tametsi dehortante Galeno) venam ei incidunt. Ille destitutus viribus, moritur, atque ita vt præuiderat, in sanguine suo ablatus fuit. Genus hoc somniorum, quia causam non habet expressam in humorum motu, seu in corporis alteratione, naturale vocare non audent, sed præfagiens appellant: quia sunt quædam naturæ præfagientes, quas (vt aiunt) Aristoteles vocat φύσις λαίλας καὶ ἐνθυονείρας καὶ ἀπόχας, quæ crebra huiusmodi somnia significantia habent. Ex iis aliquam fieri diuinationem, non quidem certam, sed coniecturalem posse dicunt: affirmationẽ verò prohiberi quòd sæpe etiam fallant. Alii tamen huiusmodi somnia partim ad Diabolica, partim ad animalia referri posse dicerent.

DE III.

Omnisne diuinatione per somnia, licita est Christiano?

R. Non.

1. Diuinatione per somnia diuina, quales erant Prophetarum, Iosephi, Danielis, omnino licita est Christiano, fidesque illi semper & omnino est adhibenda, quippe quæ vera & diuina est.

2. Diuinatione per somnia Diabolica, vera quidem sæpe esse potest: minimè tamen, nec vnquã Christiano licita est, sed planè prohibetur. Sæpe

L. 2

An omnis
diuinatione
per somnia
licita sit
Christiano.

enim fallunt hæc somnia, utpote à Satana patre mendacii profecta. 2. Commmercium nullum cum Satana est habendum. Ideo fides illis non est præstanda.

3. Diuinitio per animalia somnia partim vana ac impia, partim non vana nec impia est, ideoque partim prohibetur, partim non prohibetur. Vana & impia, si ex animalibus somniis, certi aliquid præfagire seu diuinare velimus: & si huiusmodi diuinationi certam fidem adhibeamus. Nō vana verò, nec impia, quatenus ex iis somniis aliquid tantum coniectamus, eo modo, quo supra diximus, nec tamen quippiam certò statuimus, neq; certam fidem adhibemus. Nulla enim certa (vt supra dixi) diuinitio per hæc animalia somnia haberi potest. Quare in iis certam ferre sententiã, vanum & impium est. Sæpe enim *ἀσιν μὲν* sunt.

4. Diuinitio per naturalia somnia, certior est, quàm per animalia, vt supra diximus: sed tamen etiam hæc partim vera & bona, partim vana & mala est; ideoque partim commendatur, partim prohibetur. Vera & bona, si ex probè cognitis naturalibus somniis, quæ per illa verè indicantur, indicamus & præfagimus, ita tamen vt neque in iis ita certam feramus sententiã, quin res aliter esse, aut euenire possit. Vana verò est & mala, ideoque prohibita, si ex iis somniis ita certam ferimus sententiã, quasi aliter aut esse aut euenire non possit. Sæpe enim contingit, vt aliter res succedat, quàm naturale somnium, ex certis etiam causis naturalibus, v. gr. ex redundantia sanguinis aut pituitæ excitatum, indicat. Sæpe etiam fallun-

falluntur Medici ipsi, vt somnium aliquod ex causa naturali profectum esse existiment, cum tamē ab aliis causis sit deriuatum, vt exemplum superius ex Galeno allatum demonstrat. Naturalia ergo somnia obseruare, vt faciunt Medici, vanum non est, sed vtile atque honestum: certam verò semper in iis ferre sententiam, ita vt aliter esse non possit, vanum & temerarium est.

Quare solis diuinis somniis certam adhibere fidem, & ex illis (vbi perspicuum fuerit esse diuina) futura diuinare vel potiùs prædicere licet.

DE DIVINATIONE PER furorem.

Restat nobis explicanda altera eaq; postrema inartificiose diuinationis species, quæ diuinationo per furorem appellatur. Ea vt rectè intelligatur ac explicetur, videnda sunt;

- I. De voce furoris, quid significet.
- II. Quid sit furor, de quo in presentia agitur.
- III. Quæ furoris species.
- IV. Quæ species diuinationis per furorem.

His explicatis, duæ proponentur quæstiones:

Prima: *An aliqua detur vera per furorem diuinationo, & quanam: vbi obiter discrimina quedã statuentur inter diuinationem per furorem diuinum, & Diabolicum.*

Secunda: *Quanam diuinationis species per furorem licita sit Christiano, & quæ non licita: ideoq; cui fides præbenda, cui minùs.*

DE I.

Furor Latinè, Græcè *μανία* & *μανία* & *μανία*, apud Platonem, qui de hoc furore multa cõ-

scripsit. Nam in ἀπολογία τῶν Σωκράτους, ἐνθυσίασιν & ἐνθουσιασμὸν appellat: in Phædro verò μανίαν vocat, unde & per interiectum τ. μανίᾳ, quæ est ars prædicendi, deriuata. Significat autem vtraque vox apud Platonem, quandam mentis alienationem, cum scilicet vel poëtæ, vel vates, seu Prophetæ, vel Sacerdotes, mente alienati, atque à corpore quodammodo separati, instinctu diuino repleti, futura prædicunt. Sed hæc mentis alienationem postea diuidit in bonam & malam.

μανία Plato-
ni quid.

Furor & in-
saniam secun-
dum Cicero-
nem quid
differant.

Latini permulti furorem iuxta Etymon vocis Græcæ μανίας, insaniam esse dicunt. Sed Cicero inter insaniam & furorem discrimē facit in 3. Tulc. dicendo: *Itaq; non est scriptum si insanus sed si furiosus esse incipit. Insaniam enim censuerunt inconstantiam sanitate vacantem, quæ tamen posset tueri officium & vitæ communem cultum atque vsitatum: Furorem autem esse rati sunt, mentis ad omnia cæcitatem.* Est igitur Furor Ciceroni, mentis ad omnia cæcitas, seu, vt ipse alibi interpretatur, dementia, sicut etiam Platoni μανία, est mentis alienatio. Sed sicut Plato in bonam & in malam partitur: ita Cicero aliquando in malam, aliquando in bonam partē accipit Furorem. In malam acceptus, est mentis cæcitas à Deo hominibus in pœnam inflicta. Sic in oratione de Aruspicum responsis: *A Diis quidem immortalibus, quæ potest homini maior esse pœna furore atq; dementia?* In bonam verò partem acceptus, est diuinus instinctus, quo animus à corpore abstractus, futura prælagit. Sic in lib. I. de Diuinat. *Is qui ante sagit (id est acutè sentit) quæ oblata res est, dicitur prælagire, id est, futura antè sentire.* Inest igitur in animis prælagitio quadam extrinsecus iniecta

atq;

Furor in bo-
nam & ma-
lam partem
accipitur.

atq; inclusadiuinitus. Ea si exarsit acrius, furor appellatur, cum à corpore animus abstractus, diuino instinctu concitatur, qualis est furor poetarum, cum furore quodam correpti, carminis præstantissima edunt. Cic. de Diuin. Negat enim Democritus, quenquam sine furore poetam magnum esse posse. Dicitur autem furor à feror, quod qui furore agitantur, huc atq; illuc ferantur. Hæc de nomine.

Furor unde dictus.

DE II.

Furor igitur, de quo in præsentia agimus, & quatenus etiam sanctis Prophetis contingere potest, licet in S. literis non reperiatur pro illo diuino afflatu, quo Prophetæ afflabantur, sic definiri potest: Furore est vis quedam animis hominum extrinsecus iniecta, quâ homines ad aliquid vel agendum, vel prædicendum concitantur.

Quid sit.

DE III.

Triples furor, iuxta quem triplex etiam diuinatione per furorem statuetur; Diabolicus, humanus & diuinus.

Furore species.

Diabolicus est vis quedam in animis impiorum à Diabolo extrinsecus iniecta, quâ illi cum quadam mentis alienatione & cæcitate, vel ad impias turpesq; actiones, vel ad sæpe falsa, semper autem fallentia vaticinia necessariorum concitantur.

I. Diabolicus.

Primo, quod sit vis quedam, Ciceronem habet testem in I. De Diuinat. qui de hoc furore loquens ait: quod Dii quidem ipsi (erant autem omnes Dæmones, illi Romanorum Dii) se nobis non offerant: vim autem suam longè lateq; diffundant, quam cum terra cavernis includunt, tum hominum naturis implicent. Nam terra vis, Pythiam Delphis incitabat: Natura Sibyllam.

Secundò, quòd sit *extrinsecus iniecta*, idem Cic. testatur, dicendo lib. 1. *Inest igitur in animis præsentio extrinsecus iniecta.*

Tertiò, *Quòd verò à Diabolo sit iniecta*, patet. Neque enim à natura est, quia in omnibus esset: neque esset extrinsecus iniecta: Neque à Deo res cuiquam iniicitur ad impias actiones, aut ad falsa vaticinia. A Diabolo igitur: & reuera Diaboli erant omnes, qui in Gentibus illis vaticinabantur.

Quartò, *Quòd in animis impiorum iniecta*, patet. Neque enim Satan vim in animos piorum: sed illos impios captiuos tenet & agit, quò vult, vt testatur Paulus 1. Cor. 12. Item: Sicut filii Dei aguntur à spiritu Dei: ita impii à spiritu Satanæ.

Quintò, *Quòd verò furor ille sit cum quadam mentis alienatione & cecitate*, testatur Plato & Cicero. Ille enim *μεγίστην ἐνθουσιασιν* mentis alienationem esse dixit: iste, mentis ad omnia cecitatem. Et reuera vates illi Gentiles non intelligebant, quæ dicerent, & vt insani à furiis agitabantur. Testes sunt profani scriptores, qui passim tradunt, quãto furore in Orgiis Bacchi homines agitarentur. Testis & Chrylostomus in 1. ad Corinth. c. 12. qui citat Platonem, sic dicentem: *ἅπαντες οὐχ ἰσχυροὶ, καὶ οὐ θεομαγνῆταις λέγουσι μὲν πολλὰ καὶ καλὰ ἴσασιν δὲ ἐδ' ἐν αὐτῶν λέγουσιν.* Citat etiam quosdam poëtas in hanc rem.

Sextò, *Ad impias actiones & turpes*: hoc addidi differentia causa inter diuinum & Diabolicum. Concitabantur illi ad idola colenda, ad sacrificia idolis offerenda. Hæc autem sunt impiæ actiones. De iis Paulus 1. Cor. 12. Et hoc præsertim dictum, propter furorem Sacerdotum in Dodone & in

& in Orgiis Bacchi: item agitabantur ad turpes amores. Nam hunc etiam furorem vocauit Plato.

Septimò, *vel ad vaticinia*, propter vates dictum. Hæc autem erant plerumque falsa, vt in profanis scriptoribus patet de oraculis Dæmonum. Aliquando vera quidem, sed tamē fallentia. In hunc enim finem prædicebant aliquando vera, vt mēdacia postea persuaderent, & ita semper nos fallerent. Hic est furor Diabolicus, quo vates illi Gentium & Pythia & alii agitabantur. Plato quidem & Cicero, & alii Gentiles diuinum furorem appellant, & à Deo in animis hominum iniectū fuisse dicunt: sed nobis manifestum est, à Diabolo, nō à Deo talem furorem fuisse illis iniectum, sicut postea ostendemus, cū explicabimus differentias inter diuina & Diabolica vaticinia.

Huius furoris, quem illi diuinum, nos Diabolicum fuisse dicimus, species tres constituit Plato in Phædro, pag. 201. Vnam dat Prophetis seu vaticinibus, vt illis, qui erant in Delphis, dicendo: ἦτε γὰρ δὴ ἐν Δελφοῖς πρῶφῆται; Alteram dat Sacerdotibus, vt illis qui erant Dodone, dicendo: αἴτι ἐν Δωδωνῆϊ ἱερείᾳ. Tertiam dat Sibyllis, dicendo: καὶ ἑαὸ δὴ λέγωντων Σιβυλλῶν καὶ ἄλλων ὅσοι μαντικὰ χρωμένοι ἐν Θεῷ. Primam igitur esse voluit vatum & diuinorum; Alteram Sacerdotum in suis sacris: Tertiam Sibyllarum & Musarum, qui etiam *furor poëticus* ab eodem appellatur, in apolog. Socratis. Hæc pauca de Diabolico furore.

Furoris Diabolici Species tres.

Furor verò diuinus, propriè furor non appellatur neq; in Scripturis, neq; apud Patres, quando quidem furore non agebantur Prophetæ, sed

Secundus furor, distinctus.

placido spiritu Dei: vnde & *spiritus Domini* appellabatur subinde, & *spiritus Propheticus*, donū illud.

Diuinus furor, vel potius afflatus quid.

Diuinus ergo *ἐκθεσιασμός* seu afflatus, vis est quedam in animis plerumque piorum, à Deo extrinsecus iniecta, quā illi sanæ mentis compotes, intus illuminati, & placidè ac suauiter moti, tum ad pias honestasque actiones, tum ad vera vaticinia aguntur.

Primò, *Quòd vis diuina*, id est, donum Dei, patet ex Scripturis, vbi donum Prophetiæ, donum esse Dei manifestè docetur. 1. Cor. 12. *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem: Alii Prophetia, alii discretio spirituum, &c. Omnia autem hæc operatur vnus atque idem spiritus.*

Secundò, *vis hæc extrinsecus* iniicitur à Deo. Nō est enim à natura, quæ nihil eorum, quæ Dei sunt percipit, aut quæ futura sunt, videt, sed à cælo est. Iacob. 1. *Omne datum optimum, & omne donum desursum est.*

Tertiò, *In animis plerumque piorum*, hoc addo: quoniam plerumque donum prophetandi piis illis donatur, vt de Prophetis in Veteri Testamēto patet: sed tamen non semper. Nam etiam impiis aliquando datum est donum prophetandi & futura prædicendi, vt patet in Propheta Bileam, & in Iuda Ischariote, & aliis permultis, & vt patet in Actis Apostolorum & Euangeliis. Vnde Christus Matth. 7. dicent: *Nonne in nomine tuo prophetauimus?* Talis fuit furor Sauli datus, cum spiritus Domini irruit in eum, & prophetauit inter Prophetas: Vnde Prouerbiū: *Num est Saul inter Prophetas?*

Quartò, *Qua illuminati, &c.* Nisi enim illuminentur, vt intelligant, quæ vaticinantur, Prophetæ Dei

æ Dei

ra Dei non sunt, vt patet in Pharaone. Ideo non fuit ipse Propheta, sed Ioseph, qui somnia illa intellexit. In Nabuchodonosore, ideo non ipse, sed Daniel fuit Propheta. Caiphas non fuit Propheta, quia non intellexit, quid diceret, sed Iohannes eius interpres.

Quintò, *Et placidè ac suauiter moti*. Hoc quoad voluntatè, quæ à spiritu Dei, non coactè, sed placidè & suauiter affecta, mouetur ad actiones.

Sextò, *Ad pias actiones*, vt ad Ecclesias renouandas & reformandas, sicut Prophetæ in Veteri Testamento: & Ioannes Baptista. Hoc contra furorem Diabolicum.

Septimò, *Ad vaticinia vera*, sicut Agabus in N. Testamento, &c.

Tertius furor est humanus. Hunc inter alios *Tertius furor, humanus.* connumerat Plato. Vult enim quosdam ita affectos esse corporibus, nēpe debilitatis, consumtis præ morbo aliquot humoribus, vt quodam modo alienati mēte, & furore quodam naturali agitati, futura prædicant. In horum numero collocantur inprimis vehementer Melancholici: vnde & morbum hunc, cum quis scilicet vehementer Melancholia laborat, dæmonium Medici vocāt: Et vulgò dicitur, pueros, stultos, & Melancholicos solere prophetare, quippe qui à quadā (vt aiunt) intelligentia nō errante, eò magis regantur, quominus sunt suæ mentis compotes. Hæc Platonis est sententia.

Ego hanc furoris speciē nō inficior: & fortasse sub hac collocari debet furor poëtico, qui in multis poëtis à natura proficiscitur: sed an talis sit, vt per hunc certa futurarum rerū præsensio aut prædictio haberi possit, nego, vt infra ostendam.

Quot diuinationis per furorem species.

Ex iis tribus furoris speciebus, tres diuinationis species per furorem constituuntur, diuina, Diabolica, humana: quanquam nos duos tantum statuimus, diuinam & Diabolicam.

Diuina qua.

Diuina est illa, quæ ex afflatu, seu spiritu Dei proficiscitur, qualis fuit Iacob, cum quicquid cuiusque filiorum suorum euenturum esset, iam iam moriturus prædixit, ut est Gen. 49. qualis Moyses, qualis Prophetarum, &c.

Diabolica qua.

Diabolica est, quæ à furore Diabolico procedit, qualia fuere vaticinia & oracula Pythiæ, Sibyllarum, & Sacerdotum Apollinis, & aliorum vatum apud Gentiles. A Satana enim afflati, & furis agitati, vaticinabantur, cum vaticinabantur.

Humana qua.

Humana est, quæ à furore humano deriuatur, qualis fertur esse multorum virorum & mulierum, præsertim Melancholicorum, qui parum suæ mentis compotes, & à cælis acti, furore quodam perciti, vaticinantur. Quanquam hæc species à plerisque negatur inter vaticinia esse connumeranda: quandoquidem nullum vaticinium esse potest nisi à spiritu vel Dei, vel Dæmonis. Adferam vnus Iamblichi, viri doctissimi & antiquissimi tum testimonia, tum rationes.

Is igitur lib. 15. de Myst. c. de vaticinio, contendit, omnino nullum vaticinium esse, nisi à Diis: *Vaticinium ipsum, nec ab arte, nec à natura, nec à naturalibus vel animalibus rationibus motibusve efficitur, neque fit villo modo: sed vtrinq; sempiternum est missum ad nos diuinitus, totaque potestas presaga refertur ad Deos: & omnis huius autoritas consistit in eis, atque inde traditur,*

eraditur, diuinisq; operibus signisve perficitur. Idē ibidem: *Cetera verò cuncta* (scilicet præter diuina) *velut instrumenta subiiciuntur, misso diuinitus præsagii dono.*

Item, cap. de Inspiratione, primò recenset tres operationes de afflatu & vaticinio diuino, quarum prima causam eius referebat ad animam: secunda, ad corpus: tertia ad compositum ex vtroque. Iamblichus verò ait, ipsum non esse opus Animæ, vel corporis, vel compositi, nec causam in eis habere. *Afflatus enim* (inquit) *ille fatidicus, agitum in prædicendo, tū in efficiendo, supra omnem humanæ naturæ consuetudinem. Non potest autem homo, vel aliquid hominis, ultra terminos suos, ad diuinos progredi terminos: neq; possunt præstantiora à deterioribus generari. Causa igitur huius est duntaxat ipsa diuinitas, quoniam scilicet à Diis descendunt in nos lumina, spiritusq; traduntur ab eis. Item infra: Vaticinii ius non est ex certâ complexione. Deorum enim dona, non variè spirantur secundum corpoream varietatem: Munus enim diuinum impatibile est, & supra naturæ vim datur per propriam Dei actionem, &c. Item, Cùm afflatus animus & dicat, & agat supra & contra naturæ morem, causâ afflationis eiusmodi non est naturalis, vel ex corpore nostro, vel qualitate loci: sed ex Dei presentia ista fiunt. Duas igitur tantum veras species Diuinationis per furorem habemus, diuinam & Diabolicam.*

August. de Diuinat. Dæm. c. 5. *Aliquando & hominum dispositiones non solum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, cùm signa quedam ex animo imprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscunt: atq; hinc etiam multa futura prænuntiant. Sicut enim*

apparet concitator animi motus in vultu, ut ab hominibus quoque aliquid forinsecus agnoscat, quod intrinsecus agitur: ita non debet esse incredibile si etiam leuior cogitationes dent aliqua signa per corpus, quae obtuso sensu hominum, cognosci non possunt, acuto autem Demonum possunt. Haec atque huiusmodi facultate, Demones multa futura praenuntiant, cum tamen ab eis longe sit altitudo illius Prophetiae, quam Deus per sanctos Angelos suos & Prophetas operatur.

Prima quaestio: An per furorē, vlla rerum futurarum praesensio certa haberi possit.

Resp. 1.

Resp. 2.

Prima igitur quaestio proponitur, an vlla per furorem, rerum futurarum praesensio certa haberi possit: seu, an res futurae per aliquem furorem certo praesagiri possint.

R. Paucis, prima: per humanum furorē, nulla certa rerum futurarum praesensio aut praedictio haberi potest, ut antè ostendimus: quoniam nullum vaticiniū ab arte, vel à natura est, sed à Deo, vel à Satana, Deo permittente. Etsi enim huiusmodi vel stulti, vel pueri, vel Melancholici multa vaticinentur, & aliquando etiam eueniant res, sicut illi fuerant vaticinati: illae tamen potiùs eueniunt casu, quàm quòd ita prauiderint euenturas. Ideo nulla ab eis certa diuinatione esse potest. Confirmatum hoc fuit testimonio Iamblichi.

Secunda: per diuinum furorem, vel afflatum potiùs, omnino & certò res futurae omnes praesagiri & praedici possunt. Omnia enim nuda & aperta sunt coram oculis Dei. Potest autem per suū spiritum, omnia quae vult, hominibus reuelare. Ergo, &c. Cōclusionem hanc omnibus Christianis certam esse non dubito: quare probatione nō eget: & exempla Prophetarum in Scripturis rem confirmant. Quòd si Prophetæ aliqui non omnia
hoc

hoc spiritu agnoscant, vitio spiritus id non fit, sed quoniam Deus non vult, vt plura agnoscant.

Tertia: per furorem Diabolicum multa futura certo prælagiri & prædici quandoque possunt. Resp. 3.
 Multa enim futura agnoscit Satan, non dico omnia (quoniam hoc solius Dei est) sed multa, nempe quæ illi permittit Deus, vt agnoscat. Potest autem eadem suis vatibus per suum spiritum reuelare. Ergo, &c. Exempla etiam vatum apud Gentes hoc confirmant.

At hîc oritur dubitatio, quomodo spiritus Satanæ potest multa futura per suos arreptitios vates quandoque prædicere, cum solius Dei sit futura cognoscere, ideoque & prædicere, vt in Ies. est, *Prædicite nobis futura, & dicemus, quia Diis estis.*

Rz. Augustinus hanc sibi propositam quæstionem dissoluit Tom. 3. lib. de Diuinat. Demonum. Item Tom. 2. epist. 115. ad Nebridium: quibus in locis docet multis rationibus, Dæmones multa futura cognoscere, ideoque posse per suos arreptitios illa prædicere & diuinare.

Prima sumitur à sensuum acumine, seu (vt ipse loquitur) ab acrimonia sensus. Habent Dæmones sensus acutissimos. Habent enim (iuxta Augustinū) corpora aërea. Ergo facile possunt multa futura præuidere.

Secunda, à motus celeritate. Habent motus felicissimos, ita vt de loco in locum transire citissime possint. Ergo quæ in vno loco viderunt fieri, possunt actutum in alio loco reuelare.

Tertia, à longo vitæ tempore. Longo tempore vixerunt, ab orbe condito, ita vt magnam sibi

Dæmones etiam multa futura cognoscere, & per suos arreptitios prædicere ac diuinare.

prudentiam compararint. Ergo ob diuturnum experimentum multa possunt præcognoscere, ideoque & prædicere & diuinare.

Atque hæ tres rationes ex Augustino, de Diuinatione. Dæm. cap. 3. desumptæ sunt. Vbi etiam ostendit, mirum non debere videri, quòd corporibus Dæmonum tantam sensuum acrimoniam, & motus celeritatem attribuerit, vt iis multa futura & abdita videant ac prænuntient. *Si enim sagax canis tanti est olfactus, vt latentem feram acerrimo olfactu sic inueniat, vt ad eam capiendam ductum quendam homini præbeat: Et si aquila sublimiter volans, de tanto interuallo sub fluctibus natantem piscem dicitur peruidere, & grauius aquis illisa, exertis pedibus atque unguibus rapere: quid mirum, quòd in corporibus aereis Dæmonum tanta sit & visus acrimonia, & cursus celeritas?*

Quarta ab ipsorum ministerio. Ministri sunt Dei in calamitatibus & flagellis Mundo inferendis propter peccata. Ergo quæ ipsi ex mandato Dei facturi sunt, ea antequam agant, prædicere possunt. Hæc continetur in 5. c. eiusd. lib.

Quinta à causis & signis rerum, in quibus res futuræ sæpe videntur: Causas rerum futurarum & earum signa multa sæpe vident: Ergo etiam effecta, antequam à causis oriantur, præuidere possunt. Verba Augustini sunt: *Aliquando autem non quæ ipsi faciunt, sed quæ naturalibus signis futura prænoscent, quæ signa in hominum sensus venire non possunt, antè prædicunt.* Hæc etiam ex eod. 5. cap. Et addit August. eos etiam sæpe cogitationes & cõsilia humana cognoscere, non per se, sed ex signis aliquibus, quæ ab Anima in corpore impressa relinquuntur.

linquuntur. sicut enim cum anima irascitur, signum iræ aliquod in facie imprimit: ita cum aliquid cogitat, vel appetit, vel aliquid aliud agit homo in anima, anima propter *συμπάθειαν* quam habet cum corpore; in corpore aliqua sui motus & operationis vestigia & qualitates imprimit, quas etsi nos non videamus, quia hebetes oculos habemus: Satan tamen facilè videre eas potest: inde verò cogitationes ipsas & affectus nostros Dæmones magna ex parte cognoscunt. Verba Augustini sunt: *Aliquando & hominum dispositiones non solum voce prolatas, verum etiam cogitationes conceptas, cum signa quedam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscunt, atque hinc etiam multa futura prænuntiant. Sicut enim apparet concitator animi motus in vultu, ut ab hominibus quoque aliquid forinsecus agnoscat, quod intrinsecus agitur: ita non debet esse incredibile, si etiam leviores cogitationes dant aliqua signa per corpus, que obtuso sensu hominum cognosci non possunt; acuto autem Dæmonum possunt. Hac atque huiusmodi facultate, multa Dæmones futura prænuntiant, cum tamē ab eis longè absit altitudo illius prophetiæ, quæ Deus per S. Angelos & prophetas operatur.*

Possunt igitur multa prædicere per suos vates Dæmones, Deo id ad excæcationem eorum, qui veritati non obediunt, permittente.

Ad illud Iesaiæ respondeo: solius Dei est, futura & omnia & verè cognoscere, ideoque & verè prædicere, & neminem fallere. Diabolus autem, etsi multa prædicit futura: tamen non omnia, sed sæpè fallit. Ideo natura diuina non potest tribui Dæmoni, neque idolis. Hoc autem voluit ibi significare Propheta: Ibi enim exprobat

Quomodo
solus Deus
futura co-
gnoscere
dicatur.

Quæ sint

discrimina inter diuinationem diuinam & diabolicam. idolis eorum fallacias & deceptiones. Atq; hoc est vnum discrimen inter diuinationem diuinam & diabolicam, quod diuina semper est vera, nec vnquam fallit: Diabolica sæpe falsa.

Nunc igitur alia etiam discrimina recensere videmus, quæ sunt inter diuinum & diabolicum vaticinium, interque vates diuinos & diabolicos.

Differentiæ autem hæc sumuntur ex allata descriptione.

1 Prima: Cicero ait, quòd vim hanc (quam ceu genus in vtraque definitione posuimus, & quam diximus esse hunc furorem) Dii, id est, Dæmones, terræ cauernis aliquando includant, & inde eam hauriant homines, à qua ad vaticinandum incitentur, sicut de Pythia in Delphis ipse testatur, lib. 1. de Diuinat. dicendo: *Quod eam terra vis Delphis incitabat*, scilicet ad oracula edenda, & ad vaticinandum.

At non sic Deus suos Prophetas afflat, scilicet è terra: sed è cælo vim hanc illis immittit, suo illos spiritu replens. Ioel. 2. *Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filie vestra somnia somniabunt.*

2 Secunda: Multa turpia contingebant illis vaticiniis, dum vaticinabantur: patet id in Pythia, sicut explicat Chrysostr. in 12. c. 1. ad Corinth. dicendo: *quod Pythia mulier illa apud Gentes celebratissima, & illustrissima, cum oracula edere volebat, hæc faciebat: sedebat in tripode Apollinis, diuaticatis cruribus: tunc malus spiritus è subiecto specu profectus, ad eam veniebat, & per genitales eius partes subintrans, eam furore replebat: Illa verò sic afflata, crines soluere & debacchari, & spumam ora perfundere, ebriaque & insana*

Pythia quo modo afflata fuerit.

ver-

verba proferre & responsa dare. Quid hoc turpius?

At cum Deus afflat suos Prophetas, nihil tale fit, nihil ibi turpis, nihil inhonesti, sicut patet in Prophetis, tum Veteris, tum Noui Testam. Quin etiam ipsi impii donati à Deo spiritu prophetandi, inter prophetandum nihil turpe aut inhonestum agebant.

Tertia: Vaticinia Diaboli tantum ab impiis proferuntur, non autem à piis: Diuina verò aliquando quidem etiam ab impiis, sed plurimum à piis honestissimisq; viris Dei.

Quarta, Vaticinia Diaboli non edebantur à vatibus suis, nisi cum mentis alienatione & cæcitate tanta, vt neque essent sui compotes, neque quæ vaticinabantur, intelligerent, vt patet ex testimonio Platonis citato à Chrysofomo, qui dixit, quod Οἱ χρησμῶδοι καὶ οἱ θεομάντεις λέγουσι μὲν πολλὰ καὶ καλὰ ἴσοσι ἢ ἄδενῶν λέγουσιν. in cuius etiam rei testimonium quosdam poetas citat idem Chrysofomus, & ad quantam insaniam redigerentur, patet ex iis, quæ de Pythia ex Chrysofomo retulimus.

At Deus non ita tractat suos, vt ad insaniam redigat aut excæcet: sed placidè tractat, & magis ac magis illuminat, dum in eis vim prophetandi inserit: & suæ mentis compotes manent. Exemplis rem patefacit Chrysofomus allatis ex Veteri Testamento, vt Ionæ, vt Ezechielis, vt Ieremiæ, qui omnes afflati numine Dei, mentis compotes principiò quidem munus prophetandi detrectarunt: sed tamen postea Deo assensu susceperunt: Ideo Miltiades (vt refert Eusebius Cæsar. in histor. Ecclesiastica, libr. 5. cap. 17.) in iis li-

bris, quos scripsit contra Montanum hæreticum & eius Prophetissas, quæ in ecstasi raptæ, se à spiritu Dei raptas esse dicebant & vaticinabantur, sic scriptum reliquit: *Non est hoc Propheta, ut in ecstasi loquatur*: idque confirmat multis exemplis ex Nouo Testamento, eorum, qui prophetarunt, etiam Agabi, etiam Iudæ & Sylæ, & filiarum Philippi, adde & Ananiæ & Quadrati in Philadelphia.

Occupatio.

An etiã Prophetæ in ecstasi rapti soliti fuerint.

At dices, Nonne etiam Prophetæ Dei rapti solebant in ecstasi, & mente alienari? An non Petrus in ecstasi vidit linteamen è cælo demitti, Actor. 10. Omnino. Ita enim ait textus: Παρασκευάζοντων ἡ κείνων, ἐπέπεσεν ἐπ' αὐτὸν (scilicet Petrum) ἕκστασις ἢ θεωρεῖ τὸ ἄφαντον ἀνεωγμένον: An non & Paulus fuit in ecstasi raptus, & vidit arcana? 2. Cor. 12. *Scio hominem raptum usque ad tertium cælum, &c.* An non fuit mentis alienatio? *sive in corpore, sive extra?* &c.

Respondeo: Miltiades non negat, quin Prophetæ Dei in ecstasi raptantur aliquando: sed negat, eos vaticinari in ecstasi constitutos, & quasi à corpore alienatos, sicut faciebant Prophetissæ Montani, & vates Gentium. Ideo verba eius diligenter sunt examinanda: *Petrus ergo, ait Paulus, nec alius unquam Propheta Dei, in ecstasi vaticinatus est: sed benè in ecstasi viderunt, quæ vaticinarentur.* Ita dico, viros Dei alienari quidem mente aliquando, sc. à corpore, sed non alienari mēte à se ipsis prorsus, ita ut mēs ipsa sui non esset compos. Vates verò Gentium ita abalienabantur mente, ut neque mens sui esset compos, sed cæca ad omnia effecta proferrent, quæ non intelligebant.

Quinta, Vaticinia Diabolica, etsi aliquando

VC-

vera, tamen sæpius falsa sunt, & mendacia, vt patet in vaticiniis & oraculis Gentium, item in vaticiniis multis eorum, qui in Papatu se esse Prophetas Dei iactarunt.

At vaticinia Dei omnia & semper verissima sunt, neq; vnquã fallunt. Ideo hinc sequitur alia:

Sexta, Diabolica quidem sæpe mendacia, idè à Satana in arreptitiis suis hominibus obscure & verbis dubiis, quæ & in duos contrarios sensus trahi possunt, eduntur: idq; ne si res non eueniat, id ipsis vertatur vitio, quasi mēdax fuerit, sed potius interpretum ignorantia arguatur, qui oracula ab eis edita, neq; intelligere, neq; explicare sciuerunt, sic illud:

Aio te Æacida Romanos vincere posse: Vnde & propter huiuscemodi obliqua & tortuosa responsa, quæ Apollinis vates reddebant, appellatus fuit *λοξίας Απόλλων*.

At diuina oracula & vaticinia claris & disertis verbis exprimit Deus in suis Prophetis, ita vt certum sensum adferant auditoribus, modò spiritu Dei sint præditi, qui ad illa intelligenda est pernecessarius: neq; possunt in duos contrarios sensus, nisi nimis apertavis verbis inferatur, pertrahi, sicut vaticinia Satanæ. Res aperta est, si quis legat vaticinia Prophetarum in scripturis.

Septima: Vaticinia Diabolica semper ad perditionem hominum, & ad Deum blasphemandum, ad idololatrias statuendas diriguntur & tēdunt, vt patet in Papatu, & in Gentibus: Et huc voces illæ, quas editas ab animis demortuorum refert Gregorius in Dialogis. Hæ enim ad accendendum purgatorium ignem, ad inducēdam in

Ecclesiam idololatricam Missæ pro defunctis, & alias infinitas impietates spectarunt.

At vaticinia diuina ad nihil aliud, nisi ad gloriam Christi confirmandam & ad salutem Ecclesiæ promouendam. Omnia enim ad ædificationem, &c. *Propheta Dei non loquuntur, nisi ad ædificationem, 1. Cor. 14.*

Ex iis atque aliis differentiis, agnoscere quibus potest, quæ oracula sint à Deo, quæ à Satana: id-
eoque quantum differat diuinatione per afflatum Dei, ab illa, quæ est per furorem Satanae.

Quæ cum ita sint, nunc facile cuiq; patet, quid ad secundam quæstionem respondendum sit, ubi quæritur: *An omnis per furorem diuinatione Christiano sit licita, nec ne, & cui sit fides adhibenda, cui non adhibenda.*

*Secunda
Quæstio.*
An omnis
per furore
diuinatione
Christiano
licita sit,
nec ne, &
cui fides sit
adhibenda,
cui non.

Resp. Diuinatione per furorem Satanicum, nullo modo licita est Christiano, neq; vlla ei fides est præstanda.

1 Si spectes causam efficientem: à quo fit hæc diuinatione? à Satana seu spiritu maligno. Nullum autem commercium est habendum cum Satana.

2 Si instrumentalem, per quos fit? per impios, membra Satanae. Non est autem communicandum cum impiis.

3 Si materialem: quid prædicatur hac diuinatione? æpe mendacia, semper autem decipiëntia. Mendacio autem non est præstanda fides: & decipiëntia non sunt audienda, sed reiicienda.

4 Si formalem: quid est hæc diuinatione? vis & furor quidam Diabolicus in animis iniectus à Satana. Quid autem magis est auersandum quàm vis & furor Diabolicus?

5 Si

Cur diuina
tione per fu
rorem Sata
nicum nul
la fides sit
adhibenda.

5 Si effecta, Quid parit? in diuinante, mentis alienationem & excæcationem, ita vt nec intelligant quæ dicunt, & ad insaniam redigantur. Tam verò is qui diuinat, quàm qui diuinationi huic fidem præstat, mancipia & captiui fiunt Diaboli.

6 Si finalem: Quò spectat diuinatione hæc? tum ad contumeliam Christo irrogãdam, tum ad nostram pernitiem, nempe ad persuadendum mēdaciū, ad auertendos nos à verbo Dei, ad idololatrias inducendas, sicut patet in Papatu, & in Gentibus.

Ob has causas tam sæpe Deus in scripturis prohibet, ne pseudoprophetis fidē præbeamus, etsi multa edant signa.

Non est autem aliud vaticinii genus, nisi diuinum & Diabolicum, seu nulla alia per furorem diuinatione: & diabolica fugienda est: Ergo sola diuina prophetia est amplectenda, & illi soli fides præbenda.

F I N I S.

DEO SOLI LAUS ET GLORIA.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a formal document or letter.

1711

1711

DEFENSIO LIBELLI
HIERONYMI
SAVONAROLÆ,

De

ASTROLOGIA
DIVINATRICE,

ADVERSUS CHRISTOPHO-
RVM STATHMIONEM, ME-
dicum Coburgensem:

*IN QVA SIMVL DECLARATVR,
quæ sit ista Diuinitio; quæ eius partes; ad quam præn-
tionis speciem pertineat; quomodo à licitis
Diuinationibus differat.*

Accessit huic alia eiusdem argumenti Disputatio,
qua CLXXVIII. THESSES pro diuinatione Astrolo-
gica scriptæ solidissime confutantur,

Per D. THOMAM ERASTVM.

Cum Indisæ rerum memorabilium locupletissimo.



HANOVIAE
Apud Guiliehmum Antonium,
Anno salutis MDCX.



ILLVSTRISSIMIS IM-

PERII PRINCIPIBVS, COMI-

tibus ac DD. Hennenbergensibus, &c. D.

Georgio Ernesto, & D. Bopponi,

fratribus, DD. suis clemen-

tissimis.

Tandem ad vos mitto, Principes illu-
strissimi ac clementissimi, defensio-
nē Hieronymi Sauonarolæ aduer-
sus Christophorum Stathmionem Me-
dicum Coburgensem, ante decennium istic Ger-
manicè scriptam, vestraeque C. destinatam. La-
tinam ex Germanica duabus de causis feci. Pri-
ma est, quia inter ignaros Latinae linguae per pau-
cos esse animaduerti, qui has disputationes intel-
ligere possint. requirit enim saltem principiorum
Philosophiae notitiam aliquam, quae à nostris ho-
minibus vix aliunde, quam ex Latinis aut Grae-
cis autoribus peti potest. Altera est, quia non sa-
tis aptè mihi videbar nostrate lingua exprimere
posse, quae usitatè apud Latinos dicuntur. Etenim
qui Germanicè philosophiam tractarit, scio ne-
minem. Proinde meritò verebar, ut vel non satis
aptè res istas eloquerer: vel certè non magno cum

fructu tractarem: quod intelligerem peritos Latini sermonis sic ferè affectos esse, ut libentius meliusque intelligant harum rerum explicaciones Latinas, quàm Germanicas. Ut enim quaedã videantur significantius Germanicè quàm Latinè dici posse, non tamen ea multa sunt: nec assueverunt multi philosophicis illis sententiis loquendique modis.

Quòd non temporiùs in lucem venire passus sum presentem Apologiam, effecerunt partim multa & varia occupationes aliæ: partim quòd audieram alios quosdam bellum Sauonarolæ mihi que indixisse. Horum ergo copias dum coniungicum illo cupio, ut unã pugná & huic & illis occurrã, editionem differo. Sanè credidi aliquos ex ipsis prodituros, propterea quòd alii publicè editis libellis prognosticis minitarentur: alii autè priuatim ad Stathmionem aliosque scriptis literis ex alto despicere argumenta Sauonarolæ viderentur. Iam vero quum & ocii plusculum fuisset nactus, & aliæ me præterea occasiones ad editionem hortarentur, quas recensere hoc loco non est opus, statui eam publicare, & ad vos, illustrissimi Principes, ut est æquum, transmittere. Primum quidem, quia vestra Celsit. nomine suscepta à me fuit. Deinde, quia vobis hoc unum maximè scio esse cordi, ut impietate omni sublata, Deus

DEDICATORIA:

5

*tâ, Deus verus rectè ac purè iuxta præscriptum
verbi sui colatur. Præterea quia non dubito per-
multos alios fore, qui exemplis tantorum acta-
lium Principum moti, diligentius de hisce rebus
sint cogitaturi. Postremò, ut mea erga vestram
Celsit. perpetua constantisque obseruantia hoc
etiam testimonium extet. Deus opt. max. pater
Domini nostri Iesu Christi, V. C. clementer tuea-
tur, sanctissimoque suo Spiritu sic regat, ut nomē
eius per vos à plurimis laudetur & honoretur.
Amen.*



A 3

THOMAS ERASTVS

pio & Christiano lectori

S. P. D.

ANte annos fermè tredecim, quum ex Italia in Germaniam, ab illustrissimis Principibus Hennenbergensibus euocatus, reuertissem, atque præter opinionem & spem meam plerosque sic reperissem vanis Astrologorum prædictionibus addictos, vt nec venam secare, nec pharmacum exhibere, nec aliud quidquam facere me sinerent, quod ratio rectaque methodus facere iuberet: variè sanè affectus sum, admiratione videlicet ac dolore. Mirabar enim fieri potuisse, vt in tanta veritatis luce tantæ regnarent superstitiones & tenebræ in illorum etiam animis, quos cœlestibus purissimæ lucis radiis illustratos nihil dubitabam: præsertim quum meminissem per totos illos vndecim annos, quibus in Italia partim præceptores meos summa cum laude, & felicissimo successu artem nostram exercentes conspexissem, partim per meipsum exercere ausus fuisset, nihil tale mihi accidisse. Etenim præter nouam plenamque lunam vix aliquid obseruant Itali. Quinimò ephemerides tales nullæ ab ipsis concinnantur, quales apud nos quotannis cuduntur, tempus annotantes scarificandi, venam secandi, pharmaca sumendi, adeoque capillos & vngues præcidendi: quæque indicent, quotum quoq; die signum & gradum luna pererret, quomodo cæteri eam Planetæ respectent, hilarine ac placido vultu, an verò turba-

ro &

ro & iracundo. Singulis annis tantum in breui charta notari vidi oppositiones & coniunctiones Lunæ, festa mobilia, & huius generis alia: cæteris in rebus vtuntur Kalendaris, quæ libellis precatoriis vocatis præfixa sunt. Dolore afficiebar, non tam mea ipsius, (quanquam mihi non parum esset molestum, quòd non possem, vt res & morbus postularet, suo tempore omnia rectè adhibere) quàm illorum causa, dum non solùm corporis valetudini officere, verùm etiam pietatem contaminare istam superstitionem intelligerem. Proinde pro virili mea de inuenièdo remedio huic malo minimè contemnendo cogitare quum cœpisssem, commodùm recordatus sum libelli, quem contra Astrologos Italicè scripsit *Hieronimus Sauonarola*, vir excellenti doctrinâ pietatèque præditus, ante annos propè nonaginta. Eum ex Italia allatum in nostratam linguam conuertit ac publicauit, quò nostris etiam hominibus utilis fieret. Quomodo eum nonnulli exceperint Astrologi, partim ex publicis quorundam chartis, partim ex priuatis aliorum literis ac sermonibus abundè cognoui. Multi multa minati sunt: & quidam conuiciis strenuè oppugnarunt: qui argumentis ageret, prodiit nullus. Vnus *Christophorus Stathmion* in arenam profiliit: sed certè, mea quidem opinione, decertans ita, vt suos hostes quisq; optet pugnare. Huic respondendum putauit, non tam profecto quòd responsione digna viderentur illius pleraq;, quam vt per eam occasionem res explicaretur melius.

Post scriptam autem responsionem expectaui dum alii nonnulli apparerent, qui communicatis consiliis, vt narratum mihi fuit, atrox bellum Sa-

§ E P I S T O L A A D L E C T.

monarola, seu potius mihi indicturi ferebantur, ut
vno scuto utrorumque tela exciperem. Sed audio
vicisse quorundam sententiam, qui prudentiam ceteris
antecellentes, monuerunt non esse hanc li-
tem mouendam, quod ex eius declaratione & de-
cisione commodi nihil, incommodi plurimum
videretur ad Astrologos rediturum. Accidit dein-
de, ut aliis rebus occupatus, ipse etiam cogitatio-
nes hasce deponerem. Nuper vero quum à quo-
dam amico meo rogaret, illis propositis rationibus
quæ animum pietatis studiosum quemlibet per-
mouere possent, ut quæ de hac re scripsissem, ede-
rem: nec potui nec debui hoc ei denegare. Cæte-
rùm quia nuda responsio minus videbatur plenè
rem declarare, tractatum breuem de Diuinatione
inferere placuit: in quo generaliter vniuersæ que
magis explanarem diuinationis naturam, ortum,
autorem ac parentem. Docui ergo *quid sit diuina-
tio, sic propriè nominata: quot & quas habeat partes
principes: quid ab aliis prænotionum generibus differat.*
Illud etiam in hac tractatione demonstraui, *Di-
uinationem omnem propriè sumtam supra vires creatæ
mentis, ideòque falsam, impossibilem, & illicitam esse,
nisi si inspirante ac patefaciente Deo aliquid prædicitur.*
Confido futurum, ut qui hæc leget ac ponderabit,
deinceps non ab Astrologica duntaxat, verùm aliis
quoq; omnibus diuinationibus, ut à peste caueat,
si modò veritatis ac pietatis studio aliquo tenetur.

Deus opt. max. Spiritu Filii sui Domini nostri Iesu
Christi corda nostra sic illustret, ut fugatis errorum
nebulis, ei toti ac soli semper adhæreamus.

Amen. Heidelbergæ, anno MDLXVIII.

Mense Aprili.



AD GENETHLIACOS, EX

B. AVGVSTINI CONFESSIONVM

Libro septimo, capite sexto,

GVILIELMI XYLANDRI.

VNa, eademque dies, eadem quoque protinus hora,
Atque idem minimi temporis articulus

Humanam lucem duo corpora protulit almam:

Patria sic natis una duobus erat.

Fulserunt eadem nascentibus astra duobus,

Atque uno radios consruere modo:

Idem sideribus positus, respectus & idem:

Diuersum mundi nil habuere plagae.

Iam quae natalis pars sit violentior hora,

Quo coelum ve illis ordine fata dicet,

Desine scrutari numeris Babylone petitis,

Atque polos bis sex stringere cardinibus.

Alter ad eximios mature euectus honores

FIRMINVS fati munere magnus erit,

Nobilitate, opibusque potens: augebit heriles

Alter in attrito tegmine verna lares.

Atqui non alius respexit Iupiter illum,

Non alia effulsit Luna. Venusve domo:

Non alios caelo satus, aut Cyllenius ignes

Extulit, aut aliam Martia stella facem:

Excepit radius Titania lampas iisdem

Impositum gremio matris virumque sua.

Non alios vitæ cardo, non porta planetas

Infera, non densa ianua noctis habet:

Non media cuspis lucis, non templa potentis

Fortunae, genis siue dicata loca.

Nihil non ambobus commune volubilis aether,
 Affictaque astris continuere domus.
 Quod si fata hominum facie natalis Olympi
 Monstrantur, nulla vana futura die:
 Cur in Firminum nil caelum iuris habebit,
 Servitio collum quod premit alterius?
 Cur miser obscenos tolerabit verna labores,
 Firminum fato tot cumulante bonis?
 Cur simile est illis, eadem quos astra tuentur,
 Totius in vita conditione nihil?
 Scilicet aeterni quae sint decreta parentis
 Arbutio ostendat linea ducta tuo.
 O vani studiorum, ô sese fallere sueta
 Pectora, & infami decipere arte rudes!
 Quid duodena poli templa, astrorumque meatus,
 Et formidatos quid fatuis radios
 Cogitis in numerum? & mortalib. ardua fata
 Ambiguis trepidi quaeritis in tabulis?
 Gratia, fama, valetudo, genus, & pudor, & res,
 Et status, & vitæ conditio, soboles,
 Et quaecunque homini contingunt, aspera, siue
 Prospera, mortali dum pede calc at humum.
 Soli nota DEO sunt, quem penes omnia solum,
 Nutibus hîc fatum temperat omne suis:
 Non illos stella, aut genitabilis angulus horæ,
 Aut positus variant astra nouata suo.
 In corpus mentemque tuam quod fingis & horres,
 Nullum is corporibus ius dedit aetheriis.
 His quis detulerit, liquet, ipsaque nomina rerum
 Priscæ reliquias impietatis habent:
 Autoris documenta sui que amplissima præbent,
 Vnum non potuit qui tolerare DEVM.

X Y L A N D R I.

DE



DEFENSIO LIBELLI

HIERONYMI SAVONAROLÆ DE

Astrologia diuinatrice, aduersus CHRIS-

STOPHORVM STATHMIONEM,

Medicum Coburgensem:

In qua simul declaratur quæ sit ista Diuinitio: quæ ipsius partes: ad quam prænotionis speciem pertineat: quomodo à licitis diuinationibus differat.

Per D. THOMAM ERASTVM.

IN præfatione sua scribit Stathmion, Sauonarolam in hoc scripto, cuius defensionem suscepimus, non plus demonstrauiſſe, quam Diuinationē, quæ naturalibus cauſis non nitatur, impiam eſſe: an verò talis ſit Astrologia vaticinatrix, neque Sauonarolam neque alios oſtendiſſe. Atqui in toto illo ſcripto fermè hoc ſolum declaratur, & argumentis (meo iudicio) indiffolubilibus mōſtratur, Astrologicam diuinationem vanam & inane figmentum eſſe: nullis ſubnixam cauſis naturalibus videri: denique non eſſe à Deo vel natura in hunc finem creata ſidera, vt futuros illos euentus, quorum ſibi præſcientiam falſo arrogant Astrologi, ſignificent. Quod ſi probatum hoc ſit, an non & illud demonſtratum fuerit? Quamquam enim ſidera ſunt naturalia corpora, non tamen

consequens est, Astrologiam ex naturalibus causis recte futura coniectare, dum eas vires astris adscribit, quas natura ipsis negauit, ac Deus sibi soli seruauit. Nisi forte aliquis sic opinatur, omnem augurandi modum, qui naturale aliquod corpus considerat, naturæ consentaneum esse. Quod qui credit, Haruspicinam, Auguria, & similes omnes superstitionas hariolationes eodem argumento approbandas putat. Sunt enim exta & aues non minus naturalia corpora, quam sidera & cœli. Verum quia non ad hoc sunt à natura facta, vt ex ipsis diuinent homines, aut futura præsignificent, merito damnatur qui eis hanc facultatem falsò tribuit. Errant igitur qui nos ab his præmoneri de futuris contingentibus existimant: nec vtuntur iis vt naturalibus rebus, dum ipsis qualitates affricant affinguntque, quas natura eis non indidit. Auium volatus, gestus, garritus, actiones sunt à natura ipsis insitæ: non tamen vt naturales ille considerat, qui adhibet ad futurorum præsentionem, quæ neque indicare neque efficere ex sua natura possunt. Sic qui ex astris præscire futura conatur, quæ indicare neque debent, neque possunt, falsò prædicat se vt naturalibus vti causis. Porro Astrologos contra omnem rationem & manifestum Dei præceptum sideribus vim præsignificandi futura, quæ præintelligere mortales male cupiunt, tribuere, in toto libro sic est probatum, vt Stathmion nihil adhuc potuerit refellere, quinimo nec ausus sit conari aliqua ex eis impugnare.

Mihi autem videtur in eo primùm labi, quòd rem ipsam nondum rectè percepit, id est, quod nescit, quinam *Diuinatores & Vates* omnibus temporibus

ribus

ribus appellati fuerint: id quod non tantum ex hoc scripto contra Sauonarolam, verum etiam ex priuatis eius ad me literis collegi. Et non hic solus, sed & alii complures, cum quibus de hisce rebus aliquando contuli verbis aut scriptis, in eodem luto versantur. Ideo statui huius defensionis fundamenta, & totius de Diuinatione disputationis principia, quam potero breuitate, sic exponere, vt cuncti deinceps intelligant, quinam proprie sint ac dicantur *diuinatores, augures, harioli, vates, vaticinatores*, quos omnes Græci vno nomine *Μάντις* vocauerunt. Cæterum vt & Astrologos rectè his annumeratos fuisse liqueat, primum declarabo ad quam prænotionis speciem diuinationo omnis pertineat: deinde quales diuinatores sint isti auguratores cælestes, perspicuè ostendam. Quo sint autem dilucidiora omnia, de nominibus quædam antè dicam,

Diuinationis nomen Latinis, Cicerone teste, idem significat, quod Græcis *Μαντεία* & *Μαντική*, hoc est, *rerum futurarum predictio & præsensio*. Magnifica certè res est *Diuinationo*, vt ait Cicero, *quaque proximè ad Deorum vim natura mortalis potest accedere*. Itaque vt alia nos melius multa, ait idem, quam Græci: sic huic præstantissimæ rei nomen nostri à *Diuis*; Græci, vt Plato interpretatur, à *furore* duxerunt. Sanè rectius & melius Latini, quam Græci, à *Diuis*, seu diuino deriuarunt. Etenim quicumque præuidere futura crediti sunt, diuinitatis participes existimati pariter fuerunt. Facile nanque animaduertentur homines intelligentes & docti, futurorum præensionem maius quiddam esse, quam quod mortalibus congrueret, in quo omnes

omnium ætatū ac gentium viri prudentes conuen-
nerunt. Equidem Plutarchus in lib. 5. de Placitis
Philosophorum apertè satis hoc ostendit, quum
Platonem & Stoicos scribit sensisse, *neminem sine
inflatu demonum vaticinari.*

Qua de re Plato in Timæo sic scribit: Ἰκανὸν δὲ
σημεῖον, ὡς μαντικὴν Θεὸς ἀφροσύνη ἀνθρώπινη δίδωκεν, εἰδὲς
γὰρ ἔννευσ ἐφάπτεται μαντικῆς ἐνθὺς καὶ ἀληθῆς, ἀλλ' ἢ καθ' ὑπνον
τῆς φρονήσεως πεδηθεὶς δύναμιν, ἢ διὰ νόσον, ἢ τινὰ ἐνθουσια-
σμὸν παραλλάξας, &c. *Argumento, inquit, satis est valido,
Deum tribuisse Diuinationem amentia humana: quia
nullus, dum mente constat, verum ἔστι diuinum asequi-
tur vaticinium, sed cum prudentia vis vel per somnum
veluti ligata est, vel à morbo oppressa, vel ab afflatu è sta-
tu suo dimota.* In Symposio multa huc spectantia
reperias, vt quum per Diuinationem homines cū
diis coniungi scribit, & huius generis alia. Propius
ad causam pertinet, quod in eodem dialogo, quū
ex sententia Diotimæ de natura & officiis Dæmo-
nii differit, affirmat à Demonio aut per Demonium à
diis omnē diuinationē ad homines peruenire. Διὰ
τῆς, inquit, καὶ ἡ πᾶσα μαντικὴ χορεῖ: & quæ sequuntur.

Quod nuper ex Cicerone diximus, Platonem
à furore nomē Diuinationis deducere, in Phædro
habetur: quo in loco sic scribit: Ὅτι ἐ τῶν παλαιῶν,
οἱ τὰ ὀνόματα πθέμενοι, ἐκ αἰχρὸν ἠγέοντο, ἕτε ὄνειδος, μαντεῖαν. ἔ
γὰρ ἂν τῆ καλλιῆς τέχνης, ἢ τὸ μέλλον κελίεσθαι, αὐτὸ τῆ τ' ὄνομα
ἐρωπλέκοντες μαντικὴν ἐκαλεῖσαν ἀλλ' οἷς καλῆ ὄντος, ὅταν θεῖα μαν-
τεῖα γίνεσθαι, ἔτω νομίσαντες ἐθελῶ. οἶδε νῦν ἀπειροκάλως τὸ, πᾶν,
ἐπεμδαλοντες μαντικὴ ἐκαλεῖσαν. *Veteres, inquit, non putave-
runt insania nomen esse turpe. Non enim arti prestan-
tissima, quæ futura præfagit, nomen hoc implicantes tri-
buisent, μαντικὴν appellantes, sed velut bonæ rei, quæ diui-
na sit sorte, indiderunt. At iuniores imperitè literam, T.*

inter-

aduersus Christophorum Stachmionem. 15
interponentes, μαγικὴν vocauerunt. Ex his testimoniis
satis liquet, Diuinationem non modò à Græcis,
verùm etiam à Latinis pro re admirabili ac diuina
habitam fuisse, quæ mortalis hominis sagacitatẽ
longè superaret, & à Deo ad homines per dæmo-
nia deriuaretur. Qui plura cupit, Iamblichum le-
gat, & Porphyrium, qui tantam rem opinatus est
esse Diuinationem, vt ne quidem diis omnibus
conuenire posse iudicauerit.

Haud alia fuit Aristotelis sententia. In cap. 8. li-
brorum Eth. ad Eudemum 2. hæc legimus: *Διὸ καὶ τὰς*
ἐνθουσιῶνας καὶ προλέγοντας, καὶ περὶ διανοίας ἔργον ποιῶντας, ὁ-
μως ἔφαμεν ἔφ' ἑαυτοῖς εἶναι, ἔτ' εἰπεῖν ἢ εἶπον, οὔτε πράξαι ἢ
ἔπραξαν. Non minus illustris locus extat in fine ho-
rum librorum, in capite *περὶ εὐτυχίας*, vbi apertè asse-
rit, Diuinatores tunc solum videri ad diuinandũ
aptissimos, quum mente sunt moti, aut ligatã ha-
bent rationem: eãque ob causam *μελαγχολικὸς εὐ-*
θυνοεῖρας esse ait, hoc est, *sæpius somniando scopum at-*
tingere, quam alios. Iccirco scripsit Cicero 1. lib. de
Diuinat. Aristotelẽ censuisse furentes & melãcho-
licos habere aliquid in animis præfagiens atq; di-
uinum. In libello de Diuinat. per somnum, quid
agit aliud, quàm docet, illos maximè futura antè
videre, quæ commotus aer animo, sopitis sensib.
leniter ingerit, quorũ mens est sedatissima, & à co-
gitationib. maximè libera? Vnde quos Plato *μαγι-*
κὸς vocat, ipse *θεολήπτες, ἐνθουσιῶντας, ἐκστατικὸς* nominat.

Nisi me plurimùm fallit animus, satis ostendi
perspicuis testimoniis cùm Græcorum tum Lati-
norum, Diuinationem non significare quippiam
vulgare, sed rem omnino maximam & admirabi-
lem, quæ diuina potius debeat vocari quàm hu-
mana. Sanè gens atq; natio quælibet Diis suis fu-

turorum præscientiam ita tribuit, vt ei prædictioni præcipuè semper crediderint, quam à Diis profectam putauerunt. Hinc fortasse motus est diu⁹ Hieronymus, cui hac in parte omnes alii Theologi consentiunt, vt Diuinationem in sacris literis atque aliàs plerunque in peiorem partem accipi scripserit. Quum enim autores omnes prophani sic semper nominarint futurorum prædictionem à Diis suis profectam, nec alia res futuras præuidendi ratio à sacris literis damnetur, meritò Diuinationem omnem propriè dictam impiam dixerunt Theologi. Hæc de nomine dicta sunt.

Sermoni de ipsa re præmittendum hoc est, nos de futurorum prædictione ac præsentatione sic loqui, ac si altera non posset absque altera intelligi. Quanuis enim animo prius conceptū esse oportet quod eloqui vult aliquis, fieri tamen potest, vt quod præceperit animo, nemini edicat. Deinde præuertendum hoc quoq; fuit, nos non vsurpare ista nomina in alia significatione, quàm ea, quâ futurorum præsentationem significant. Nam quædam latius patent, atq; illos etiam complectuntur, qui præterita, & ab omni hominum memoria remota exposuerunt: in quo prædictionis genere omnium, qui vnquam extitisse memorentur, clarissimus fuit Moyles. Aristoteles 3. Rhet. Epimenidem Cretensem, cuius mentio ab Apostolo Paulo facta est alicubi, in eodem prædictionis genere versatum esse ait, neglecta futurorum prænunciatione: licet Cicero, Diogenes, Apuleius inter illos quoq; eum numerent, qui furore perciti futura prædixerunt. Ego autem de sola futurorum præsentatione disputare hoc loco statui.

Præno-

Prænotionis species non est vna, sicuti nec vniusmodi res sunt quæ prænotantur, nec eodem etiam modo prænotantur. Nam quædam ex illis necessario fiunt, quædam contingenter eueniunt. Non puto esse opus vt multis probem, Diuinationem non versari circa prædictionem necessariorum, vt quæ nihil habeat admirabilitatis atq; diuini. Quinetiam ad Diuinos ne illa quidē pertinent, quæ arte vel vsu explicantur; multò minus quæ scientiâ tractantur. Scio ex historiis, quosdam summa cum hominum admiratione tunc prædixisse solis ac lunæ eclipses, quū Astro-nomia vulgò adhuc ignota esset: cum prius vñ verò causas talium cognoscere homines cœperunt, admirari simul eorundem prædictiones desierunt: pro artificibus & scientibus ac doctis habiti sunt, qui hæc perceperunt, pro Diuinatoribus nullus eos deinceps habuit. Proinde reliquū est, vt Diuinationem in illis quæramus, quæ non eueniunt necessario, sed contingenter.

Cæterū quod sic euenit, bifariam considerari potest: & secundum naturam communem seu generalem: & secundum propriam atq; indiuiduam. Quod dico tale est: Homo in se duo habet, naturam communem illam, quā homo est: & proprias qualitates, quibus non homo tantum est, sed cuiusdam modi homo. Potest igitur homo prævideri quatenus homo: & quatenus talis homo. Prior præsentio nihil habet mirabile aut magnificum. quotus enim quisq; est, qui nesciat, ex hominibus homines nascituros, nō canes? Sane pro diuinatore nemo illum habeat, qui generatim duntaxat prædicat, animalia paritura su-

generis fœtus, itemq; arbores & plantas pro sua natura quasque semina fructusque prolaturas, ad quos proferendos destinatæ sunt. Horum prædictiones non admiramur, sed ridemus. Equidem vidimus nunc aliquoties libellos de talib⁹ rebus generaliter vaticinantes editos, ad irridendos, puto, prognosticos Astrologorum libellos, quos singulis annis tam varios tamq; diuersos diuersi conscribere solent, nec quenquam ita rudem animaduertimus, qui admiraretur.

Verfatur ergo in particulariũ præuisione Diuinationo, quatenus particularia sunt siue indiuidua, non quatenus naturâ communi participât. Non qui equos dicit equos parituros, diuinare dicitur; sed qui hunc equum hoc loco & tempore pullum vnum aut plures, strenuos, imbelles, pulchros, turpes, robustos, imbecilles generaturum prædicit, atque his alia similia antè edicit, is diuinare perhibetur, vt postea planiùs demõstrabo. Nunc satis est scire Diuinatione opus esse in particularibus tantùm, quando vt singularia cõsiderantur. Duplex est autem etiam horum præfagitio. Nam aut tunc solùm futura nunciantur, quũ esse iam aut fieri cœpisse animaduersa sunt; aut multo antè tempore, quàm fieri cœperint, prædicuntur. Qui id solùm præfagit, quod iam esse ac fieri notauit, Diuinator certè dici non potest. Quippe non hoc, quod nõdum est futurum, dicit; sed quod iam est, ac propter obscuritatem & paruitatem adhuc imperitos latet, perficiendũ siue augendum asserit, dum ex inchoata actione veræ & propinquæ causæ, complendum, quod nasci cœpit, sperat.

Hoc modo artifices omnes de operum suorũ

perfectiōne absolutiōneq; diuinant, quum quo tempore absoluenda sint præmonent. His annumeranda sunt tempestatum præfagia, quas vel ex certorum spiratione ventorum, vel animalium quorundam fuga, gestibus, clamore, & aliis huiuscemodi signis consecuturas aliqui coniciunt. Perinde enim est, siue causas effectuum, siue signa aliqua notaris, quæ certus plerunq; sequitur effectus. In hac classe nautarum continetur præfagitio, qui sæpenumero ex pusillæ nubeculæ motu, quem præter ipsos nemo obseruat, imminentem præuidet tempestatem ac vêtum. Huc pertinent agricolarum prædictiones de certorum fructuum vbertate, copia, bonitate, vel sterilitate & vitio, & quæcunque ex præcedentibus signis actionem naturæ in re aliqua consequentibus, euentura prius intelligunt, quàm vulgus reliquum, & longo vsu & multorum annorum experientia edocti, quæ tempestates quibus fructibus noxiæ sint aut vtilis, de talibus pronunciant.

In eodem hoc ordine & césu, maximè illustra sunt Medicorum præfagia. Non enim pollicetur ars medica prænotionem illorum, quæ absolute futura sunt; sed illorum tantummodo, quæ iam effici cœpta sunt. Quod etsi per se verum est, & ex ipsa rerum consideratione intelligi potest, Galeni tamen aliquot testimoniis confirmare libet. Ostendit hic subobscurè in *14. Method. cap. 9.* & *lib. 2. de Cris. cap. 2.* apertissimè autem in *1. comm. in Prorrh.* Hippocratis exēplo stirpium nuper ex terra emergentium, quales sint medicorum prænotiones. Quemadmodū peritus & exercitatus aliquis colonus, inquit, aut hortulanus dicere

potest, quænam ex herbis nuper pullulantibus futura sit zea, quæ hordeum, quæ lactuca, quæ aliud quippiam tale, imperitus autem non potest: sic medici exordientes affectus, qui aliis propter parvitatem occulti adhuc sunt, ipsis autem propter peritiam conspicui, complendos prædicant. Ut illi non absolutè futuras esse plantas dicunt, sed iam nasas distinctè cognoscunt: ita mediciam apparentes affectus cernunt, quos imperitis simpliciter prævidisse putantur, quia ipsis nondum apparuerunt.

In eodem com. in 4. sententiæ explanatione sic scribit: Εἰρηται δὲ μοι καὶ πρὸθεν, ὡς τὰ τῆς ἀρχομένης γνωσίμαται, πρὸ γνωστῆς σημεία, τῆς ἤδη συμπεπωλημένης ἐστὶ Διγ. θέσεως. Quid potest dici clarius? *Nota sunt indicia exordientis affectus*, inquit, *sunt prognostica signa compleri & perfecti*: quod etiam prius monui. Hisce verbis nobis in memoriam reuocat, quæ ab initio eiusdem libri dixerat, quorum nos summam exposuimus, videlicet ita prævidere futuras morborum mutationes medicos, quo modo herbarum ab hortulanis prævidentur futuræ. Mox in 5. sententiæ declaratione, ubi rursus illorum meminit, qui affectus paruos adhuc non volebant illis nominibus appellari, quo perfecti iam & aucti nominari solent, hæc addit: Ὑπειδόντες ἔσμι κρῆ λόγῳ τῆς κατ' ἀρχαίς ἡμῖν ρηθέντος, ὡς οὐδὲ πρὸ γνωστικῆς τῶν τοῖς ἰατροῖς μέλλον παθήματι τῶν ἤδη μὲν ἀρχὴν γενέσεως ἔχόντων, ἔδὲ πῶς τοῖς πολλοῖς Διγ. τὴν σμικρότητα γνωρίζομένων, ἢ γλυκομένη τοῖς τεχνίταις γνώσις, ἐπαγγελθεῖσαι τῆς ἰδιώταις, πρὸ γνωστῆς ὡς πρὸ ἐκείνου ἐστὶ.

Haud scio an possit his aliud clarius & firmiter adferri. Nam apertè ostendit quod diximus, nullum videlicet verè futurum pathema à Medicis præco-

præco-

præcognosci: sed quum incœpit, at propter exiguitatem idiotas adhuc latêt, prænunciari à Medicis, eamque prænunciationem illos pro futuri præuisione accipere. Sanè res aliter non habet: id quod negaturum neminem confido in lectione Galeni & Hippocratis versatum. Nusquam enim hi futura simpliciter docent cognoscere, sed ubique iam incipientium signa notare iubent. Idcirco in *lib. 3. de Diffic. resp. cap. 8.* ait Galenus, bonorũ esse medicorum officium, non ea prælagire, quæ iam vulgo rudi apparent & cognita sunt; sed ea commemorare, quæ iam in ægris apparent, cum nihil dum mali eiusmodi habere videntur. Vt vno verbo dicam omnia, nusquam Galenus aut Hippocrates, aut alii vlli præstantes Medici docuerunt futura aliter præsentire, quàm in suis veteris, proximis & propriis causis.

Quocirca minimè debemus mirari, quum in tam multis locis, vt in *lib. De præcognit. ad Posthumum: in lib. De simplic. pharm. facultatibus: in Epidemias, in lib. De febr. diff. in Prognosticis, in libello De causis procatarcticas*, & alibi etiam conqueritur se pro vate habitum fuisse (qui tamen nunquã fuerit) propter suas medicas, non autem diuinatorias prædictiones. Calumniari ac mentiri illos scribit, qui ex arte diuinatrice prælagire eum dicerent. Quinetiam Romæ se nunquam vates obseruasse asserit veri aliquid de ægrotis præiudicauisse, quum in prælagiendo tamen ipse nunquam aberrarit. Equidem iure optimo noluit appellari vates aut diuinator, quum aliud futurum nihil diceret, quàm quod à causis veris & propinquis creari iam produci que conspicatus fuisset. Mor-

borum solutiones ex urinarum & aliorum excrementorum coctione ac cruditate, aliisque talibus signis naturæ ac virium robur seu imbecillitatem significantibus quotiens prædicit, ex illis diuinat, quæ in actu iam esse deprehendit.

Summa est, Medicos non aliter morborum exortus mutationesque præsentire, quàm quomodo Agricola frugum abundantiam aut tenuitatem præuidet. Nam ut hi ex satione, terrarum qualitate, seminum natura & bonitate, aëris temperie, herbarum felici aut infelici eruptione vberem aut pauperem expectant messem: sic medici ex præsentis morbi natura, ægri temperamento & viribus, signis coctionis, motu morbi celeri aut tardo & aliis hinc spectantibus circumstantiis, de fine solutioneque coniectant. Ex quibus satis manifestum fit, Medicos nihil propriè futurum antè nunciare: sed quod esse iam aut fieri cognouerunt, id ita aliis exponere, ut, quum perfectum iam est, præuidisse perperam credantur. Ideo Galenus, cum in 1. comm. in lib. Hippocr. de rat. vict. acut. morborum nomen *Μαῦν* siue Diuinatoris exponit, & quomodo Græcis usurpatum sit, declarat, artes multas commemorat, medicinam ab eo significatam non concedit: Haruspices, Augures, Astrologos, Sortilegos, Somniorum interpretes, & huiusmodi alios *Μαῦν* vocari fatetur, Medicum esse Vatem negat.

Medicis & agricolis annumerandi sunt intelligentes, sagaces, astuti & prudentes, quos sic appellatos putat Cicero à prouidentia, quasi prouidentes. Tales certè in repub. exercitati multa sæpe prospiciunt futura, quæ alii non obseruant; dum ex
antece-

antecedentibus consequentia; ex consiliis actiones & conatus, ex his & coniunctis viribus aliisque circumstantiis acutè solerterq; euentus multò antè vident, quàm eueniant. Differt autem nonnihil horum prouisio à præscientia Medicorum, Nautarum, Agricolarum, & similibus. Horum etenim prædictiones, quum circa naturæ actiones, quæ semper eodem modo agit, quum impedita non est, versetur, sæpius attingunt scopum: illos falli sæpius necesse est, quum in hominum actionibus cognoscendis occupati sint. Nihil enim est hominibus mutabilius & inconstantius, vt qui cudant, recudant, ædificent, diruant, mutant, abiiciant, capiant noua consilia, ab his redeant sæpe ad priora, celent, simulent, dissimulent, damnent quæ probant, probent quæ damnant, deniq; omnia faciant, vt de improviso prodeant, obistentes fallant, votique compotes fiant.

Res ergo, in quibus nititur præuisio prudentum hominum, maximè tum particulares, tum dissimiles, incertæ, lubricæ, variæ sunt, quarum τὸ κρ. γέλα, vt loquuntur Philosophi, nullum cognitum est. Sunt illorum quoque, Medicorum videlicet ac nautarum signa inconstantia: sed eiusmodi nihilominus omnia sunt, vt ab industriis ad artem aliquam reuocari possint, vt quæ sæpiùs consimili eueniant ratione, etsi aliquid semper dissimilitudinis quoque coniunctum sit. Humanas autem cogitationes, consilia & actiones in artem quis redigat? quibus ista præceptis comprehendantur, quum sint planè infinita, & ipsamet fortuna volubilia? Sed quâquam ita est, nihilominus in eo conueniunt omnes, quòd vtique nihil

euenturum antè affirmant, quàm factum iam aut fieri cognouerint, hoc est, quàm à suis causis propriis progigni obseruauerint. Suprà moui, parum interesse nostra, siue causæ cognitæ sint, siue vsu animaduersum sit certa quædam signa certū plerunque consequi effectum. Talia enim signa sic esse connexa cum causa effectus oportet, ut si ne ea apparere nequeant.

Illi ergo, qui res non antè futuras monent, quàm esse iam aut fieri eas perceperunt, non magis appellandi sunt harioli aut diuinatores, quàm ille, qui prædicat quoto die cursor aliquis Augustam peruenturus sit, quum & spacium itineris nouit, & quot singulis diebus miliaria conficere possit, non ignorat, & reliqua huiusmodi rectè considerat. Constat ergo nec Medicos, nec Agricolas & Nautas, nec alios artifices, nec prudentia præstantes, nec alios ullos Variis accenseri posse, qui ex inchoata proximæ causæ actione de sequuturo effectum aliquid pollicentur. Talia enim arte ac ratione tractari possunt, in quibus Diuinatione opus non est. Nec ullus ynquam extitit autor Græcus aut Latinus, qui huiusmodi artes *Mantivis*, aut *Diuinatorias* appellarit. Concludam ergo hanc partem verbis, non Ciceronis, ut quæ facilius contemnere quuis possit, sed Magni illius Athanasii. Is in vita Magni Antonii, quam D. Hieronymus ex Græco conuertit, hæc scribit:

39 *Quis rogo Medicum ex obseruatione morborū quum*
 23 *animæ estuantis incendum de venarum pulsu leui di-*
 39 *gitorum scrutatur attactu, diuinam arbitratur habere*
 23 *notitiam? Quis gubernatorem nauigationis sue viam*
 23 *inter cæli sidera requirentem, maiestatis nomine vene-*
 23 *ratur?*

ratur? *Quis* Agricola*m* de aridis aestatis feruoribus, *ce*
aut de hyemali aquarum largitate disputantem, non *ce*
potius ex peruia laudat, quam Dei consecrato nomine? *ce*

Satis, opinor, planè expositum ostentumq; est,
Diuinationem non esse in illis rebus, quæ arte,
ratione, usu, coniecturâ præsentiri possunt, ut quæ
antè non præuideantur, quàm fieri iam peripetæ
sint. Etenim qui observatione notauit, quæ res
quaq; causam aut signum plerunq; consequa-
tur, non antè potest eam futuram dicere, quàm
antecedere eandem illam causam animaduerte-
rit, agereque deprehenderit. Deprehenditur au-
tem & cognoscitur à doctis ipsamet causa; ab in-
doctis & rudibus signa quædam consequentem
effectum declarantia duntaxat obseruantur.

Superest igitur, ut *Diuinationem* confiteamur es-
se *prædictionem rerum singularium non necessario eue-*
mentium, absq; proximarum causarum notitia, id est,
antequam fieri obseruata cognitaque sunt. Sed
neque harum quoque vna est simplexque præ-
cognoscendi ratio. Etenim aut verè præsentiu-
tur: aut creduntur solummodo præsentiri, quum
re ipsa tamen ac verè non præsentiantur. Vera
præsentio *Prophetia* Christianis appellatur, atque
solum Deum verum habet autorem & effectorè,
qui tempore quolibet, quod, quantum, quibus,
quomodo voluit, patefecit, ac deinceps patefa-
ciet. Hæc aliud nihil est, quàm diuinitus profecta
manifestatio rerum contingentium, priusquam
ea vel in seipsis, vel in suis propriis causis actu ex-
istant, aut existere cognoscantur. Ab initio mo-
nui Prophetiam latius patere, quàm ut futuroũ
solummodo patefactionem complectatur, quã

tamen præcipuè significat. Qui hoc pacto futura præuident, *Prophetae* nobis appellantur. Etsi enim mentio fit Prophetarum apud Platonem, Platonicos, Themistium, Hippocratem, Galenum, aliosque prophanos scriptores, quibus vera Prophetia ignota fuit; nos tamen pro vera Prophetia ponimus.

Omni aliam futurorum præuisionem, quæ scilicet non ex veris & proximis rerum causis oritur, falsam & incertam esse, atque à Dæmonibus profectam postea probabo: nunc positum hoc tantum volo. Ergo falsa hæc & mendax præuisio futurorum, Græcis *Μαντια* & *μαντική*: Latinis autem (vt supra declarauimus) *Diuinitio* vocata fuit, atque genitores habet dæmones. Sicut hi ab Ethnicis falsò pro Diis habiti sunt; ita prædictiones quoque eorundem perperam existimatæ sunt veræ. Et quemadmodum verum Deum nõ nouerunt: ita veram Prophetiam quoque nescierunt, solamque falsam in precio habuerunt. Iudicauerunt enim eam esse veram contingentium prænotionem, antequam vel in se, vel in suis proximis causis vi naturali cognosci possent: hoc est, tribuerunt ei proprietates veræ Prophetiæ, propterea quòd dæmones, à quibus eam repetebant, veros esse Deos opinabantur. Nos verò, qui cœlitus edocti cognouimus ipsos non esse Deos, sed iuratos Dei hominumque hostes, præscientiam futurorum, quæ propriè futura appellantur, tam illis non concedimus, quàm certo scimus, nos veræ Diuinitatis nihil possidere, & omnia hæc in perniciem mortalium moliri ac simulare.

Hanc Cicero breuissimis ac significantissimis
 verbis,

verbis, vt solet omnia, sic nobis definiuit: prædictionem atque præfensionem esse dicens earum rerum, quæ fortuitæ putantur & dicuntur. non enim de vllis aliis rebus instituta est omnis diuinationo, vt partim supra declarauimus, partim infra demonstrabimus. Eandem sententiam Græci totidem ferè verbis expresserunt, quum sic eam definierunt: *Μαντεία ἐστὶ ἐπισήμη πρὸ ἀληθοῦς καὶ ψεύσεως ἀνδραποδείξεως.* *Scientia est res præsignificans absque causa vel ratione aliqua.* Hoc enim significat hoc loco ἀποδείξις, quemadmodum nomen *Scientia* quoque pro qualibet notitia, & πρᾶξις pro euentu quouis accipi oportet. Si apertè me dicere oportet, dicam nil aliud esse, quàm deceptionem ac illusionem dæmonis Deum se mentientis; falsa pro veris instillantis; vel ambigua proponentis; vel certè res eas repræsentantis, quæ iam fiunt factæve sunt, at propter locorum distantiam aliasque similes causas cognosci illo in loco, vbi eas nunciat, nondum potuerunt.

Ex his iam patescit, quod mox planiùs aperietur, diuinationem, sic propriè nominatam, à dæmonibus esse natam. Etenim præuidere futura, quæ sigillatim hîc fiunt, absque propriarum & finitarum causarum notitia, diuinam rem esse atque admirabilem, quæ sit supra mortalis hominis sagacitatem, & à virtute quadam præstantiore & superiore in nos deriuetur, omnes omnium ætatum periti homines affirmauerunt. Equidem, ab afflatu numinis prouenire talium præscientiam omnes intelligentes semper crediderunt. Neque sunt in hac re falsi homines Ethnici, vt qui probè intelligerēt, nos futura nō aliter quàm

in suis causis præintelligere posse. In hoc decepti sunt, quòd dæmones crediderunt esse Deos ac futurorum præscios, licèt vtrunque falsò ipsis tribuerint. Nam vt non sunt Dii, ita etiam futurorum sunt ignari; quo fit, vt mendax & falsa sit omnis eorum Diuinationo. Si quid ita aliquando cecidisse visum fuit, vt ipsi præsignificauerunt; hoc omne aut factum fuerat, eoque in loco sciri nondum potuerat; aut fieri iam cœperat; aut Deo patrefaciente cognouerant; aut fortuitò casuque euenerat. Neq; enim tanta est infelicitas eorum, vt nūquam casu id fiat, quod futurum monuerunt, quum præsertim pene necesse sit, vt qui toto die iaculatur, aliquando collineat.

Cæterum non habuerunt nullas sui consilii causas vasti callidique illi spiritus. Primùm enim facilè viderunt, se diuinitatis opinionem tueri non posse, nisi futurorum præscii crederentur. Insitum enim hoc sic est animis hominum, Deos futura nouisse, vt pro Deo non facilè colatur, qui nescire ea creditur. Stoici profectò Diuinatione hoc ipso sibi videbantur probare, si Deos esse monstrauissent. Non ignorabant etiam, Deum per suos Prophetas non parum testatam fecisse potentiam diuinitatemque suam Iudæis atque aliis, futurorum præmonstratione. Vt ergo eandem sibi apud mortales existimationem pararēt, partamque conseruarent faciliùs, non modò per sermonem, per furibundos vates, per somnia, per amentiam, per morbos præostendere futura simulauerunt; sed insuper artes etiam excogitarunt, scilicet, per quas futura præsentiri posse impudenter mentiti sunt. In quo factò veteratoria nequissimorum

simorum spirituum calliditas præcipuè enituit. Quum enim, si per suos vates duntaxat vaticinarentur, non se tam faciliè excusaturos mendacia sua viderent, aliam sibi rationem ineundam putauerunt.

Ergo quum suæ ignorationis in hac parte probè sibi essent consci, quò fraus detegeretur difficiliùs, artes commenti sunt varias & multiplices: *Haruspicinam*, quæ extorum, fulgurum, ostentorumque considerationem comprehendit, *Augurii* species, *Astrologiam*, & huius farinae alias plurimas. Et quanquam sic responderent callidè, vt aliàs ad aliam rem accommodari posset responsio, vt sic, quodcunq; tandem cecidisset, hoc prædictum videretur: non tamen contenti fuerunt hanc solam obscuritatis latebrã adhibuisse; præsertim quum prudentes aliquot nunquam defuturos intelligerent, qui accuratiùs ista perpendere. Cicero id satis probat, dũ ætate Demosthenis creditum dictumque scribit, Pythii sacerdotè iam tunc *Φιλιππίζην* visam fuisse. Quod accidit, hoc futurum iudicarunt, vt videlicet homines, si quid aut non euenisset, aut non eo modo, quo prædictum fuisset, cecidisset, non à Deo erratum opinarentur; sed interpretes signorum aut propter imperitiam aut ignauiam lapsos crederent. Sed & artifices faciliè se excusaturos acutè sagaciterque collegerunt, vt quibus liceret mendacii causam in violatam religionem, neglectum Deicultum, aliasq; tales occasiones referre, autoritatemque pristinam retinere.

Cogimur ob eam causam nos quoq; cum veteribus omnibus Græcis atque Latinis scriptori-

bus, duas ponere diuinationis species, quarum altera sit artis experta; altera sine arte non peragatur. Sic enim omnes iudicarunt, quicumque Deos esse, ac rerum humanarum curam gerere censuerunt, vno Xenophane Colophonio dempto, ut ait Cicero. Porro longè minus fidei tribuerunt artificiosæ diuinationi, quam ἐν πίστι καὶ ἀληθείᾳ, ut Plato loquitur, hoc est, quam ei, per quam sine arte numinis instinctu vaticinia proferrentur, propterea quòd & signa in extis, auiibus, aliisque rebus occurrentia plerunque ambigua essent ac obscura, & quòd interpretem sæpe falli certum esset. Cicero innumerabilia Haruspicum responsa, vel nullos, vel contrarios euentus habuisse asserit. Plato etiam discrimen hoc diuinationum disertè admodum explicat, dum artificiosos diuinatores *Prophetas* nominat, alteros illos, qui per afflatum Dæmonis augurabatur, *Vates* appellat. In Phædro *ἰαυριστικὴν*, siue *Augurium* dicit esse ζήτησιν τῶν μέλλοντων ἐμφανῶν, *inquisitionem futuri, quæ non ad furibundus, sed ad constantes mente spectaret.*

Hanc speciem, artificiosam videlicet diuinationem, videtur Cicero ex Chrylippo definire, vim esse cognoscentem & videntem & explicantem signa, quæ à diis hominibus portenduntur. Officiū eius esse, scire qua mente dii sint erga homines, quidque per proposita signa indicent. Horum signorum plurima genera publicè priuatimque celebrata legimus. Singulæ namque vrbes ferè, ne dicam regiones, peculiarem aliquam rationem futura à diis suis sciscitandi secutæ sunt. Et ex omnibus, quæ in monumentis & disciplina posita sunt, artisque nomen meruerunt, maximè illustres

illustres

illustres fuerunt, partim etiã hodie sunt, *Haruspicina, Auspicia, Necromantia, Astrologia.* Quod ad Necromantiã vtranq; attinet speciem, nemo est, qui non diabolicas & impias confiteatur. Quis enim se virtute naturali credat vel mortuorum ymbbras euocare, vel recentibus cadaueribus loquendi potestatem reddere posse? Ratio eadem est incantationum. De Geomantia ab aliquibus vocata, & aliis putidissimis diuinandi modis, ne mentionem quidem aliquam facere debui.

Paulò minùs euidēs est Haruspicinã & Augurii species ab iisdem impostoribus excogitatas fuisse. Sacrificia, quæ in Haruspicina sibi fieri precepit Satan, abundè hoc probant. Hanc Tages quidã primus fertur Hetruscos docuisse, ex terra repente, videlicet instar fungi, ortus, quum aratro fuisset aperta. Hominem eum non fuisse, sed cacodæmonem satis ex iis liqueret, quæ de eo disputat Cicero, etiamsi neque res ac ratio, neq; alii quidam affirmauissent. Huc etiam Historia Attii Nauii de fulgurum obseruatione pertinet. Nec dispar est Auguriorum ratio. Argumento vel maximo esse possunt preces; quas conceptis verbis inter augurandum adhibere oportebat, *Effata* ab Auguribus vocatæ: deinde quòd certo loco & tempore, certis adhibitis ceremoniis auguria captabantur propè omnia. non enim non scio diuersissimos obseruatos augurandi modos, de quibus apud Galenum etiam nonnihil legimus annotatum.

Erit fortasse hoc loco, qui cogitet nos perperam annumerare Astrologiã superstitionis & impiis illis artibus, vt quã naturalia duntaxat signa

causasque obseruare notareque constat. Non inficior in Haruspicina olim multa apparuisse præter & supra naturæ ordinem, dum aliquando viscera vel sublata, vel mutilata, vel transposita, vel aliter deformata fuerunt à Dæmone, vel saltem ita perstrinxit oculos astantium, vt ita esse arbitrarentur. Non nego quoque eundem interdum effecisse, vt aues tum huc, tum illuc volarent, tum in hac, tum in illa se parte occultarent: autamen hoc pernego, non frequentissimè omnia talia sic apparuisse, vt nulla in his fuerit à Dæmonibus facta mutatio. Certum ergo est, tunc saltem res, & quibus diuinarent Haruspices atque Augures, naturales fuisse, naturaliterque apparuisse. Vrgitur non sequitur, eas ideo non fuisse prohibitas & fallas, ita ne de Astrologia quidem sequitur. Nam vt exta & aues non sunt à Deo factæ, vt præostendant futura, sed huc eas detorsit diabolus & hominum superstitiosa curiositas: sic etiam astra non sunt facta, vt quæ hîc fortuitò fiunt, nobis præsignificent.

Proinde non sufficit dicere, sidera eorumque motus, congressus, occurfus, quos considerant Astrologi, naturæ opera esse. Nam si concedatur hæc conclusio, poterunt eadem vti omnes alii diuinatores, quicumque ex arte diuinant, in qua sit aliquid naturale. Hoc demonstrare oportet Astrologos, si bonam & permissam esse diuinationem suam ostendere velint, sidera à Deo in hunc usum creata fuisse, vt per ea nobis, quæ ventura hîc sunt, remonstraret. Nisi ad hoc constituta docuerint, tam erit ipsa impia (quoad ex cælo augurari docet) quam impia sunt Haruspicina & Auguria.

Auguria.

Auguria. Galenus certè noster non disiungit cœlestem hariolationem ab auguriis & extispicio, & Astrologos palàm testificatur aliquoties inter Vates numeratos ac habitos ab omnibus veteribus fuisse. Satis habeo in præsentia vnicum locū ex comm. i. in lib. Hipp. de rat. vict. in morbis acutis, citauisse: *Μαύταις μὲν γὰρ καλεῖνται, οἵ τε ἱεροσκοποὶ, καὶ οἱ δῶνισται καὶ οἱ ἡμεθλιακοὶ ἀεθσαζροδόμενοι.* &c. *Vates*, inquit, *vocantur Haruspices, Augures, & qui alias nominantur Genethiaci: hodiè, Astrologi.*

Cæterùm quia ad id nunc peruenimus, in quo consistit tota huius disputationis difficultas, videtur institutum postulare, vt quæ supersunt dicenda in alium locum differamus, & Astrologiã rectè nos inter Diuinandi artes falsas recensuisse demonstremus. Quod quia multis propriis, iisque inuictis argumentis in toto scripto ostenditur, hoc iam loco communibus rationibus ad omnes diuinandi modos accommodatis, non ad solam Astrologiam confutandam compositis, docebo, futura sine instinctu diuino, nullo pacto ab homine aliave creata mente præsentiri posse. Non enim potest mens creata res futuras contingentes, hîc sigillatim euenientes præuidere, priusquam fieri cœperint. Porro non de aliis institutas esse Diuinationes omnes, ex ipsa tractatione liquerit. Vtar autem ad probandum hoc rationibus tribus, quas certò scio dissolui & refelli nō posse. Et si verò in vnam recidere tres istas non ignoro, tamen perspicuitatis gratia illas distinguere placuit. Quo facto, euidentissimis sacrarum literarum testimoniis idem adhuc firmiter comprobabo. Postremò ex Theologorum consen-

su omnia concludam, & ad reliqua pertexendam descendam.

Omnis notitia, quam vi naturali adipiscimur, ex rebus ipsis oritur. Non enim ante cognosci aliquid à nobis verè potest, quàm per speciem sui animum mouerit. Quare priùs esse res oportet, quàm à nobis cognoscatur. Quomodo enim res aliqua, quæ non existit, simulachrum sui offerat menti? Quomodo etiam ad animum pertingent rerum imagines, nisi per sensus, quasi per quasdã fores, ad eum penetrent? Sensus ergo mouisse oportet res, quarum sciētiam tenemus. At futura, de quibus hoc loco differimus, non sic existunt, vt sensus ea percipere valeāt. etenim sola præsentia percipiunt. Quod dico, non de externis tantũ sensibus, verum etiam de internis intelligi debet. Vt enim in his rerum imagines, quæ in exteriores sensus incurrerunt, tunc etiam remaneant, quum res non sunt amplius præsentis; non tamen ibi futurarum picturæ, sed perceptarum simulachra duntaxat hæere reperiuntur. Nam imaginatio species suas vniuersas à sensibus externis transmissas recipit, quas licet ita variè nonnunquã inter se iungat, vt explicare verbis nemo possit; non tamen exprimere futura potest, si quidem ita cõsiderentur, vt futura sunt. Ergo futura neq; à sensibus externis percipiuntur, quo de nemo, puto, ambigit; neq; imaginatione comprehenduntur.

Quòd si ergo præintelligi ponantur, ab alia facultate apprehendi oportet, nempe ab intellectu siue potestate ratiocinatrice. Nam per se & in se cognosci nequeunt, quæ hoc modo nondum sunt. In alio igitur vel ex alio quopiam mēti præ-

sente

señte intelligi oportet, id quod fit ratiocinatione. Solus autem intellectus ratiocinatur. Sola namq; ratio, quam *λογιστικόν* Græci vocant, mouet se à causis ad inuestigandos effectus, & ab effectibus ad perquirendas causas: sola deniq; ex quocunque proposito aliud deducit, inque causis effectus eo modo cernit, quomodo in ipsis conditilant. Solus ergo intellectus futura potest apprehendere. Iam conitat, tunc solùm actum mentem nostram intelligere, quum rei intelligibilis speciem obtinet. Futuræ autem rei speciem, quum ea per se nõ existat, habere aliter aut intelligere nequit, nisi vel ipsa sibi eam fingat; vel à superiore potestate accipiat; vel ex aliqua alia re sibi præsentem eam eruat. Eruere autem non potest, nisi ex causa eiusdem vera & proxima. Nam vt conclusio, quæ est absque ratiocinatione percepta, sine præmissis præeuntibus cognosci non potest; sic non potest euentus futurus præuideri, nisi causa eius vera prius cognita fuerit.

Equidem res per se non existentes absque ratiocinatione sic videre, ac si per se existerent præsentemq; essent, actus est Diuini, non creati intellectus, cui perfectio accedere nulla possit. Nostram autem intelligentiam quotidie magis ac magis perfici, plus satis notum est. Non enim simul omnia intelligimus, sed vnum post aliud atque vnum ex alio deducendo cognoscimus. Non ergo sic est perfectus animus noster, vt non à seipso differat, ac hodie plura intelligat, quàm antea intellexisset, id est, vt non recipiat cognoscendo cognitionem, & ab vno se promoueat ad alia. Quæ ratio in omni creata mente, quomodocunque recipere

cognitionem nouam cogitetur, similiter valet; propterea quòd nulla est ipsamet sua suiue cognitio; quòdque nullius cognitio causa est rerum cognitarum, sed ab ipsis potius rebus certo modo efficitur.

Etsi enim illæ mētes, quæ sine corpore viuunt, non opus habent sensibus corporeis ad haurienda rerum simulachra, sed alio modo ipsis conueniente res intelligunt; non tamen omnia simul intelligunt, quòd solius Dei proprium esse certū est. Quocirca rectè concludimus, nihil nos futurum cognoscere, nisi quòd à causa nobis præsentem perfectum ita perspeximus.

At verò fieri nullo modo potest, vt in aliqua re nobis præsentem per ratiocinationem aliud quippiam futurum videamus, priusquam fieri cœperit, nisi hæc duo concurrant. Primum est, vt rem animo nostro præsentem habeamus, quæ futurum aliquid indicat; alterum, vt causam esse veram & propriam intelligamus eius effectus, quæ futurum concepimus atque confidimus. Neque satis est in re aliqua intelligere, qualis ea sit, & quòd sit; verum etiam scire oportet, quòd hunc, & non alium vllum effectum productura sit, si quidem nos ex ea futuri aliquid cognoscere positum sit. Nouerit aliquis quid & quale sit hincignis, & quæ generatim efficere possit ac soleat; interim tamen facile fiat, vt nesciat, vtrum certè alicuius rei causa futurus sit. Quare omnino necessarium est, quoties ex causa certum sequuturum effectum præuidere cupimus, vt causam illam animo præsentem reuera existere sciamus: (si enim futura sit, neque necessariò generetur, incerta sunt

sunt

sunt omnia.) ac præterea causam esse illius effectus compertum habeamus.

Cæterum particularium contingentium, (de quibus solis auguratores consuluntur, vt partim antea declarauimus, partim postea ostendemus) causæ propriæ, (in quibus etiam solis indiuiduus effectus futurus præintelligi potest) nullo modo sic possunt cognosci, vt dictum est, quòd videlicet definitum & indiuiduum effectum procreaturæ sint; nisi quum sic iam dispositæ sunt, id est, quum iam parere suum illum effectum cœperunt, & cœpisse cognitæ sunt. At hæc notitia non est diuination, quemadmodum supra abundè docui, sed est rei iam præsentis acuta & sagax comprehensio, antequam ab aliis percipi potuerit. Diuination enim non est rerum iam nascentium, sed simpliciter futurarum præceptio. Quod nisi esset verum, cogere[mur] etiam Medicorum anticipatas cognitiones vocare diuinationes: quod planè est absurdum. Anteuertunt illi quidem rudes, propter obseruationem atq; vsum, in agnoscendis exiguis & vix dum natis affectionibus: at futuras simpliciter minimè vident. Patet ergo, particularia contingentia, propter quæ sola excogitata institutaque est omnis diuination, à nobis comprehendi nullo modo posse.

Porro non præcipi à nobis indiuiduum effectum verè futurum in causa sua, priusquam eum gignere cœperit, ex eo perfacilè intelligi potest, quod actu in ipsa non prius inest. Quod autem in alio cognoscitur, sic necessariò noscitur, vt in eo inest. Ergo quia potest ab ea progigni & non progigni; priusquam ad producendum eum dis-

posita parataq; sit, præuideri etiam in ea nequit. Etenim aliquem effectum in sua causa futurum videre, aliud non est, quàm causæ inclinationem, seu propensionem, seu dispositionem, seu præparationem (idem enim hæc significant in præsentem materia siue disputatione) ad effectus illius generationem, & nullius alius, cognoscere. At hoc quid aliud est, quàm causam aliquam agere iam vidisse, & quidem hoc vel illo modo, non quomodo libet? Non enim prius sic agit causa naturalis quælibet, quæ potest etiam non sic agere, quàm sic affecta & composita sit, nec prius sic affecta compositaq; est, quàm agere sic incipiat potius, quàm aliter. Tempore dico non prius sic agere posse, quàm sic affecta præparataq; sit, si præsertim longum interuenire putetur, non natura.

Et huius ratio manifesta est. Etenim causæ, quæ naturaliter agunt, (de voluntariis postea suo loco disseretur) sine intermissione aut cessatione hoc agunt, & eo modo agunt, ad quod & quomodo agendum idoneæ dispositæque sunt. Causa igitur naturalis, quæ diuersos & dissimiles effectus præstat, dissimiliter disposita est, ac pro diuersa dispositione diuersè agit. Si enim eodem semper modo esset ad actionem suam præparata, nunquam efficeret res dissimiles seu discrepantes vlla re alia, præterquam tempore. Iam quia causa naturalis nulla duas res indiuiduas efficit omnino similes, sed omnino parit differentes omnibus temporibus, & omnibus propè momentis, necessariò fatendum est, eas subinde aliter atque aliter disponi. Etenim si non mutarentur subinde earum dispositiones, non possent diuersos aut
etiam

etiam contrarios parere euentus. Ex his certè necessariò omnino conficitur, naturales causas non priùs hoc certo aliquo modo, non alio, agere, quàm illo modo dispositæ sint: nec priùs sic esse affectas & dispositas, quàm sic agât. Ex quo illud mox consequitur, in illa causa, quæ certam aliquã rem, non simpliciter agendo, sed certo modo agendo efficit, non præsentiri rem illam posse, antequàm causa eius sic disposita sit, & non aliter.

Quoniam ergo nihil futurum percipere possumus, cuius causam ignoramus finitimã & propriam; causæ autem singularium, quæ in hac turbulenta regione fiunt, ignotæ nobis sunt, priusquam agere seu producere ea cœperunt: apertiù est, futura nos talia non posse cognoscere priusquam nasci cœperint. Quippe tunc solùm indiuiduas effectus generât, quum sic dispositæ sunt. At quum sic dispositæ sunt, sic agunt. Non enim aliter agere possunt, quàm pro ea dispositione, quæ omni tempore ipsis adest. Quamobrem necessarium est, vt qui in causa aliqua videt, quem ea sit effectum particularem paritura, post annũ vnum, exempli gratia: is simul videat, quomodo illo tempore sit habitura, siue quæ illi dispositio tunc sit ad futura. Non poterit autem immutabilem ponere. Sic enim eundem semper effectum produceret, eodemq; semper modo præcisè ageret. At nunquam bis eodem prorsus modo causa naturalis vlla sic agit, vt similes gignat effectus, propterea quod omnibus momentis aliter quàm priùs determinatur ipsius actio ab intercurrentibus accidentibus infinitè variis. Frustra igitur speret aliquis se hinc futura præcepturum esse.

Exemplo fiet res illustrior. Nullus homo vnquam generauit duos liberos aut plures, ingenio, moribus, corpore, valetudine, sexu, fortuna, & aliis talibus reb⁹ omnino similes. In causa est, quòd nunquam similiter affectus generauit, sed aliis semper qualitatibus dispositus & circumscriptus generauit. Si quis ergo in homine aliquo, vt causa certi alicuius hominis, dicat se videre qualem sit post annum generaturus hominem, marè aut foeminam, industrium aut ignauum, hebeti aut acuto ingenio, breuis aut longæ vitæ; eum simul scire ac videre oportet, hominem illum tunc sic dispositum fore, vt non alium foetum gignere possit (nihil interest hîc nostra, siue patrem, siue matrem, siue materiam, siue aliud quid eorum mutari dicas, sine quibus non possit certus homo nasci.) An non autem existimabitur insanire, qui hoc sibi audeat polliceri? Atqui res aliter non habet in cuiuscunque indiuidui effectus præuisione. Quia enim omnibus momentis vel causæ, vel materiæ, vel mediis & instrumentis aliquid accidit, cuius gratia variari actionem necessarium sit, non potest indiuiduus effectus in vlla naturali causa præsentiri, antequam eum gignere cœperit.

Postquam igitur ex nostro modo cognoscendi docui, nos futura indiuidua in suis causis, vt etiam cognita nobis sint, non posse præcognoscere, consequens est, vt idem probemus ex ipsa causarum contemplatione. Sanè dubium non est, quin ita res singulæ à nobis intelligantur, quomodo actu sunt animo nostro præsentis. At non potest nobis vlla res verè futura per sui speciem præsens

præsens esse, nisi in causa sua conditam latentēq; intelligamus: exceptis forte illis rebus, quarum nos sumus autores & effectores, siue quarum effectio est in nostra potestate. Sicut enim ædificator futuræ domus speciem animo prius insculptâ impressamque habet, quàm ea existat: (ad hanc enim, vt ad certam regulam omnes suas actiones dirigit.) sic omnes artifices animos prius habent illarum rerum simulachris informatos, quas molliuntur. Sic necesse est, vt, quum agere aliquid volumus, mens nostra prius pingatur fine & mediis earundem rerum, quas cupimus & instituimus, vnde omnes consultationes nostræ ortum habent. Hæc nos, antequam fiât, animo futura præcipere posse, non inficior. Verùm in talibus diuinatione opus non est: sibi enim quisque hîc optimus est Vates, non alius. In quibus diuinatione opus est, sic nobis non sunt præsentia; imò speciē corū ideo præuidere maximè affectamus, quòd nec qualis ea futura sit, nec vtrum futura sit scire possumus.

Quòd si quorum nos euentum cogitatione præuenire possumus, ita oporteret euenire, vt nobis fingere libuisset, non posset tolli diuinatione. videremus enim in nobis ipsis, quomodo res quælibet euasura esset. Quod quum fieri nullo modo possit in illis, quæ in potestate nostra nō sunt, nec aliter præsens nobis res vlla fiat naturali potestate; necesse est vt futura eatenus tantùm præsentiamus, quatenus in suis causis abscondita recta-que latent. Sic enim fermè in suis causis veris & propriis euentus futuri conditi sunt, quo modo in seminibus fructus occultantur. Considerandū

igitur quæ sit causarum differentia, quoad in illis apparere futura possunt. Est autem discrimen eorum quadruplex. Nam quædam in agendo impediri non possunt; quædam impediri quidem possunt, attamen plerunque effectum suum perficiunt; quædam infrequenter ac rarò bis eodẽ prorsus modo agunt, siue duos effectus omnino similes efficiunt, ne dicam nunquam; quædam deniq; indifferentes & ambiguae sunt, vt non magis agere, quàm non agere paratae sint. Tot ergo modis futura præsentuntur.

Planiùs fortè res intelligetur, si dicamus causarum alias communes esse pluribus rebus, vt cœlum & elementa; alias proprias & propinquas siue particulares. Harum deinde constat alias semper sic esse determinatas ad agendum & ad certi & definiti effectus productionem, vt & agant necessariò, neq; impediri valeant; alias definitione seu determinatione ista carere hæctenus, quatenus impediri possunt. Et harum rursus alia non magis in vnã partem, quàm in cõtrariam ex sua natura inclinãt, hoc est, agere prorsus nequeunt, priusquam ab alia re accidente in alterutram partem impellantur, quas rationales & voluntarias nominare solemus: alia in vnã partem solam, hoc est, ad agendum disposita ac definita sunt, quas vocamus *naturales*. Harum rursus duplex est ratio siue consideratio. Etenim vel secundùm naturam communem duntaxat, siue participatam speciem causæ ponuntur, vt quum hominem dicimus generare hominẽ: vel secundùm proprietates indiuiduas, vt quum certum hominem, veluti Petrum, generare dicimus, nõ simpliciter hominem,

minem,

minem, sed cuiusdam modi hominem, uel marem
aut foeminam, pulchrum aut deformem, sanum
aut aegrum. Quando causa primo modo confide-
ratur, naturalis est ac dicitur: & si non impediatur,
effectum sibi specie similem plerumque gignit.

Quum autem secundo modo consideratur
causa naturalis, quoad uidelicet species est ad in-
diuiduum contracta, & quoad pro natura sua in-
diuidua agit, fortuita est, id est, fortuito siue casu
& temere omnes suos effectus indiuiduos pro-
ducit, quod ad ipsam quidem causam propinquam
attinet. Nec enim quum de fortuna seu casu hic
agimus, usque ad summam illam omnes causas or-
dinantem causam ascendimus: quod semel in hac
disputatione dictum sit. Est tamen inter eiusmodi
effectus aliquid discriminis. Quidam enim valde
insolentes sunt, & aliquando extra speciei naturam
excedunt, ut quum mula peperit leporem, qui in-
ter ostenta & monstra numeratur. Huc alia quo-
que pertinent, quae raro fiunt, & plurimum a con-
suetis & usitatis recesserunt. Alii communem spe-
ciei naturam seruant, ac solitis & saepe uisis quali-
tatibus ab aliis eiusdem speciei indiuiduis distin-
guuntur, quos per accidens hoc modo potius,
quam alio quodam, cecidisse, nullus sanae mentis
inficari poterit. Priores fortuitos nominari om-
nes concedunt: posteriores si cui aliter vocare
libet, quomodocunque appeller, casu & temere
hoc certo modo potius, quam aliter omnino e-
uadunt. Neque his obstat, quod horum aliquando,
illorum nunquam reddere causas possumus, post-
quam sunt facti. Multa namque per accidens fiunt,
quorum causas deinde probe intelligimus.

Quæ de causis adhuc dixi, non de generibus, sed de indiuiduis causis debent accipi. Genera enim & Species, quum sint νοήματα solum intellectus nostri, & per se nullibi subsistant ab indiuiduis separata, neque pati neque agere per se, siue extra indiuidua, possunt. Quippe omnis actio in natura fit, non à generalibus & separatis formis, sed ab indiuiduis, quæ in scholis Philosophorum *supposita*, siue *res per se subsistentes*, ab Aristotele *οὐδὲν* nuncupata sunt. Quare quæ de indiuiduorum euentuum causis dicuntur, de indiuiduis, non abstractis quibusdam causis seorsum subsistentibus, intelligi debent. Harum alias dicimus non impediri vnquam posse; alias posse. Et harum alias indifferentes esse; alias determinatas ad agendum, adeoque semper & absque intermissione aliqua id agere, ad quod agendum constitutæ ac destinatæ sunt, modò non præpediãtur. Hæ quia omnes sunt compositæ, ex natura quadam communi seu speciei, quæ in omnibus inest: & propriis qualitatibus, quibus inter se cuiuslibet speciei indiuidua discrepant: duobus etiam modis earum actio considerari potest ac debet: quatenus videlicet à communi natura oritur, & quatenus à propriis qualitatibus vel hoc vel alio modo disponitur.

Ad primas causas quod attinet, quas citra impedimētum opus suum peragere dixi, fateor nos in illis futura præuidere. Sed hanc futurorum anteceptionem, nullus diuinationem vocauit. quare de ea non est cur hîc plura differem. De indifferentibus & ambiguis, quas voluntarias vocant, postea planè & apertè disputabitur. De naturalibus

bus

bus nunc sermo habendus est, videndumq; an in illis futura nobis monstrentur. Has ostendi bifariam æstimari debere, quum longè alia sit earum ratio, quando secundum communem naturam seu participatam speciem aliquid agere dicuntur, quàm quum secundum particulares & indiuiduas proprietates suas efficere præstareq; aliquid ponuntur. Maximum omnino discrimen est inter has duas orationes, Homo, quatenus homo est, generat hominem: & , Homo quoad homo est, generat hunc hominem, marem, docilem, valerudinarium, iracundum, virtutis osorem. Prior plerunq; vera est. Nullus enim dubitat, quin homo hominem, equus equum, lepus lepusculos potiùs pariat, quàm vulpes aut canes. Posterior omnino falsa est. Quòd enim aliquis nascitur mas aut fœmina, pulcher aut deformis, sanus aut æger, &c. ab accidentibus, quæ homini generanti & materiæ acciderunt, prouenit.

Igitur si quis naturalium causarum vires, quas à participata specie obtinent, separatim expendat, præsentire in illis effectum, ad quem progignendum factæ sunt, plerunque poterit. Nam quum ociosæ tales causæ nunquam sint, sed demandatum sibi à Deo manus, nisi quum fortior causa obstat, strenuè fideliterq; exequantur; hoc plerunque suo loco & tempore efficiunt, quod efficere iussæ sunt. Prædici autem hic effectus id eo potest, quia definitus est ac certus, & per se à causa generatur, non per accidens. Qui ergo hominem, vt est natura quædam ab omnibus indiuiduis participata, generaturum dicit homines, semper verum dicet. Qui hominem, vt in multis

ac certis indiuiduis, non autem omnibus inest, generaturum prædicit homines, plerumq; verum prædixerit. Verùm hæc prædictio tantum habet admirationis, quantum habet artis. Artis autem tantum habet, vt nullus tam reperiatur rudis, qui non sic vaticinantem suauiter sit risurus. Quòd si verò quis certum aliquem hominem generaturum hominem dicat, nec addat qualem sit generaturus; licèt diuinet iam, attamen adhuc tolerari poterit, si non progrediatur longiùs.

At qui huc vsq; processit, vt profiteri audeat, quot, quales, quo tempore certus aliquis homo sit liberos generaturus, is iam tolerabilis amplius non est. Non enim ea prædicit, quæ ab homine, quoad homo solùm est, prodeunt, sed quæ ab eodem, quoad certis & propriis qualitatibus ab aliis omnibus hominibus distinctus est, proficiscuntur. Nam vt in re naturali siue causa per se tertio modo subsistente, duo insunt, natura speciei, & natura indiuidui: sic est necesse, vt in quolibet effectu duo quædam insint, quorum alterum à cõmuni natura deriuatum sit, alterum ab indiuidua natura promanauerit. Etenim quum quicquid oritur ac fit, qualecunq; tandem sit, causam in naturã habeat; neque duo diuersi effectus ab vnica potuerint causa per se effici: necessarium est, vt quilibet homo ab alia causa factus sit homo, & ab alia factus sit mas aut fœmina, laudabili aut turpi forma, robusto aut imbecilli corpore, & quæ huius generis alia cuique insunt. Nõ enim idem sunt homo, & masculus, pulcher, sanus: nec inseparabiliter ista cohærent, quum non omnes homines sint tales. Itaque non quemadmodum
homi-

hominis nati causa est homo, quoad homo est: sic etiam causa est sanitatis aut morbi, vitæ productioris aut breuioris, ingenii acuti aut stupidi, aliarumque similibus qualitatibus. Etenim si homo, ut est per se causa hominis, ita etiam horum esset per se causa, omnes homines tales nascerentur.

Eadem igitur causa, quatenus specie participat, naturalis, statuta, firma, definita; est ac dicitur, eodemque semper modo pro insita sibi à Deo potestate agens, eundem ac certum definitumque semper effectum, si modò non impediatur, producit: at quatenus indiuidua est, ac secundum qualitates ei subinde accidentales agit, incerta, interminata, denique fortuita causa est, diuersaque semper agens, nunquam effectus ex omni parte similes procreat. Multum proinde refert, utro modo causa dicatur futuri alicuius effectus causa. Quatenus enim stabilis ac certa est, eundem semper effectum præstat; quatenus autem occasione qualibet mutatur ac variatur, inconstantes, varios, incertosque progenerat effectus. Quum autem fieri non possit, ut vlla causa naturalis in hoc corruptibili mundo sic agat, ut non utroque modo agat: necessarium quoque est, ut effectus omnis definitus pariter sit ac indefinitus, quatenus à causa tunc definita tum indefinita est futurus. At verò, quatenus causa quælibet nature communis est participans, hætenus etiam est definita & certa: quatenus verò eadem variè afficitur accidentibus incredibiliter variè intercurrentibus, hætenus etiam interminata est & indefinita, priusquam certam modo agat, vel ad agendum disposita sit.

Quamobrem non illa tantum à fortuna & casu, (quæ duo nos in præsentia non distinguimus) siue à fortuitis causis fiunt, quæ vulgò à fortuna facta dicuntur; sed quæcunque hîc particulatim eueniunt, quatenus ita eueniunt, fortuitam causam habent. Nam quæcunque sic cadunt, vt vel omnino non cadere, vel aliter cadere potuerint, ea temere seu casu sic ceciderunt, non aliter euaferunt. Quod enim aut non potuit non euenire, aut non aliter euenire, causam habuit determinatam, hoc est, non fortuitam. Quippe talis est cuiuslibet euentus propria & finitima causa, qualis ipse est euentus, qualis qualis causa generalis sit siue communis. Nisi enim sic res haberet, confiteri omnino cogeremur, omnia hîc necessariò sic euadere vt euadunt, quum generalis & remota omnium causa cælum sit, cuius actio constans est & immutabilis. At constat contingenter nasci indiuiduas res omnes, quæ in sublunari mundo hoc fiunt. Ergo quæ hîc sigillatim nascuntur & intereunt, partim definita sunt ac naturalia, partim indefinita & fortuita, propterea quòd eorum causæ partim sunt terminatæ, partim interminatæ.

Istis sic explanatis, facillimum erit vnicuique cognoscere, quænam & qualia ex naturalium causarum notitia præsentire prædicereque possimus. Quippe quum naturam cuiusq; causæ specificam intuemur, illum futurum effectum in ea, si quidem in actione sua non impediatur, præuidemus, quem pro sua natura illa efficere solet ac debet, nempe specie similem. Sic in seminibus plantas cernimus, quas singula generare solita sunt.

sunt. Sic in pyris pyra, non mala; in mespilis mespila, non nuces præcognoscimus: sic ex vitibus uvas, non rosas; ex lepore lepusculos, non canes, expectamus: & in re qualibet illud futurum præcipimus definito tēpore, quod progignere quælibet potest, & quo tempore potest. Causam huius rei hanc esse modò diximus, quòd causæ naturales omnes, quatenus specie participant, & secundum naturam hanc speciei agunt, definite semper agunt, certumque ac definitum semper effectum creant, qui eiusdem sit atque ipsa causa naturæ, nunquam alius, nisi quum monstruosus & portentosus nascitur partus. Quoniam ergo rarò multorum vnius speciei individuorum actio impeditur, minimè mirum est, si rarò mentiatur, qui talia prædicit futura, præsertim in illis rebus, quæ externis obiectis non mouentur, vt animalia.

Secus habet res, quum in iisdem causis effectus præcognoscere affectamus, quos casu & fortuitò efficiunt, id est, quos pro infinita & incredibile varietate accidentium temerè concurrētium infinite varios producant. Sanè fortuna (à qua in tota præsentē disceptatione casum non distinguimus,) seu fortuita causa, si nostra consulatur intelligentia, nihil est aliud, quàm naturalis causa, cui quippiam fortè accidit, cuius gratia effectum talem produxit, quem, si illud ei non accidisset, talem non produxisset. Dubitari ergo non potest, quin omnis causa naturalis cum individuis suis effectibus comparata, fortuita sit vocanda. Nunquam enim duos profert similes, vt nostris cernimus oculis & palpamus manibus, pro-

pterea quòd nunquam similiter postea agit, vè priùs egit. Cæterùm infinita ista actionum varietas, siue inexplicabilis ista effectuum diuersitas hinc oritur, quòd singulis propè momentis aliter afficiuntur ab accidentibus temerè superuenientibus. Nisi enim semper vel ipsis, vel materiæ, vel aliis, quibus sine nò potest effectus certus confici, quippiam accideret, quod actiones earù sic limitat & circumscribit; non talè potiùs rem, quàm aliter effectam producerent: quinimò similibus omnes suos effectus præstarent.

Impossibile igitur est, vt in vlla causa illos effectus præsentiamus futuros, quos ratione interuenientium fortuitò accidentium incredibiliter varios & dispares proferunt. Etenim quæ sic eueniunt, per accidens & temerè sic euadunt. Atqui naturales causæ omnes perficiunt omnes effectus indiuiduos, quoad tales sunt, (non quoad specie vnà participant) hoc quo dictum est modo. Nisi enim semper mutarentur propter mutata accidentia aliqua, omnes suos effectus non modò iuxta communem naturam redderèt similes; verùm etiam iuxta indiuiduas qualitates. Quod idèo nunquam fit, quoniam quemadmodum à natura sunt destinatæ ad propagationem speciei; sic à fortuna seu casu (quod citra prouidentia diuinæ inuariabiliter res ipsas etiam maximè fortuitas & varias ordinantis præiudicium dictum sit) componuntur ad perfectionem indiuiduæ naturæ. Porrò non posse ab homine aliquid eorù præsciri, quæ per accidens & cæco casu futura sunt, priusquam scilicet generationis ortusve sui initium acceperunt, ne ipsi quidem Vates nostri, si

non

non fallor, inficiari audebunt. pessimè tamè sibi, vt alibi, ita hïc quoque constant, dum in solis fortuitis causis futurorum præscientiam inscitè scrutantur. id quod ex eo accidisse ipsis cõperio, quòd illa duntaxat fortuitò nasci putant, quæ omnino præter naturæ ordinem cadunt, insolitisq; monstris ac prodigiis similia sunt.

Equidem si sciuisent euentus omnes particulares mundi huius inferioris casu sic cadere, vt cadunt, nunquam sperare ausi fuissent, se causas talium euentuum futurorum intelligere, aut in cognitis aliquibus causis fortuitos euentus animo futuros præcipere. Sciuisent autem illud, si cogitauissent fortuitum esse, quicquid per accidens euenit. causamq; in natura definitam, quæ nobis intelligibilis sit, nullam habet. Sanè temerè casuque aliquid fieri idem significat, quod per accidens fieri significat, vt in præsentia de rerum ortu nos loquimur. Qui illa tantùm fortuita appellanda censet, quæ rarò fiunt, quibusque non assueuimus perinde, vt indiuiduorum generationi, de nomine litigat, non de re ipsa. (quanquam rarior sit fortasse duorum indiuiduorum in vna specie similitudo, quàm vllius monstri generatio.) Parum enim interest, siue per accidens talia sic eua- dere dicas, siue fortuitò nasci statuas: propterea quòd quæcunque fortunâ & casu eueniant, per accidens quoque eueniunt. Sunt enim fortuna & casus causæ per accidens, vt & ipsa res docet, & Aristoteles demonstrat. Quòd si casum & fortunâ non discriminemus (id quod in re proposita facere omnibus licet) & paulò latius sumamus, idè notabunt ambæ orationes. Aliàs per accidens

nata dicimus, quorum causas non omnino tunc nescimus quum facta sunt, aut frequentius saltem fiunt: fortuita autem nominamus, quorum causa minus sunt notæ, quæque minus sæpe accidunt.

Siue igitur per accidens fieri, siue fortuito nasci putemus, quæ sunt à causis naturalibus, quod indiuiduè agunt, & indiuiduos effectus pariunt, hoc semper manet verum, in causis talibus nos futura non antè cognoscere posse, quàm dispositæ instructæq; iam sint ad agendum certo & definito aliquo modo. Quod vt perspiciatur melius, exemplo hominis declarabo. Si homo quoad binos habet oculos, pedes, manus, aures: quoad erecto est corpore, nullaq; parte caret, quæ ad corporis humani integritatem pertinent: (vnde *integrales* appellatæ fuerunt) denique quoad aliis huiusmodi constantibus qualitatibus animi & corporis præditus est: omnes suos liberos generaret, nec alia quæpiam res vlla ei accideret, à qua mutari posset ipsius actio: non minus similes inter se forent omnes filii suo patri secundum indiuiduam naturam, quàm sunt similes, imò iidem, secundum communem naturam seu participatam speciem. Quod quum minimè fiat, necesse est, vt aliquid ei, quotiens generat, accidere confiteamur, quod prius ei non adfuerit, quodque eum aliter ad agendum instruat, quàm antea instructus egisset. Hæc autem quæ semper aliter componunt & dirigunt ipsius actionem, variari subinde constat.

Quoniam igitur constans primùm ratio, deinde eruditorum omnium hominum cōsensus docet;

cet;

cet, fieri non posse, vt ratione vique naturali præuideamus quid res aliqua per accidens sit effectura, propterea quòd impossibile est scire, quæ & qualia cuique rei tempore quolibet euentura sint; impossibile similiter est, ex naturalis causæ notitia prælagire, quales effectus quouis tempore sit procreatura. Tantum certè abest, vt hæc futura præintelligere possimus, vt plerunque tunc etiam causas eorû ignoremus, quum facta sunt. Quis, quæso, causam percepit tantæ dissimilitudinis ingeniorum, tantæ diuersitatis morum, tantæque varietatis lineamentorum corporis, aliarumque rerum talium? In temperamêto aliquorum causæ quærentur, in quo tamen solo non insunt. Et, si inesse concederentur, nec intelligibiles tamen & explicabiles nobis forent, propter infinitos & incomprehensibiles eorum gradus, iuxta quos nihilominus omnia variari conueniret. A maiore calore mares: à minore fœminas fingi putamus. At quis non videt à calidissimis fœminas, & à frigidissimis masculos generari? Ne tum quidem explorati certiq; aliquid habemus, quum in vtero formatus elaboratusq; est infans; quomodo ergo ex parentum cognitione talia multò antè prædiuinaremus?

Ponamus autem, exempli gratia, causam marium generationis probè & præcisè teneri ac sciri. Hanc vel nouit Vates nunc adesse homini, cui post annum infantem masculum promittit; vel nescit. Si adsit, vel permansuram eandem intelligit vsque ad illud tempus; vel idem hoc ignorat. Si non est certus, nihil prænunciare poterit. Si cõpertum habet eò vsq; permansuram, scire ipsum

præterea hoc etiam opus est, impediri ab alio quodam accidente queat, an non queat. Si potest ab intercidente quopiam accidente impediri, aliterque disponi, nihil nouit. Etenim infinita sunt, quæ rei cui libet accidere possunt. Si verò & permanens est, & viribus eius obistere alia res nulla potest; non agit fortuito, sed necessario marem generabit. Ille ergo homo fœminam generare non poterit, qualecunque tunc habiturus sit semen & sanguinem, & quomodocunq; affecta mater cogitur. Generabit idem omnes liberos ingenio, corpore, moribus aliisque talibus omnino similes: quod non modò cum ratione pugnat, sed cum perpetua etiam experientia nostra. Quis enim audeat dicere se duos vnquam sic similes vidisse ab iisdem parentibus natos? Ne gemelli quidem non inter se differunt vel ob eam causam, quòd non ex eadem præcisè materia nati sunt.

Cæterum quia ex præsentibus tunc causa præsentire non potuit, quæ postea sequutura fuerat, (de ea quæ iam agit, supra disputauimus) an ex absente possit, considerandum. At quàm hoc sit absurdum, per se patet. non enim ex causa sibi præsentibus prælagiret. Sed ostendi supra, nos vi naturali atque insita non posse futurum aliquid præsentire, nisi in causa ipsius præuideamus. Quòd si ex præsentibus aliqua re intelligere putetur tale quid aduenturum homini tunc, quum generabit, non minus erit absurdum & falsum. Etenim in præsentibus videre, quæ rebus quibuslibet accidere certo tempore possint, simpliciter est impossibile nobis. Atqui certo certius est, marem & fœminam, cæterasque tales indiuiduorum qualitates ideo nasci,

nasci,

nasci, quia homini generati vel materię tale quid accidit, cuius gratia sic nascitur infans, & non aliter factus. Quæ res ideo non indiget longiore probatione, quia sensibus vsurpatur. Quis enim nesciat aliter nos agere sanos quàm ægros? calidos quàm frigidos? saturos quàm ieiunos? vigilantes quàm dormientes? iratos quàm placidos? hilares quàm tristes? denique modo quouis mutatos quàm non mutatos?

Ergo demonstratum abundè nunc est, fieri nõ posse, vt in causa naturali effectus indiuiduus, quoad est talis, præsentiat, propterea quòd per accidens eos molitur & efficit tales. Siue autem accidens illud præsens causæ tunc ponatur, quum ex ea diuinat aliquis, siue absens statuatur, semper impossibilis est futurorum prædictio. Præsentia, quæq; inchoata iam percipiuntur, ante alios cognosci ab artificibus & peritis minimè nego, vt ex superioribus liquet. Quòd si ne tum quidè possunt particulares isti euentus prænosci, quum causæ eorum propriæ & veræ conceduntur esse notæ & perspectæ: quomodo quæso is præintelliget huiusmodi ventura, qui à quibus & qualibus ea causis perfecta fuerint, ne tum quidem compertum exploratumq; habet, quum facta esse videt? Utinam verò nõ esset nimis verum quod supra dixi, nempe propè omnium, aut saltem plurimorum causas à nobis vel penitus ignorari, vel admodum obscure confuseq; intelligi: vitæ diurnæ & breuis, proceritatis breuitatisq; corporis, ingenii acuti & obtusi, animi iracundi & placidi, aliorumq; talium causas aliquas temere nos putamus, at in genere solùm, non distinctè & propriè.

Summa eorum, quæ adhuc diximus, hæc est: Euentus particulares futuri ab homine ac mentibus aliis creatis, absq; instinctu diuino prænosci aliter nequeunt, quàm vt in suis causis conditi sunt. Causarum verò aliæ sunt duntaxat in potentia ad agendum, id est, sunt indifferentes, atque non magis in vnam, quàm in contrariam partem propendent: de quibus mox plura dicemus. Aliæ actum habent, & ad agendum sic dispositæ factæq; sunt, vt perpetuò id agant, quod agere iussæ sunt. Suo hæc tempore, si nihil eas remoretur ac impediat, effectus suos reddunt, vt quæ ad agendum sint destinatæ, non ambigæ ac liberæ, sicut priores. Hæc vel comparantur cum effectu definito & certo, quem per se efficiunt: vel cum incerto & interminato conferuntur, quem ideo talem præstant, quia ipsis accidit quippiam, quod actionem sic vel sic moderatur ac dirigit. Priore modo consideratæ, naturales vocantur, effectumque suum plerunque conficiunt definitum ac certum, qui ob eam causam præuideri in ipsis potest. Posteriore modo æstimatæ, fortuitæ vocantur, effectusque infinite varios, pro infinita temerè concurrentium accidētium diuersitate progignunt; ideoque præsentiri in illis nequeunt.

Demonstratum illud præterea fuit, causas naturales non agere, siue nõ perficere suos effectus particulares & indiuiduos, quorum prænotatione auguratores promittere solent, altero solùm modo, sed vtroque simul. Etenim natura communis seu specifica, quæ in singulis indiuiduis inest, per se separatim non subsistit, sed in quolibet indiuiduo peculiari quodam modo contracta existit.

Quare

Quare seorsum quoque nihil agit, sed in indiuiduis actionem suam exerit: quæ quum sint infinite varia & diuersa, infinite varios & differentes gignit effectus, dum in quolibet sic agit, vt ad agendum instructa & composita est. Parit ergo effectum vnum & certum, quatenus vna ipsa est in omnibus sui semper similis & immutabilis: pariter etiam infinite discrepantes, quatenus à seipsa infinite differt, ratione proprietatum, quæ singulis indiuiduis vel per se insunt, vel temere casuque accidunt. Permutari autem ipsarum actiones propter interuenientia accidentia, quæ singulis momentis ferè ipsis aut materiæ accidunt, tam est notum vel ex ipsis rebus nascentibus, vt, qui de eo dubitet, bruto magis brutus censeri debeat.

Proinde quum quæ in hoc orbe nostro fiunt, & de quibus diuinitio est, vel à naturalibus causis fiant, vel à voluntariis; & satis planè sit ostensum, in naturalibus futura prævideri non posse: consequens est, vt an in iis quæ voluntaria sunt, eadè præintelligi queant, consideremus. Sed has ipsa etiam fortuna esse volubiliores ac mutabiliores, vix quisquam est qui nesciat. Quotusquisque enim est, qui de seipso affirmare aliquid sibi aut aliis promittere certò audeat in posterum? Per se voluntas interminata est ad agendum aliquid vel contrarium. Quo fit, vt quantisper manet interminata, potentiâ solùm agere dicatur, non actu. Nam si tunc ageret, quum nondum est ad alterâ partem impulsâ; eodem studio & conatu ad contrarios moueretur fines, quum ex sua natura æquè se habeat ad vtrumque. Definiri ergo eam

obiecto aliquo, vt sine, oportet, priusquam agat. Ad contraria enim simul tēdere nullo pacto potest: quod certē fieri oporteret, si quidem agere poneretur absque certa determinatione, per quā ad vnā partem magis flecti intelligatur, quā ad aliam quamlibet aut contrariam.

Certē causa prima motus in voluntate obiectum est, sub ratione boni. Hoc enim apprehenso, mouetur ad id persequendum. Quocirca quā a qualibus obiectis seu bonis flectenda in partem aliquam voluntas sit, scire nemo, nisi Deus, possit, antequam agere iam cœperit, & agere cœpisse cognita sit: meritissimò dicimus fieri non posse, vt ex voluntatis inspectione, consideratione, ac notitia, de effectibus coniecturā capiamus, quos factura est. Tanta namq; est, tam multiplex, tam diuersa iudiciorum ratio, tam instabilis, incerta & lubrica appetituum varietas, vt nullus mortaliū de seipso, nedum de aliis, affirmare valeat, quid post horam sit expetiturus. Quinetiam persuasum nobis est omnibus, nostras cogitationes tacitas nemini notas esse post Deum, nisi cui nos eas patere voluerimus. Quamobrem certum est paucos tā fuisse ineptos, qui hac in parte aliquid sibi tribuere auderent, aut ex hominum consiliis augurari se posse existimarent.

Nec minus incerta est & impossibilis futurorū prælagitio, quæ in communibus siue generalibus & longissimè distitis rebus siue causis nititur: quarum hæc est natura, vt particulares effectus nullos per se absque secundarum & priorum causarum adminiculo procreare perficereq; possint. Vt enim indifferens causa, nempe voluntas
nostra,

nostra, similiter affecta parataque est ad contrarios effectus, antequam ad alterutram partem impulsa determinataque sit: ita etiam communis causa, prout cum diuersis particularibus adeoque contrariis causis coniungitur, diuersa & contraria efficit eodem tempore eademque efficientia: per se autem & sola producere individuum effectum potest nullum, quem magnopere præscire desiderent, quicumque non sunt planè rudes. Incubantis gallinæ calor nullos creabit pullos, si non subiiciantur ei oua fœcunda. Et qualia ei subieceris, tales excludet fotu suo pullos. Eodem enim incubatu eodemve calore, pullastros, anates, pavones, anseres, columbos, adeoque serpentes generabit, si modò talia ei supponere oua placuerit, quum sine illis nihil tale efficiat.

Quemadmodum autem forus caloris gallinæ simul eodemque tempore diuersissimas aues generat, si oua supposita sint diuersa, sine illis auem nullam præstat: sic sol & causæ cœlestes omnes, utpote communes & generales, cum homine, equo, cane, mure, herbæ alicuius semine, hominē progenerat, equum, canem, murem, herbam: absque illis nihil tale in perpetuum effecerit. Nam & murium, & ranarum, & aliarum ex putredine genitarum, rerum semen, vel semini proportione aliquid respondens, in putri materia inesse oportet, si ex ea aliquid nasci posse ponamus. Non enim ex qualibet, sed ex certo modo præparata materia talia fiunt. Quòd si sol, aut causa communis alia quævis sibi soli ad res tales generandas sufficeret, ex qualibet materia res eandē generaret. Deinde impossibile foret ei res genere diuersas

adeoque contrarias conficere. Impossibile namque est, ut causa vna, quæ sibi soli sufficit, & aliis ad agendum non eget, res diuersas simul moliatur ac præstet. At fortuitum est, quod cum communi causa quouis tempore, tales vel tales potius causæ secundæ concurrunt, quàm aliæ.

Quisquis ista expendit ac intelligit, & nihilominus Astrologicæ diuinationi fidem adhibet: sic est prauis opinionibus imbutus, ut veritati locum in animo suo nullum reliquerit. Nam si, ut probaui, ex proximæ veræque causæ notitia conicere non possumus, qualibus qualitatibus futurus effectus sit insigniendus, propterea quòd accidentia & circumstantiæ, quibus ad certum modum agendi componitur, tam sunt variæ, multiplices, interminatæ ac mutabiles, ut arte ac ratione comprehendi nulla possint: quid, quæso te, sperare audebimus de remotis, æquiuocis, impropriis, communibus & generalibus causis, quæ sine finitimis & propriis singularum rerum nascendarum causis in hoc orbe nostro nihil sigillatim producant? Non plus certè præstant cælestes causæ sublunaribus rebus, ut suos effectus sic potius, quàm aliter dispositos generent: quàm glorientis gallinæ calor substratis ouis tribuit, ut anatem potius quàm aliam auem ex se emittant, vel in se contineant. Nec magis potest absq; secundis causis cælum aliquid huiusmodi parere, quàm gallinæ calor absq; ouis possit ex laxis anates aut gallinaceos pullos excludere.

Indiuiduorum distinctio non sequitur generalem causam, quæ solummodo velut actû præbet propriis causis, impeditasque expedit, ut pro
sua

sua natura singulæ agere possint; sed naturam & proprietatem secundarum causarum consequitur. Hinc fit primùm, vt homo non soli, sed homini similis sit; & equus non lunæ, sed equo generanti; & sic res singulæ non cælo, sed propriis suis propinquisque causis similes euadant. Deinde hoc etiam, quòd quæ definitas habent causas, definitè fiunt; quæ fortuitas seu contingentes, casu & fortuitò nascuntur. Itaque non ex longinqua communisque causæ natura, sed ex propriæ & proximæ qualitate ac viribus cogimur de futuro effectu coniecere, qualis videatur futurus. Sane inter cælestes causas, & has secundas, sine quibus illæ nihil perficiunt, incomprehensibiliter varia possunt intercidere, à quibus mirabiliter vniformis cælestium actio variatur. Præterea quum sic coniungi ei rem quanque sit necesse, quomodo quæque est: frustra in communis causæ natura quæritur effectus, cuius propria causa ignoratur.

Vt semel finiam, vel cõcurrit cum causa communi causa secunda vniformis, stata & constans seu definita, vt homo; vel interminata, mutabilis & fortuita, vt hic homo; talibus eo tempore qualitatibus præditus. Si prior sciatur cum cæli potestate coniungenda; præuidebitur effectus certus & definitus, vt homo, quoad homo est. Si altera sciatur coniungenda (quod ipsum quoque sciri non potest priusquam sit factum) non plus sciemus, quod ad prænotationem indiuiduarum qualitatum attinet, quam ex ipsius solius cognitione doceamur. Quantum autem doceamur, explicatum iam fuit. Cicero ne in Deum quidem

cadere videri ait, vt sciat, quid casu & temerè futurum sit. Etiam alii quidam, inter quos Porphyrius fuit, Diis quibusdam suis incognita talia esse asseruerunt. Idem indicare illi quoque voluerunt, qui Fortunam vocant *insanam, cecam, bruiam, volubilem, fluxam, volucrem, instabilem, inconstantem, variam, mutabilem, saxoq; instare volubili & rotundo*. Summa est, fieri nullo modo posse, vt in causis, quæ fortuitò sic potiùs, quàm aliter agunt, futura præcipiamus. Proinde quum quæ hîc fiunt, omnia à talibus causis fiant, Diuinationo nulla est.

Superest nunc, vt ex illarum rerum natura, quas per Diuinationem stulti mortales tantopere cognoscere auent, idem tertio monstramus. Principium autem demonstrationis nostræ hoc ponemus, quod non Aristoteli tantum, verum etiam omnibus omnium seculorum doctis & intelligentibus viris confessum concessumq; fuit, videlicet nec scientiam, nec artem, nec rationem, nec methodum, nec *τεωρία* vllam (sicut loquitur Aristoteles) illarum esse rerum, quæ per accidens, siue casu, siue fortuitò, siue temerè eueniunt. Parum refert quibus verbis res efferatur, dummodo rectè cognoscatur. Intelligere autem, quod dixi, oportet, si quidem ista vt futura contemplari aliquis velit. Sic enim methodo aut ratione doceri nulla possunt. Si considerètur quatenus sunt, nihil prohibet arte ac ratione ea tractari. Etenim per accidens natus est aliquis æger hoc vel illo morbo, cuius curandi rationem medicina tradit: quæ ratio de aliis quoq; accipi debet. Quare tunc solum verum est, quod dictum est, quando vt futura consideran-

fidcran-

siderantur: id quod ex lib. De interpret. & Metaphys. perspicuè patet.

Haic sententiæ vel pronunciatæ alteram nunc subiiciamus summionem nec minùs verã, nec minùs apertam, modò rem sine perturbatione animi perpendere libeat. Ea est, in solis illis rebus & euentis opus esse diuinatione, deq; solis illis interrogari vaticinatores, quæ per accidens sic cadunt, quatenus videlicet per accidens cadunt. Hinc sequitur, eorum circa quæ versatur Diuinatione, arte ac ratione præintelligi futurũ nihil posse, adeoq; artem nullam esse diuinandi. Verũm ne quid relinquatur obscurum & ambiguum, explanabo hæc paulò diligentius. Dico *diuinationem* duntaxat versari circa ea, quæ per accidens cadunt, quatenus per accidens cadunt: quoniam in qualibet re per se ipsam subsistẽte, quas τὸ δὲ τίς & per se tertio modo esse dicit Aristoteles, duo insunt, natura communis, & quæ hæc semper aut plerunque consequuntur: & natura propria seu indiuidua, & quæcunque hanc vnã cum materia comitantur. Homo perfectus quilibet, exempli gratia, sensum habet, rationem, corpus erectum, binis pedibus, auribus, manibus, & alia quæ ad substantiam animæ corporisque integritatem pertinent. Præter hæc alia multa insunt in hominibus quibuslibet: sed ita insunt, vt in nullis duobus sint similia & paria. Differunt enim inter se homines formã, valetudine, proceritate, industriã, ingenio, moribus, vitæ longitudine, & huiusmodi aliis innumerabilibus, quæ nunquam, vt dixi, in duobus omnia inueniuntur similia.

Quæ hoc modo vagè & dispersè rebus quibuslibet insunt, per accidens inesse dicuntur: propterea quòd sine talibus accidentibus res omnes hoc esse possunt, quod sunt. Non enim nō homo est, qui non simul formosissimus est: sed speciei & pulchritudinis gradus cūm plures sint, quàm dinumerare quisquam possit, satis est cuique aliquem ex his obtinuisse: imò si nullum omnino ex his sortitus ponatur, sed prorsus sit turpissimus, non tamen ideo non erit homo. Eadem præcisè ratio est omnium talium, siue ad animum siue ad corpus, siue ad vtrunque spectent. Tot reperiuntur in cunctis gradus, quot neque metiri aliquis neque notare potest. Homo ergo, quatenus homo, vnius modi est in omnibus hominibus, & nihil dissimile habet. Quoad autem indiuiduus homo est, nulli est similis, sed à cunctis aliis differt. Quin à seipso subinde fit alius atque alius. Qui enim pulcher nuper erat, sanus, robustus: nunc deformis, æger, imbecillus est redditus: & qui præclarè sapiebat, nunc fortè delirat. Res tales, quibus scilicet simile quiddam accidit, à Philosophis Græcis ὀντα, siue *entia*, per accidens nominarunt, & per accidens vnum quid esse dixerunt.

Facilè nunc, puto, intelligitur quod dixi. Homo enim quilibet, quoad homo est, hac ratione ab homine per se generatus est. Quatenus autem forma liberali aut illiberali, corpore delicato aut rustico natus est, hætenus ab homine per se generatus non est, sed per accidens ab eodem procreatus est: hoc est, causa vnica in natura extat nulla, quæ per se hominem progignat & pulchrū
vel

vel deformem, album vel nigrum, industrium vel ignauum: Quare per accidens sic euasisse homo dicitur. Et quod de homine, exempli gratia, dictum est, de omnibus aliis intelligi rebus debet. Nam in re quaque subsistente nascitura necesse est aliquid esse, per quod ad certam censeatur speciem rerum, & per quod hoc sit quod esse dicitur: & aliqua deinde habeat, per quæ ab aliis eiusdem speciei subsistentibus rebus discrepet. Hæc quia nunquam similia & similiter duobus indiuiduis insunt: & incomprehensibiliter variari solent: denique siue adsint siue absint, res ipsa semper eadem permanet: merito accidentia temerè incidentia vocantur. Res ergo talibus accidentibus circumscripta, id est, *Ens*, siue *res* per accidens nominatur. Quatenus talibus vallata & quasi vestita potiùs quælibet nascitur, quàm aliis vel aliter, hactenus per accidens sic cecidisse perhibetur à Philosophis.

Res talis per accidens vna siue vnum dicitur, quia nimirum ei accidit, vt tale quippiam ipsi veniretur, non aliud simile vel diuersum, quando nascebatur. Ob eam causam infinitè variæ sunt: & quia tam sunt variæ & incertæ, fortuitæ sunt & dicuntur. Propriam namque fortunæ est immensa illa varietas & inconstantia. Neque aliud est, per accidens sic euenire, quàm fortuitò casuque sic cadere. Iam quum sine causa quicquid oritur, qualecunq; sit, non fiat, necessarium vti que est, vt quemadmodum res nata per se non est vna, sed per accidens tantùm: ita à causa aliqua effecta sit, quæ ipsa quoque sit per accidens vna, hoc est, cui casu hoc acciderit, cuius causa talibus apparuit

E

effectus qualitatibus insignitus & dispositus, quod etiam aliter affectus nasci potuisset. Quotiescunque enim effectus aliquis non est vnus siue vnum, nisi per accidens, oportet omnino causam quoque, à qua procreatus est, non fuisse per se vnā, sed per accidens solum. Quocirca non possunt incerta ista & incredibiliter diuersa, vt futura præcognosci arte, aut ratione, aut potestate mentis creatæ, quæ duntaxat in præcedentibus consequentia videt.

Causa minimè est obscura, & iam sæpius fuit explicata. Repetam eandem nihilominus nunc quoque, vt clarior fiat. Quæ per accidens dicuntur talia euasisse, poterunt vel omnino non accidere, vel infinite aliter accidere, priusquam effectrici causæ illa accidissent, propter quæ certus aliquis effectus consecutus est. Nulla enim nobis ratio nota extat, seu καὶ ὅλα nullum cognitum nobis est, in quod, vt in causam referri talia possint. Quare quum incertum sit, quibus causa quæque accidentibus determinanda sit, siue quæ ipsi accidere quouis tempore possint, incertum quoque est, qualem sit effectum procreatura. Equidem natura semper ad vnum contendit, nec vlla causa naturalis per se efficit plures & discrepantes effectus. Quare si quid tale sit, necessariò confitendum nobis est, id per accidens seu temerè & cæco quodam casu fieri. Tantum ergo abest, vt incerta hæc certa ratione præuideamus futura, vt ne tum quidem causas eorum reddere plerumque possimus, quum facta iam sunt: quantumuis sit faciliù, iam facta ad causam aliquam reuocare, quàm futurorum causas cognoscere.

Porro

Porro Diuinationem circa illa solum occupari, quæ per accidens eueniunt, quatenus nimirum sic cadunt: neque aliorum ab hominibus præsentationem expetitam fuisse, hodieque expeti, nimis verum est ac manifestum. Qui, quæ supra de hac re ex Græcis Latinisq; autoribus protulimus, expendit, aut rem ipsam non prorsus oscitanter examinauit; non expectabit hoc loco demonstrationem vberiore. Sanè nullus hariolū sciscitatur, vtrum homo expeditus generaturus hominem sit, an canem: sed hoc percunctabitur, vtrum omnino sit generaturus: & si de hoc constet, quot liberos & quales sit generaturus interrogabit, mares an fœminas: formosos an turpes: prudentes an imprudentes: & quæ huius generis alia scire affectamus. Cogitet apud animū suum quilibet, de quibus & qualibus rebus aliquando vel consuluerit, vel cōsulere voluerit Astrologos aliosve diuinatores, vt minus deinceps dubitet. Quinimò consideret secum ipse, quilibet quis ambigit, quid aliud à Deo opt. max. sit petiturus, si quidem iubeatur illorum omnium, quæ præscire desideret, præuisionem expetere. Et vt semel dicam omnia, æstimet omnia omnium gentium & ætatum exempla, quorum apud scriptores in historia & alibi facta est mentio, & deprehendet omnia huius esse naturæ atque ordinis: quæ vel vnicæ ratio ambigentibus omnem dubitationem ex animis eximat.

Ergo quum non interrogentur de aliis rebus fatidici, quàm de illis, quæ per accidens eueniunt, vt vnusquisque sibi ipsi testabitur, si modò se ipsum in consilium adhibere velit: palàm est, eos

talium quærere præscientiam, qualium ars aut ratio in natura existit nulla. Itaque rationem hanc tandem verbis elegantissimis & breuissimis Nemesii Episcopi Emesæ, viri cum in Philosophicis tum in Theologicis disciplinis eruditissimi, pariterque sanctissimi concludam. Is contra Astrologiam, in libro suo de Natura hominis, cap. 36. disputans, sic scribit: τὸ ἐνδεχόμενον ἀόριστον, τὸ δὲ ἀόριστον ἀγνωστον ἀνήρηται ἐν ἀπὸ τέτων. Πᾶσα μὲν ΜΑΝΤΕΙΑ, μάλιστα δὲ ἡ τῶν Ἰουδαίων καὶ Ἰαγυπτίων, ἢ αὐτοῖ (intelligit Ægyptios) πρὸ τῶν ἄλλων πρὸς εὐδοκίαν, οὐκ ἰσχυρὸν τὴν καὶ ἀληθῆς πρὸς γνῶσιν.

Quum diuinationo omnis versetur circa contingētia, (hoc enim iam dixerat) contingens autem omne sit infinitum, si vt futurum æstimetur: infinitum porro cognosci nequeat: planum est omnem diuinationem hoc argumento tolli: illam præferunt, qui ex natalitia hora fortunam natorum trahunt auguranturque, quam præ cæteris, vt rem veram & præstantem Ægyptios coluisse dicit:

Tribus huc vsque rationibus clarissimè, & ni fallor, neruosissimè probaui, nullam intellectum creatum, inter quem & rem cognitam ordo sit præteriti & futuri, hoc est, qui in tempore intelligat, siue vnum post aliud, sicut res hęc fiunt percipiat: non autem vno & simplici intuitu præsentia omnia habeat, res futuras, quæ hęc sigillatim eueniunt, præuidere prædicereque posse. Prima est à modo nostro cognoscēdi desumpta. Quum enim res in nobis notitiam sui excitent, priores esse oportet. Futura ergo à nobis non comprehenduntur, nisi in alio videantur, vt in præmissis conclusio. Non possunt autem in aliis ita latere, nisi

nisi

nisi in suis proximiis & veris causis. Nam si aliter lateant, intelligibilia nobis non sunt. Verè autem & proximæ causæ omnium illorum, quæ in hæc fluxili & caduca regione sigillatim oriuntur & occidunt, cognosci vt causæ definiti effectus, nõ prius possunt, quàm causæ sint actu, siue quàm agere incoeperint. Non enim prius tempore aliquo ad agendum certo & determinato modo instructæ sunt, & deinde agunt: sed sic semper agunt, vt ad agendum factæ, compositæ & determinatæ sunt.

Altera ratio ab ipsa causarum natura & contemplatione petita est. Quum enim futurorum euentuum, propter quos inuenta & excogitata est ratio diuinandi omnis, partim à causis naturalibus fiat, partim à voluntariis, & in neutris futura hæc apparere possint: constat vanum esse figmentum, quicquid de artibus diuinandi imperiti homines & curiosi nimis tradiderunt. De voluntariis causis ipsimet auguratores cœli nobiscum vel inuiti hoc affirmant. De naturalibus idem ex eo manifestum est, quòd causa naturalis nulla effectum aliquando producit indiuiduum, quin simul etiam fortuitò agat, dum naturaliter agit. Agit enim quatenus specie participat, & sic naturaliter agit, ac definitum effectum præstat. Agit simul quatenus indiuidua est, & singulis horis incredibiliter variè accidentibus temerè interuenientibus limitatur, componitur ac dirigatur ad agendum nunc sic, nunc aliter, mox illo, statim diuerso aut contrario modo. Impossibile igitur quum sit in causis fortuitis, & fortuitò sic potius quàm aliter agentibus, ea præsentire, quæ

sic gignunt, quatenus ea sic gignunt: impossibile quoque est futura, quatenus sic futura sunt, præcognoscere.

Equidem certius est, quam ut sanæ mentis homo dubitet, diuinationem omnem institutam & destinatam esse ad prædicationem rerum futurarum, quoad indiuiduæ res sunt; siue quoad cæco quodam casu tales potius quam aliter affectæ nascuntur; siue quatenus per accidens oriuntur sic dispositæ, non aliter conformatæ. Nam ut homo & causa naturalis quælibet simul agit iuxta communem & propriam naturam, atque hoc modo naturalis pariter & fortuita est ac dicitur; sic effectus eius partim naturalis est ac definitus, partim fortuitus & indefinitus. Iam verò demonstratum est, nos omnium præuisionem affectare, quatenus fortuita sunt. Nam quatenus naturalia & definita sunt, nota quoque sunt. Est etiam ipsorum indiuiduorum ortus fortuitus, si per se singula sumantur, non autem si simul omnia. Semper enim homines aliqui generabunt homines, quantumuis casu fiat, quod hic homo tali tempore hominem generat. Quod si hoc fit temerè, quanto magis fortunæ inconstantia & volubilitati tribuendum est, quod talem hominem, tali corpore, tali animo, ingenio, moribus generauit, non aliter compositum?

Ostendi simul communes & remotas longeque distitas causas futura nobis multò minus præmonstrare efficereve posse. Nihil enim hæ perficiunt in hoc orbe nostro terrestri particulatim absque ope & instrumento causarum secundarum. Quod si quis putat se in communi causa videre posse,

posse;

posse, quæ & quales ei causæ secundæ, à quibus solis effectuum distinctio manat, coniungendæ quoque sint tempore; næ is est omni a sino rudior & stupidior. Hoc enim solus ille nouit ac videt, qui opifex & conseruator ac gubernator, est omnium, cuiusq; nutui vniuersa parent. Quòd si in veris causis prospici ventura non possunt, propterea quod temere sic agunt vel sic: quomodo in communi aliquid horum intelligetur, inter quam & secundam causam innumerabilia interuenire accidentia possunt & solent: Si libet hisce omnium præstantium Philosophorum autoritatem coniungere, in promptu erit vnicuiq;. Omnes nobiscum sentiunt, nec sunt rationes adductæ dissolubiles. Sed illis nunc missis, ad consequentia pergo, præsertim quum de hac re in sequentibus non nihil dicendum mihi intelligam.

Ultima ratio ab ipsis rebus, quatum infelices quidam præensionem anxie solliciteque nimis affectant, accepta est. Constat ex omnium sententia, nec artem extare, nec methodum vllam excogitatam esse, quâ, quæ per accidens futura sunt, prænoscere artificiosè doceamur. Iam quæ nulla possunt ratione prospici, illorum quomodo artem aliquam esse putabimus? Porro probatum est, diuinationem institutam esse ad præuidendum res per accidens euenientes, seu fortuito sic cadentes. Exquirat enim & promittit præscientiam euentuum particularium, quoad tales sunt. At certo certius est omnes (si Dei prouidentiam causis omnibus superiorem excipias) fortuito tales esse factos, quia nimirum causæ effectrici aut materiæ aliquid acciderit, cuius interuentu

sic potius egerit, quàm alio modo. Nec alia causa est, quòd naturales causæ tam diuersas & dispareres res fabricantur, & quòd rarò duo indiuidua similia reddunt, quàm quòd perpetuò aliquid ipsis temerè accidit, à quo actionem immutari necesse sit. Ex quibus rursus liquet, plurimum illos hallucinari, qui opinantur arte præindicta talia vnquam potuisse, priusquàm fieri iam cœpissent.

Solus Deus opt. max. ista omnia præuidet sic euasura, mens creata nulla. Solus enim Deus sua sui que cognitio est: solus ita est perfectus, vt additio ipsi fieri nulla possit; solus non recipit cognitionem cognoscendo; solus non est hodie scientior, quàm heri fuisset; solus denique non haurit scientiam suam à rebus cognitis ordine & tempore, quomodo nos eam recipimus: sed simplicissimo intuitu præsentia sic habet cuncta, vt non minùs præsentia intueatur præterita & futura, quàm præsentia. Soli ipsi fortuitum nihil est, nobis autem illa omnia, de quibus hariolos percontamur, & propter quorum ignoratiõem nos ipsos stultè discruciamus. Cognitio nostra paulatim fit, quia vnum post aliud sic intelligimus, quomodo vnum ex alio sequitur. Quare metitur nostram cognitionem tempus, dum inter cognoscentem & rem cognitam, quando futura expectatur, ordo præteriti ad futurum deprehenditur; quod in solum Deum cadere nequit. Solus ergo Deus futura prænoscit, quæcunque vel profus non euenire, vel non sic euenire possunt, vt eueniunt. Ars ergo talium nulla extat; sed quicquid horum prænoscutur à creatis mentibus,

hoc

hoc totum instinctu inflatuque diuino cognoscitur.

Hæc adeo causa est, cur sacrosanctæ literæ, ad quas nunc descendere operæ precium fuerit, constantissimè planissimeque docent, soli Deo nota esse futura, de quibus præsens instituta est dissertatio, menti creatæ nulli. Ad quod probandum etsi multa adferri possunt, præcipuè tamen hoc loco expèdere illa placet, quæ Deus per Prophetam suum Esaiam à cap. 41. vsque ad finem 48. exposuit. Reliqua partim postea, partim nunc etiã breuiter attingentur. Ergo sic per Prophetam ratiocinatur Deus: *Qui futurorum, de quibus sermo nobis est, ignarus existit, non est Deus: Idola seu Demones, quos pro Diis perperam colitis, futurorum ignari sunt talium, de quibus hic nos loquimur: Ergo Idola seu Demones in illis culti non sunt Di.*

Item hoc modo.

Qui verè Deus non est, non præintelligit futura contingentia: Diu vestri falso nominantur Diu, nec quicquam Diuinitatis possident: Ergo Diu vestri futura huiusmodi nequaquam præuident.

Item hoc modo.

Qui futura præcognoscit, ei conueniunt nomen honorq, Diuinus. At nulli rei creatæ conuenit nomen honorq, meus: Ergo nulla res creatæ præintelligit hæc futura, nisi ego ei manifestauerim.

Item hoc modo.

Qui est futurorum præsciens, idem etiam Deus est: At præter me Deus non est ullus: Ergo præter me futura prædicere nullus potest, nisi ego ei aperuerim.

Si cui libeat textum Prophetæ perlegere, scopumque dictionis examinare & perpendere, is

confitebitur libenter nobiscum, Deum manifestè & expressè hoc dicere, nempe præscios futurorum esse Deos. Etenim cap. 41. falsos Iudæorū Deos prouocat, eosque, siquidem futurorum se gnaros & scientes esse docere possint, pro Diis habendos affirmat. *Eloquimini nobis, inquit, futura: annunciate que deinceps ventura sunt: & cognoscemus quòd Diu sitis.* Non multò post, quum se solum talia præsentire seu præintelligere ac prænunciare posse dixisset, addit: *Ut video nemo est consiliarius, qui mihi sciscitanti uno verbo respondeat.* *Ecco ipsi omnes vani sunt, & opera eorum nihili, eorum simulachra ventus sunt, & res futiles.* Paulò supra idè dixerat: *Ecce vos ex nihilo estis, opusq; vestrum ex nihilo, seu inane est.* Profectò pius homo nullus cupiet sibi plura ex literis sacris testimonia proferri, ad id probādum quod diximus, nempe soli Deo conuenire futurorum præscientiam; creaturæ autem nulli, nisi quantum, quomodo, quando, cui, patefacere horum aliquid ei placet ac placuit.

Capite mox sequente hæc habentur: *Ego Iehouah, hoc nomen est meum, gloriamque meam alii non dabo, neque laudem meam sculptilibus.* *Ecce priora uenerunt, & noua ego significo, eaque antequam oriantur denuncio.* Deinde cap. 43. quum repetiuisset eadem hæc, illud insuper addit: *Ante me non est Deus factus, neque post me erit. Ego, ego sum Iehouah, & præter me non est seruator. Ego annunciam, seruaui, & significavi, &c.* Similia cap. 44. legimus, & clariùs adhuc sub finem 45. capituli, ubi hæc continentur: *Declarate, inquit, & tollatis inter vos consilia*

filii

filii edicite, quis hoc olim significauerit, & haecenus annuncianeri? an non ego Iehouah, praeter quem Deus nullus est alius? Exprimunt deinde cap. 46. & 48. capitibus eandem sententiam pluribus. Quinimò vehementer eos urget hoc argumento, quòd quum negare non possint, omnia sic cecidisse, ut ab ipso casura multò antè praedicta fuissent; ipsismet testibus solus sit Deus, ut quem solam futura praedixisse recordari possint.

Ingenue dico, ista mihi pro sanctarum scripturarum more, ita videri aperta & clara, ut clariora apertioraque desiderate nullus debeat. Dicit manifestè futurorum praescientiam sic esse Dei veri propriam, ut qui sibi eam arrogare verè possit, meritò sit pro Deo colendus. Nec excipit Propheta, aut veriùs ipsemet Deus, artem aliquam futurorum indicatricem; sed absolute loquitur, ac iubet, ut, si quid possint futurum praedicere, siue ex arte, siue ratione alia possint, denuncient, inque medium proponant, quò constet eos non falsò sibi Diuinitatis nomen tribuere. Praeter me, addit deinde, nullus est Deus, propterea quòd me excepto nullus potest quæ ventura sint praesignificare. Quod si, quæ ab vltimis temporibus vsque cum patribus vestris, ac deinde vobiscum quoque egi memoriã repetere voletis, deprehendetis vtrique, me omnibus temporibus plurima vobis, multò antè quàm contingerent, denunciauissè: quæ sic prorsus, ut euasura indicaui, suo tempore praefinito acciderunt. Quod quum praeter me nemo praestare potuerit, ipsi cogimini confiteri, me solum esse Deum.

Mirum si quisquam hæc legens & ponderans dubitat, *utrum Dæmones nesciant futura contingentia priusquam nascantur*. Non opinor aliquem ita esse vecordem & impium, qui falsi arguere Deū ausit, palàm asserentem præter se neminem esse futurorum præscium. Ergo si Dæmones solertissimi & scientissimi spiritus, qui artes nullas ignorant, quatum esse capax hominis ingenium potest, futura, quæ hîc particulatim nascuntur, præintelligere nequeunt; quâ quæso fronte, aut quo pudore homines sibi talium prænotionem polliceri audēt? Equidem ad suam laudem gloriamq; pertinere ait Deus, vt ventura solus prædicat ac patefaciat; eumque hunc honorem suum se aliis communicaturum negat, vt qui ad diuinitatem propriè spectet. Arrogant ergo sibi nomen honoresque diuinos, quicumq; sibi futurorum præuisionem absque proximarum ac veterarum causarum perceptione imperitè promittunt vel sibi vel aliis, quod certè Deo placere nunquam poterit.

Excipiet hîc fortassis hariolus aliquis, ac dicet, Deum non vniuersè generaliterq; hîc loqui; sed de quibusdam duntaxat rebus futuris Prophetæ verba exponenda esse, quas peculiariter apud se constituisset agere; quæque ad religionem veriùs pertinuerint, quàm ad communem hanc politicam vitam. At hæc exceptio, in qua sibi nonnullos mirificè placere superioribus annis animaduerti, planè inutilis est, vt mox ostēdam, vbi monuero, Scripturam hîc manifestissimè loqui de illis futuris, quæ fortuitò vel per accidens cadere diximus; vel de euentibus huius nostri orbis particularibus,

ticularibus, vt iam sæpè repetii. Probant hoc exēpla, quæ in ipsa oratione Prophetæ recitātur tam planè & tam luculentè, vt vberiore ostensionem res non desideret. Sanè argumentum nihil concluderet, si quis de necessariò nascentibus rebus accipiendum contenderet. Præsciunt enim Dæmones talium ortum, nec ea nesciunt homines eruditi. Quare non de his, sed de illis loquitur Propheta.

Cæterum prædictæ exceptionis falsitatem hoc primùm declarat, quòd palàm à Deo prouocantur Dæmones eorumque sacerdotes ac vates ad prædicandum aliquid; nec additur quid id sit. Ideo non tantùm iubentur hoc factum diuinare, quod Cyrus perfecturus fuerat, sed aliud quoduis. *Congregentur omnes gentes, inquit, coeant populi, afferant argumenta probationesq; suas, prænuncient nobis aliquid venturum, nosq; attentè obseruabimus, an sic eueniat; & si sic ceciderit, fatebimur eos esse Deos.* Hæc sanè verba, non solùm dicta, non possunt ad rem aliquam vnā cogi. At multa prædixerunt vera Dæmones; respondebit aliquis. Ego verò pernego eos quidquam verè futurum prædiuinaisse. Quòd si quid aliquando sic cecidisse visum est, vt prædixerunt; vel casu sic cecidit; vel quod in longinquissimis maximeque diffitis locis factū fuit aut fiebat, in ipsis actis aut paulò post pertulerunt ad ea loca, in quibus aliter non potuisset nisi post multos dies cognosci: vel ambiguè & dolosè pronunciarunt; vel quod facere ipsi cogitarunt, indicarunt; vel certo Dei iudicio diuinitus sibi patefacta aliis exponere permissi sunt.

Deinde potuisset alio etiam modo argumen-

tum Prophetæ suspectum reddi. Nam cultores Idolorum respondissent: Esto sane, ut non possint dii nostri omnia siue hoc certum factum aliquod præuidere; possunt tamen complura alia præfagire. quare saltem aliqua ex parte dii sunt. Non enim absurdum est visum quibusdam, aut non omnes deos futura præscire, aut saltem non omnia præscire. At Scriptura eos aliquid scire negat, qualecunq; id sit, priusquam in sua causa definita & vera apparere inceperit. Profectò multæ extant eorum prædictiones plenæ fraudis ac doli, quales tamen nunquam proposuissent, si euentum præsciuisent. Sic enim eas composuerunt, ut quomodocunque res euaderet, effugium pateret. Adde quòd ipsimet homines, quæ facta fuerunt, sæpe ad tales prædictiones, violentâ interpretatione, reuocarunt. Sanè quotidie audias quosdam somnia sua recitantes manè, & confiteri se eorû significationes, quæ nullæ sunt plerunque, ignorare. Idem mox illis rebus accommodare conantur quouis modo, quæ deinde ipsis casu acciderunt, quantumuis tale nihil somnium illud significare potuerit.

Addere his & illud possumus, quòd Deus non ex illo solùm argumentatur, quod de liberatione per Cyrum promittit; verùm etiam ex eo, quod populo Iudaico omnibus tēporibus & locis prædixerit rerum quarumlibet exitum siue euentû. Qui sacras literas legit, inficiari non potest, quin omnî tempore Reges, Iudices, Sacerdotes, Prophetæ, alii, à Deo responsa petiuerint, & quidem de successu omnium rerum, quarum curaangebantur, percontati fuerint. Ex quibus non modò
pater

patet exceptionem illam putidam esse, ne dicam
impiam: sed illud etiam planius perspicitur, Deū
in supra citatis locis non de illis duntaxat rebus,
quæ ad Religionem attinent, loqui, sed de aliis et-
iam omnibus, quæ quotidie in vita accidunt, &
quorum præscientiam humana curiositas tanto-
pore affectat. Nemo tunc nesciebat, Dæmones
alios aliis coli voluisse cultibus & ceremoniis.
Potuissent ergo tales sic obiicere: Non ideo Baal
non est deus, quia non nouit quomodo locis &
temporibus omnibus coli velit Astaroth, aliusve
aliquis tunc existimatus deus. Iterum ergo lique-
Deum *Amos* loquutum fuisse, quum Dæmones
futura nescire dixit.

Huic rei consentit quicquid vsquam in sacris
inuenitur literis scriptū. Quid enim quæso aliud
Scriptura docet, quum Deum facit effectorum
conseruatorem, gubernatorem vniuersorum?
Constat eum ex nihilo creauisse omnia; constat
non minus ipsum eadem potestate, quâ perfecit,
vt quod nihil erat, hoc esset, quod videmus: nunc
etiã quæ fecit conseruare & gubernare. Nisi enim
eadem potentiã facta conseruaret, quâ non exi-
stentia vt existeret fecit; repente omnia in nihilū
relaberentur, & ne vno quidem momēto perma-
nerent. Cui verò alii horum prænotio tribuetur,
quàm ei, qui, vt sic euenirent, non alio modo, ef-
fecit? Equidem fortuita vel hoc vel illo modo sic
inter se iungere, & determinatum, non aliter dis-
positum effectum pariāt, & res quæq; certum &
definitum euentum habeat, solius Diuinæ prou-
identia, potentiaq; opus est. Idcirco soli Deo effe-
ctori & moderatori vniuersorum & singulorum

congruit præscire, quando, quid, quomodo, vbi, cui sit vel hoc, vel illud euenturum. Absurdissimum autem est cogitare, & ab omni ratione alienissimum, alium esse qui ista solus vel sic vel aliter nectat & copulet, & alium scire quomodo, quando, vbi ea sit hoc aliquo modo copulaturus.

Tantum certè abest, vt aliquid horum præsentiamus, vt ne nostras quidem cogitationes futuras prospicere valeamus. Quis enim nouit, quid cogitaturus sit post annum, aut mensem, aut diem, adeoq; horam vnam? Tam vecors est nullus, qui de suis deliberationibus futuris diuinare velit, propterea quòd pro diuersitate obiectorum infinite mutantur: & reperiuntur nihilominus tam vsque ad eò stolidi & amentes quidam, vt se præuisuros sperent, quæ extra nos Deus facere constituit de illis rebus, quæ non minùs incertæ nobis sunt, imò lōgè incertiores, quàm cogitata nostra. Rectè certè hîc dixero, non esse has spes verè prudentum & piorum hominum cogitata: Solū Deum *αποδοξνάσθην* Scriptura vocat, & nos rem ita habere experimur: nec tam sumus cæci, quin sentiamus in solius Dei manu esse omnia cōsilia nostra successusq; rerum & deliberationum nostrarum; & tam sumus interim insipientes & stulti, vt eorum præensionem in cælo sideribusve quæramus. Illius est præscientia, cuius est prouidentia & procuratio siue gubernatio omnium & singulorum. Nos verò quæ celare ei placuit, peruestigare minimè debemus.

Placuisse autem Deo opt. max. vt quæ temerè & fortuitò siue per accidēs nobis eueniunt, (Deo enim nihil fortuitum est & per accidens) nesciremus, ac

mus, ac

mus, ac nescire vellemus; partim ex iis quæ diximus antea, partim ex iis quæ dicturi sumus, est manifestum. Si præscire nos omnia voluisset, certas causas, quæ impediri non possent, omnium fecisset, vt solis aut lunæ defectus, exempli gratia, certas causas constituit & designauit. At non fecit, vt modo & via certa nobisque cognita sic omnia euaderent. Non conuenit ergo nos illorū prænotionem exoptare, nedum scrutari, quæ tecta nobis esse voluit. Equidem ipsemet Christus Apostolos suos (& per eos omnes alios homines) multa præscire cupientes castigat, dicens, *non esse ipsorum nouisse temporum momenta, quæ sibi Pater seruari, & alius patefacere noluerit.* Sic & Petrum de exitu vitæ Iohannis sciscitantem reprimit, vt alia nunc omittam. Cur verò absconderit à nobis talia, causæ multæ cōmemorari possent, quas percensere non est opus. Sanè Solomon cap. 7. sui Concionatoris affirmat, Deum prorsus optimo consilio res eiusmodi nos celare voluisse. Idem Proverb. suorum cap. 25. scripsit gloriosum hoc esse Deo, abscondere videlicet nonnulla. Quippe vt ex superioribus satis intelleximus, ad maiestatem diuinam solummodo pertinet futurorum præsensio. Spectat ergo ad eandem creatoris maiestatem, vt creaturæ multa ignorent.

Idem Solomon cap. 20. Proverb. gressus conatusq; nostros à solo Deo pendere ait, nosq; non posse intelligere vias nostras. Et cap. 27. sequente, nescire nos asserit, quid postera dies sit allatura. Idem videtur voluisse quum cap. 16. & 19. tertio repetitâ sententiâ dixit, nos multa sæpenumero deliberare & constituere nobiscum, quæ tamē

Omnia illum sortiantur exitum, non alium, quem ipse decreuerit. Hoc etiã vulgò audimus omnes dicere, at non satis ponderare: *Homo proponit, inquit, sed Deus est, qui pro sancta sua voluntate disponit ac dirigit.* Quod & Ieremias cap. 10. confirmat: *Scio Domine, exclamat Propheta, non est penes hominem via eius, nec in potestate viri directio graduum eius.* Ipsemet Servator Christus monet nos 6. c. Matthæi, *ne solliciti simus de die crastina: patrem enim esse, qui procuret nobis omnia, quique pro nobis vigilet: non esse cur de futuris prænoscentis laboremus.* Nec aliud Iacobus cap. 4. sensit, quum nescire nos ostēdit, vtrum vel vnicam simus horam victuri.

Quum igitur non possimus cogitationes nostras prævidere, quas Deus sine nobis, siue extra nos non creat: quomodo quæso ea prævidere possumus, quæ sine nobis, siue extra nos efficit? Profectò valdè erramus, dum ista præsciri arte ac ratione aliqua credimus, quæ nos inquirere Deus prohibuit, & præscire posse negavit. Eccles. 3. cap. scribitur, hominem non posse opera Dei cognoscere per omnem vitam suam, quanquam frui ei mundo concessum sit. Aliis verò plurimis locis pœnã capitis, & alias atroces pœnas Deus statuit omnibus auguratoribus, hoc est, verè futura perquirentibus, ut meritò absterreri ab eorū inquisitione nos deceat. Nec potest excusare se quisquam, quasi de arte sua non loquatur Scriptura. Etenim tot recenset species, & iam vitur multa complectentibus nominibus, ut nulla diuinatione se non perstringi queat possit. Nolo iam alia citare loca, sed contentus ero lectorem monuisse, ut 18. caput

caput Deuteronomii perlegat, vbi videbit omnes hodie vsurpatas Diuinationes nominatim reprehendi ac damnari.

Si cui & illa inspicere libet, quæ de his rebus in suo Ecclesiaste Solomon scribit, omnium hominum, qui sub sole hoc vixerunt, scientissimus & prudentissimus, quemq; vnum nihil fugit eorum quæ de natura rerum sciri possunt, testificante id scriptura; is legat in primis secundum caput, in quo palam negat se scire, *qualem sit habiturus heredem, & successorem.* Si quot qualesque habiturus esset liberos Solomon ignorauit, quo pacto nostri diuini, qui tanto post Solomonem interuallo sequuntur, non modò quos ipsi generaturi sint prædicere tentant, sed etiam alius omnibus persuadere conantur, se in cælo pictum notatumq; obseruare, quot qualesq; vnusquisq; sit suscepturus? Deinde idem Solomon proximo cap. postquam simile quippiam protulisset, in hæc verba prorumpit: *Quis enim, videlicet hominem, perducatur, ut quid post se futurum sit prospiciat?* Si non potest quisquam quæ post se sunt secutura comprehendere, ne illa quidem poterit animo præcipere, quæ ipso adhuc viuente sunt euentura. Sed pergamus ad 6. caput, in cuius fine eadem propè repetit, sed pluribus & apertioribus verbis: ac inde ad 8. pertinascamus, in quo totidem fere verbis idem iterum inculcat, ac dicit: *Futura quis ei denunciabu?* Quo loquendi modo & hîc & supra ostendit, non esse hoc in humani ingenii viribus positum, vt futura præintelligat. Quum enim præsentium rationem non semper percipiat, (vt res ipsa loquitur, ac in eodem capite Solomon affirmat) quomodo futurorum

prænotionem tenebit? Cui non sufficiunt hæc, addat quæ duobus sequentibus capitibus idem scripsit. Nos enim ad finem nunc properamus. Restat autem vt de Theologis aliquid dicā. Hos propemodum omnes Diuinationes, omnes, & quidem Astrologicam speciatim confutasse, damnasse, abiectisse, nimis notum est in illorum lectione versato. De veteribus certè Græcis atque Latinis negari non potest. Aut enim palàm refellerunt, aut breuiter solùm condemnarunt, aut falsè præterea riserunt.

Recentiores omnes, præter vnum & alterum fortassis, consentaneè cum veteribus hac de re sensisse ac scripsisse, perspicere iudicareq; eorum scriptis licet. De peritioribus loquor, non de iis, quorum magna certè nimis turba est, quique non faciliè conceptam ex animo opinionem eximi delerique sibi patiuntur. Scholasticos doctores, qui lumen Euangelii, quod cœlitus nobis illuxit, non viderunt, atque ob eam causam ad omnem superstitionem & curiosam impietatem proclites fuerunt, aliquid horum laudauisse nullus mirabitur. Quippe in ea inciderunt tēpora, quibus magna licentia quantumuis impia defendere impune cuiq; liceret. Hoc magis admiratione dignum est, plerosq; & præstantissimos omnes tanta animorum constantia, in sæculo illo corruptissimo, & moribus hominum perditissimis, ausos fuisse nugas illas vt impias reprehendere grauiterque damnare. Hoc etiam mirabilius est, in hac clarissima veritatis luce, quæ diuinitus nobis affulsit, reperiri adhuc posse, quos tales hariolationes ita delectant, vt eas etiam defendere conentur.

Hos

Hos autem ego nunc cum aliis omnibus, quibus ista cordi sunt, hortor, ut deinceps ab his falsis Dæmonū persuasionibus caueant, ac desinant humilius, adeoque peius de Deo sentire, quam de Dæmonibus senserint veteres Philosophi. Hi doctrina cœlesti quum essent destituti, duce ratione cognouerunt, præscientiam futurorum nō rectè aliis quam diis tribui. Dum enim quæ esset harū rerum, in quibus Diuinatione opus est, natura & conditio, apud se cogitarēt, ac simul qualem esse Dei naturam oporteret considerarent, solos illos futurorum præscios iudicarunt. Quæ suprâ ex Platone aliisque citavi, hūc etiam faciunt. Qui plura videre cupit, Platōnis Symposium perlegat, in quo ne Dæmoniis quidem, quæ media statuit inter Deum & hominem, horum prænotationem concedit. Ego vnicum ex Iamblichi libro de mysteriis Ægyptiorum, ut Ficinus vertit, testimonium adscripsisse contentus ero: ex quo satis liquabit, honorificētius Ethnicos de falsis suis diis sensisse, quam aliqui de vero Deo in ista re sentiant. *Vaticinium, inquit, nec ab arte, nec à natura, nec à naturalibus vel animalibus rationibus motibusve efficitur, neque fit ullo modo: sed utrinque sempiternum est, missum ad nos diuinitus vsque: totaque potestas presaga refertur ad deos, & omnis huius autoritas consistit in eis, indeque traditur, diuinisq; operibus signisve perficitur. Et mox: Non decet vaticinium deducere sine causa, videlicet à quibusdam nullam habentibus in se præscientiam, sed à diis continentibus in se terminos totius scientiæ rerum, &c.*

Perfacilè nunc est vnicuique intelligere, cur sacræ literæ omnes Diuinationes tantopere vitæ-

perent, damnent, puniant, & non modo capitis supplicium (quod etiã pii Imperatores fecerunt) professoribus vaticiniorum irrogēt; verum etiam eosdem consulētibus grauissimas pœnas denuncient. Legimus Deut. cap. 18. Deum propter hanc impietatem non minimum permotum fuisse, vt totas Gentes excinderet. Non enim leue est peccatum, honorem & gloriam Dei, ipsamque adeo diuinitatem sibi arrogare: quod sanè faciunt, qui, quæ Deus manifestare noluit, profiteri audent. Intelligitur non minùs illud quoque, cur Theologi tanto cōsensu ex Ecclesia diuinationem exturbare studuerint, atque à diabolis profectam constanter docuerint. Sanè diuinationem omnē, si non palàm ab afflatu fiat Dæmonis, aut modo alio simili, pacto vel aperto vel tacito niti & conseruari, ratione optima scripserunt. Etenim taliū præscientia, qualium sibi notitiam pollicentur diuinatores, virtute naturali teneri nequit, vt ex sacris & prophanis literis demonstratum est. Quinimò Deus ne inquirere quidem ea nos permittit. Proinde extrinsecus horum præsentio oritur. At non potest aliunde quàm à Dæmone deriuari, quæ arte traditur.

Cæterum quia tempus est, vt ad ea redeã, quæ suprâ in hunc locum distuli, repetenda sunt breuissimè quædam, vt rectè cum iis quæ dicturi sumus connectantur. Diuinationem docui re esse admirabilem & diuinam, nempe præsentionem rerum fortuitarum, siue talium, quæ nec arte tractari, nec coniecturâ explicari, multò minus sciētia comprehendendi possunt. Præsentium rerum anticipationem siue præceptionem, quâ eas artifex

ante

ante alios nouit ac deprehēdit, dum propterea par-
uitatem plerisq; adhuc non apparent, Diuinationem
nec esse nec dici commōstrauit. Ex his sequi-
tur, talium præsentationem supra vires hominis ef-
se; ac proinde aliam esse veram, & Prophetiam à
nobis peculiariter nominari; aliã esse falsam, quæ
priuatim & propriè *Μαντιὰ* & *Μαντικὴ* Græcis, *Di-
uinationo* nostris appelletur. Hanc in artificiosam &
artis expertem omnes autores, Græci pariter ac
Latini, veteres & recentes dispertuerunt. Ergo
quum de artificiosa nos agere instituerimus tan-
tùm, (nam quin artis expertis impia sit & prohibi-
ta, nemo dubitat) postulat ratio, vt quæ supersunt
adiiciam.

Artificiosa diuinationo nō fit per inspirationem
apertam Dæmonum, vt quum vel in furorem sa-
cerdotes suos ac ministros agerent, aut in somno
commonefacerent, aut aliter eos instruerent: sed
pacto quodam solummodo conuentuque cum
dæmonibus nititur. Hoc pactum vel est apertum
& manifestum; vel tacitum & occultum. Aperte
dæmonum operâ & inuocatione seu euocationâ
vtuntur incantatores, magi, venefici seu malefi-
ci, necromantes, somniorum quidam interpre-
tes, (non omnes) haruspices, augures quidam; &
si qui alii ex signis nō naturalibus, sed ab ipsismet
dæmonibus confectis præfagiunt. Occultè pa-
cti illi dicuntur, qui naturalibus rebus aut si-
gnis ad diuinandum vtuntur, aut etiam artificia-
libus (quanquam ex his multa ad priorem clas-
sem spectant) at plura ex illis cognoscere, aut plu-
ra per eas res efficere student, quàm aut signifi-
care aut efficere possint. Ingerit Satan se tacitè

occulteque in sensus sic augurantium, atque à talibus rebus aut signis, quæ consecuta sunt casu & fortuito, profecta, aut saltem præsignificata fuisse persuadet, quouis modo accommodans, & quauis interpretatione ad eadem reuocans.

Duo sunt autem ordines sic diuinatium: Nam alii fabricantur ipsi sibi signa, siue aliquid agunt, ex quo diuinant; alii nihil quidem ipsi faciunt, neq; ex quibus diuinent sibi concinnant, sed motus & dispositiones quarundam rerum obseruant, & ex eis auguria captant. Ad priorem classem pertinent, punctorum notatores, plumbi liquefacti in frigidam effusores, characterum in cineribus aliisque rebus & locis descriptores, festucarum exceptores, ex talorum iactu diuinantes, sortilegi, ex temerè aperto libro de futuris cōiectantes, & huius farinae alii plures. Sunt enim innumerabiles propè diuinationum modi, prout quisque impellente Satana aliquid sibi finxit, ex quo præfagire inciperet. Quod quale sit, ex superstitionibus intelligi potest. Nam vt harum infinitus est numerus, quum primùm à vero Dei cultu discessum est, propterea quòd vnusquisque pro suo ingenio sibi cultum fingit; ita quum primùm à veritate recesserunt homines, ac sibi persuaserunt esse quandam inter homines diuinationem, quæ arte vel obseruatione notari possit, tot necesse est modos nasci, quot sunt homines, qui sic inscientes fascinari confingere aliquid volunt.

Ad sortes, quod attinet, nō damno eas simpliciter; sed quatenus diuinationi seruiunt. Etenim si quis iis ad diuidendum, vel vt in iudiciis aliqui solent,

solent,

solent, vel aliter vtatur: vt si ex duobus aut pluribus æquè idoneis ad rem aliquam administrandam sorte eligatur vnus, modò superstitione nulla accedat, nihil peccat, nec meretur reprehensionem, præsertim verò si cum inuocatione nominis Diuini fiat. Par ferè ratio est physiognomiæ, sub qua etiam lineamenta manuum comprehendendo. Non est etiam vetita & impia ex lineamentis corporis petita consideratio temperamenti & constitutionis. Nec malè etiam vt indices quosdam, sed minimè certos tamen, morum & ingenii, hæc ipsa obseruamus, modò non plura scire ex illis velimus, quàm docere nos possunt. Effectus quidam sunt natiui caloris, quoad conformandum corpus vtitur natura siue anima, lineamenta seu figura certarum partium, color, motus, & similia; ideo qualis & quantus sit, quales etiam spiritus contineantur in tali vel tali corpore, aliquo modo indicant, ex quibus de moribus coniecturam capimus, sed prorsus vniuersalem, ac etiam lubricam & fallacem.

Qui vltra progrediuntur, & ex talibus cognoscere conantur, quot aliquis vxores, quot liberos sit habiturus, quâ fortunâ vsurus, quo tempore & loco sit ægrotaturus, aut moriturus, vbi, quando, quomodo, quæ pericula ei sint metuenda, vel bona expectanda, quæ omnia sunt fortuita cæcoq; casu, quod ad nostram pertinet intelligentiam ac scientiam, sic cadunt; illi turpissimè iam & impiè hisce rebus abutuntur. Ergo si quid indicant, vt effectus quidam virtutis, à qua corpus regitur, quæ sit corporis constitutio, & partium temperamentum, mobilesne sint & tenues spiritus, an

ignavi, crassi, & impuri, & huius generis alia indicant tantum, hoc est, presentia solum, non autem futura.

Ad classem ex pacto conuentoq; tacito cum Dæmonibus diuinantium, qui sibi ipsis signa moluntur futurorum indices, ut ipsi falso putant, quales & qui pertineant ostendi. Nunc qui ad alterum ordinem pertineant, videndum est; in quo illi continentur, qui vel naturalium vel aliarum rerum à se non effectarum motus, mutationes, & dispositiones notant. Complectitur hæc quoque multas species, ut Chiromantiam, Physiognomiam, Pyromantiam, Astrologiam diuinatricem, Omina, Spatulemantiam, Augurii speciem, & huius generis alias plures. Quædam medio modo se habent, siue vtriusque partis seu qualitatis sunt participes. Sunt enim qui partim sibi fabricentur sua signa, partim in rebus factis obseruent, quorum omnium nomina hîc recensere longum foret, ac inutile. Præstat enim genera tenere, quàm omnes speciatim ineptias audire; quum præsertim tot sint in generibus singulis, quot sine stomacho numerare nemo facile possit. Libet autem hîc, clarioris doctrinæ gratia, istorum quæ diximus tabellam subiicere, quæ totius disputationis capita oculis subiiciat.

Futuro-

Futurorum, quae in hoc sublunari mundo fiunt, praenotio, vel est praesens

Contingenter accidentium. Haec bifariam futura considerat: videlicet quatenus

Necessario convenientium

Individa sunt, ab aliis, suae speciei individuis distinguuntur, ut quum nasciturum dicimus futurum mare, ingeniosum, sanum, producte vite, &c. Praesidentur autem haec talia, vel

Participant specie, naturaq, communi, ut quum ex homine dicimus hominem nasciturum, non leporem aut canem. & ex lepore leporem, non equum aut bovem.

Antequam gigni producia, ceperunt, hoc est, non cognitis veris eorum causis. Porro quum talis futurorum praenotio supra vires sit humani ingenii, consequens est, ut vel

Postquam a suis causis veris & proximis effici cognita visaq, sunt, id est, quum esse iam aut fieri inceperunt, etsi propter sui parvitatem parva nota tunc sint. Tales sunt praedictiones & praesensiones Medicorum, Nautarum, Prudentum, Agricolarum, &c.

A Deo mittatur, quam praesensionis Speciem Christiani omnes nunc prophetiam nominare solemus, semperque vera est.

A malis Spiritibus instilletur; (boni enim nihil predicunt aut patefaciunt, nisi quod a Deo patefacere iussi sunt) quam Graeci *μωρτικη* & *μωρτικη* nostri Diavinationem vocarunt. Huius Veteres omnes statuerunt duas species, videlicet

Artificiosam alteram, quae pacto solum nittitur Daemonum, cog, vel

Tacito & occulto, quod tum fit, quum divinatorius vel

Expresse apertog, ad quod genus pertinent

Artis expertem unam, quae a solo Daemonum afflatu, & manifesta inspiratione peragitur. Huc pertinent oracula, & similes alia Vancinationes.

Sibi fabricatur signa, ex quibus auguretur: id quod facere solent,

Non fabricantur, sed fabricatarum rerum motus & dispositiones solum considerant, ut ex iis hariolentur: quod faciunt

Incantatores, Necromantes, verbis aut signis Demones quovis modo evocantes vel invocantes.

Geomantes Ex plumbo in frigidam effusa coniectantes. Ex talorum iacta diuinantes. Sortilegi. Alii tales plumbi.

Chiromantes. Spatulamantes. Pyromantes. Astrologi. Physiognomonic. Ominum observatores. Alii his similes.

Ergo postquam demonstraui Diuinationem propriè sic dictam, ad eam prænotionis speciem pertinere, quæ supra vires hominis est, atque extrinsecus homini aduenit; consequens est vt breuiter nunc alterum illud declarè, quod suprà me ostensurum promisi, nempe astrologiam iudicialiam seu vaticinatricem rectè inter diuinatorices artes falsas numerari. Equidem futura contingètia, quorum causæ veræ & propriæ siue proximæ ignorantur, ab eius mentis viribus, quæ haud aliter ea prænouit, quàm vt in suis causis præuidet, præcognosci nullo modo posse, si nõ extrinsecus ei manifestentur, perspicuè sic ostendi, vt existimem confutari, quæ diximus, non posse. Porro mentes nostras nihil intelligere futurũ, nisi quod in suis causis perceperint, siue quod à causa efficiendum intellexerint, similiter monstratum fuit. At verò quæ homini extrinsecus patefiunt; vel à Deo manifestantur; vel à Dæmonibus inspirantur. Quæ instinctu diuino cognoscuntur, sic semper eueniunt, vt prædicuntur, neq; possunt arte vlla præsentiri. Quæ Dæmonũ afflatu suggestioneve prænunciantur, aut falsa sunt, aut ambigua, aut facta sunt, fiuntve, aut patefacta diuinitus. Cur autem Deus opt. max. nonnunquam fuerit passus cacodæmones vera quædam prænunciare, ex sacris literis potest intelligi; quod copiosius hoc loco explicare, non est instituti nostri proprium. Qui volet, poterit locum cap. 13. Deuter. & 2. Thess. 2. considerare; ex quibus vtcunque intelliget, quo tandem consilio Deus ista nonnunquam voluerit.

In præsentia nobis sufficit indicasse, Diuinationem

nem

ñem ad illam speciem prænotationis spectare, quæ falsa est, Dæmonesq; habet autores. Nam quæ à Deo proficiscitur, atq; ideo semper vera est, à nobis non vocatur Diuinationo, sed Prophetia nominatur. Quippe appellamus diuinationem eam præsentationem futurorum, quam Græci Latiniq; scriptores prophani sic appellarunt, quibus verã Prophetiam incognitam fuisse constat. Itaque si Astrologia diuinatrix est ars quædam (sic enim vocare nos eam oportet, vt rectè intelligamur) quã præuidetur futura, non poterit sub Prophetia comprehensa videri. Nulla enim arte docemur ea præcognoscere, quæ pro sua bona voluntate hominibus patefacere Deus decreuit. Itaq; si Astrologia ars est docēs rerum futurarum, quæ à propriis verisq; suis causis nondum effici cœperunt, præsentationem, necessarium est, vt sub alio genere contineatur. At genus aliud nullum est, quàm falsum & illicitum illud, quod Diuinationem vocari diximus. Hoc namq; in artificiosum, artisq; expers diuidi, supra ostendimus.

Sanè licitæ artes futura alia nulla nos docent cognoscere, quàm illa quæ iam fiunt, & præsentia potiùs sunt, quàm verè futura. Causæ huius rei copiosè & manifestè in superioribus expositæ fuerunt. Porro constat plus satis, Astrologos sibi futurorum, quæ post multos dies, menses, annos, priusquam fieri inceperint, euētura sint, præsciētiam arrogare, ignoratis propriis eorum causis. Etenim cælum vnum intuentur, inque siderum motibus causas particularium euentuum sic quærent, vt ex his futura esse prænuncient, quæ nec efficere, nec significare astra possunt. Gregorius

Nazianzenus perinde eos facere venustè scripsit, atq; illos, quæ ex inspectione sedis Regiæ conantur diuinare quæ Rex, cui⁹ illa sedes est, & in qua iudicia exercere solet, facturus sit ac cogitaturus. Sanè tam non sunt sidera à Deo constituta & facta, vt quæ hîc particulatim fiunt; vel præmonstrent nobis vel efficiant; quàm non est Regis solium fabricatum, vt animi cogitationes iplis Regis spectatoribus explicet.

Patet ex his satis, & multò magis ex superioribus patuit, Astrologiam illicitam esse, vereq; diuinatricibus artibus, quæ falsæ & mendaces omnes sunt, annumerari. Quocirca meritò dicimus *Astrologos hariolos esse & vates*, qui impossibilia hominibus conentur, adeoq; inscitè, aut saltè inscièter sibi arrogare, quæ soli Deo competunt, vt hac in re doctrina, iudicio, pietateq; ab Ethnicis longè superentur. Veruntamen quia non desinunt obiicere, se ex naturalibus causis diuinare, iterum hîc ostendam eos abuti cœlestibus, neq; posse in illis hæc futura, de quibus nos loquimur, apparère. Principium verò ab eo faciam, quod iam antè planissimè ostensum est, eos videlicet prædicere solummodo fortuita. Non enim de aliis interrogantur, vt sibi met vnusquisq; testificabitur, quum quibus de rebus hariolum consulere velit, considerabit. Non posse autem nos fortuitarum causas vel in cœlo, vel hîc in terra cognoscere, quando nondum generari efficiq; cœperunt, satis, opinor, est notum. Attamen vt etiam rudissimi videant quantum miseri Astrologi delirent, articulatè magis exponam.

Primùm nō sunt hariolationes Astrologiæ institutæ

stituta & inuenta ad prædicendum res necessario
futuras. Etenim ipsi met scribunt, nec semper, nec
necessario fieri; quæ ex altris prædicere solent.
Addunt etiam, astra non cogere, sed solum incli-
nare & propensionem creare ad euentus prædi-
catos. Quod si potuissent intelligere quomodo
fiat, vt cauta necessario & similiter agens, effectus
producat contingentes; hoc simul etiam cogno-
uissent, ex cælo ipsos augurari non debuisse. Sed
hæc aliò pertinent.

Secundò non versantur eorum prædictiones
in illis rebus, quæ similiter in eiusdem speciei aut
generis indiuiduis insunt: sed illarum præuisionẽ
proficuntur, quæ singulis rebus priuatim accidunt.
Non prædicunt æstatem fore calidam, hyemem
verò siccam: sed huius anni æstatem fore solito
calidiorẽ, frigidiorẽ, pluuiam, siccam, salu-
brem, pestilentem aut morbidam. neque fructus
prouenturos suo tempore locoque solummodo
dicunt; sed quã copiã vel paucitate, quã salu-
bres vel insalubres, quã suaves & maturi, vel in-
suaves & crudi futuri sint quolibet loco prænun-
tiant. Sic nõ hoc tantum ex cælo præsentire se a-
iunt, quod omnes alii norunt, ex hominibus ho-
mines, ex leporibus lepores, ex canibus canes na-
scituros esse; verum vnicuique inspectã natiuitatis
suæ horã prædicere se posse falso credunt, si tamẽ
serio credunt, nec nobis illudunt, quot liberos,
quo tempore, quomodo affectos, quibus ingeniis
moribusq; præditos, mares an fœminas genera-
turus sit. Vt semel dicam, prædictiones eorũ non
versantur circa naturã speciei siue communẽ, sed
circa indiuiduas qualitates, quas casu & temere
quibuslibet rebus sic vel aliter accidere certũ est.

Tertiò nō sic prædicunt ista particularia, quomodo Medici, Agricolaë, Pastores, Nautæ, Prudentes & intelligentes in rebus publicis viri, & nonnulli ex idiotis quædam ex his præsentire dicuntur. Omnes enim isti vident quædam ante alios, dum videlicet ita sunt exigua & parua, vt ab imperitis obseruari nondum possint: quæ tamē ipsi propter vsum & exercitationem iam fieri atq; esse notarunt. Sic videmus nōnullos ex gestu quorundam animalium vel garritu, vt anserum, anatum, aut ex crepitu coloreq; ignis, ex stellarū fulgore obscuritateque, ex traiectionibus in aëre apparentibus, ex rubedine cœli, ex fungis allychniorum, ex humiditate parietum, ex signis in aquis ac fluminibus occurrentibus, & aliis consimilibus rebus longa obseruatione notatis, mutationes aëris certas prænunciare. Verum non simpliciter futuræ sunt iam dictæ mutationes, quum ex talibus signis sentiuntur adesse; sed iam esse inceperunt. Quoniam huiusmodi signa vel sunt effectus quidam eius mutationis; quæ plerosque adhuc latet; vel ab eadē causa effecta sunt, à quibus, quod secutarū dicitur his apparentibus, efficitur. Nō enim necesse est, vt qui hæc vsum animaduertit, se inuicem consequi & antecedere, etiam sciat utrū causæ vel ipsiusmet prænunciatæ rei factæ iam aliqua ex parte effectus quidam sint. Satis est, quod longâ obseruatione didicit, tali quodam signo apparente, talem plerunq; rem consequi.

Hoc extra controuersiam est, quæ sic prædicuntur, iam fieri produciq; cœpisse, si producta nondum ponantur. Anates, exempli gratia, pro aëris mutatione facta, quam ipsæ prius quàm nos sentiunt,

tiunt,

tiunt, lætantur & gestiunt certo modo, prout eã suã naturæ vel conuenit vel non cõuenit. Quòd si facta nulla dum in aëre mutatio fuisset, nõ potuissent illæ nunc magis isto modo moueri, quàm priùs. At constat quum sic gestiunt, mutationem ab hominibus quoq; exercitatis animaduerti ac cerni. Ex madore parietum aut lapidum quorũdam, itemque ex difficili aut facili ostiorum clausione apertioneve pluuias aut ventos aliqui præsagiunt, quæ certè mutati iam aeris manifestissima sunt indicia. Sic ex certarum auium abitu redituq; æstatem, hyememve præ fortibus esse coniciunt. Sic agricolæ ex commoda vel incommoda aeris temperie, dum frumenta, vites, arbores florent, de copioso aut tenui frugum prouectu iudicant. Nec aliter vinitores prudentes obseruare cœperũt *Medardum & Urbanum*, quòd circa hos dies ferè vites florere sunt solitæ, tẽporius & tardius pro ratione caliditatis & frigiditatis aeris. Nõ nescio permultos ineptè & superstitiosè credere, in his ipsis diebus aliquid inesse fortunati vel infortunati; sed falli eos non minùs scio, nec dubitat, qui vel tantillum habet iudicii. Quippe non hi dies, sed aeris temperies, quæ ante & post hosce, prout circa hunc vel illum floruerint vites, inspicienda est, si de vini vbertate sterilitateve coniectare volumus. Scio non illos modò, sed etiam alios quosdam anni dies, tãquam vaticinatorios, ab imperita & superstitiosa plebe ex mera vanitate ac superstitione contra apertissimũ Dei præceptum obseruari: quod nos à recto abducere non debet.

De agricolis, pastoribus, idiotis satis multa di-

ximus. De nautis res tam est omnibus ad maria & flumina magna habitantibus euidentis & nota, vt supersedere recitationi exemplorum possim. De Medicis quoq; longa oratione opus non est, quū qualia ipsi ex arte sua præuidere doceant, tam sit notum doctis omnibus, vt supra modum admirari illos cogar, qui Medicos verè simpliciterque futura præuidere opinantur. Vix posset credi aliquos ita esse vecordes, nisi palàm ipsi se proderēt. Quando futura sit crisis, non ex aliis indiciis cognosci potest, quàm ex illis quæ præsentem affectionem eiusque progressum patefaciunt, vt fusè hac de re Gal. in suis operibus disputauit. Bona an mala ea futura sit, idē suis ex signis docet cognoscere. Postremò, quum iam præsentis apparent signa criseos, pulchrè idem monet, quibus signis modi futuræ crisis sint dignoscendi, hoc est, quomodo cognoscendum sit, vtrum per sanguinis alicunde fluentis vacuationem; aut sudorem; aut alui excretionem; aut vomitum, &c. seipsam exonerare statuerit natura. Hæc exempli gratia ob eā causam commemorare placuit, vt liqueret verū esse quod ex Galeno suprà produximus, nullum pathema futurum à Medico prædici; sed tantum ea, quæ esse iam aliquo modo inceperunt, at propter exilitatem adhuc latere, tanquam futura imperitis exponi.

Quartò, multa quidem vaticinantur Astrologi de voluntatis nostræ actionibus & operibus, attamen non ex illis principiis talia prædicunt, ex quibus viri prudentes & exercitati eadem præsentiant futura. Etenim bellum, exempli causa, exoriturum hoc vel illo anno & tempore scripti-
fant &

tant & dictitant, non ex apparatus bellicis certorum principum, & causis talium apparatusum, neq; ex consiliis, quæ prudentes viri texi iam à quibusdam cœpisse intellexerunt; sed ex astrorum situ: quia videlicet in hoc vel illo signo appareat Mars, quia hîc vel ibi eclipsis solis aut lunæ sit facta, quia iracundè & rabiosè mutuò se planetæ respectent: ex quo iterum intelligitur, præstantes prudentiâ viros ex veris & propinquissimis effectuum causis tunc de effectibus pronunciare, quum à suis causis effici perspexerint. At Astrologi remotissimas & maximè improprias causas considerât, & multò antè talia prædicunt futura; (quanquam mentiuntur semper, nisi casu sic res aliquando cadat) quàm eueniant. Quòd si ergo prudentes homines veras & proximas euentuum causas inspectâtes sæpenumero decipiuntur; quid de Astrologis sentiendum erit, qui illas solùm causas intuentur, quæ per se tales effectus generare nunquam possunt?

Quòd si aliquando cum generalissimis causis coniungunt etiam particulares, vt quum aliam rustici, & aliam principis filio in eadem hora nato fortunam promittunt; non considerant tamen veras & particulares euentuum, quos præfagiunt, causas, imò quænam eæ sint planè nesciunt. Et vt aliquando eas sciant, saltem hoc non obseruant, vtum agere inceperint, an non inceperint. At hoc ignorato, demonstratum est, futura, de quibus sermo nobis est, nulla arte, & vi naturali nulla præsentiri prædiciq; posse. Quum enim res futuras homines in suis tantùm illis causis præuidere possint, à quibus sine medio proficiscuntur,

quomodo, quæso, futurum aliquid prædicet quispiam ex illius causæ cognitione, quæ in vtramque partem, agendi scilicet ac non agendi, similiter est parata & apta? Certum est solem cum hominibus ad generandum idoneis homines generare, & sine his generare nullum unquam posse. Quomodo ergo ex vnius solis cognitione prædici poterit, an homo aliquis hinc vel ibi, & præterea sic vel aliter affectus sit nasciturus? Ignis admodum plumbum liquefacit, & lutum indurat eadem operâ. An hætenus desipit aliquis, ut ex huius ignis notitia, qui hinc, exempli causa, est accensus, intelligere se posse arbitretur, vtrum horum sit effecturus, dum vtrum ei adhibendum sit ignorat? Plusquam asinus est, qui tale quippiam sperat.

Ergo quum Astrologi ex siderum mixtionibus, ut quidam loquuntur, de futuris contingentibus particulatim euenientibus tantum vaticinentur, neque tamen veras & proximas horum causas considerent, (inter quas & cælestes causas infinita interciderent, à quibus cælestium actiones incomprehensibiliter variantur,) efficitur profusum necessarium, ut Astrologia pro vera Diuinatione rectè habeatur, atque ideo superare hominis captum verè dicatur. Demonstratum enim supra fuit, nos talium præsentire nihil posse, nisi à sua causa, vera & proxima, à qua nimirum habet, ut hoc sit & tale sit, quale & quod est, produci efficique iam cognouerimus. Quod si ex propriis non antè prædicere licet, quomodo ex generalibus, communibus, longinquis, quæque effectus illos per se non pariunt, sed solummodo per accidens, prævidebuntur sequutura? Certe supra quam dici possit
aburdè

absurdè fallitur, qui in talibus causis hos euentus intelligi censet: quod tamen Astrologia profite-
tur. Quamobrem nihil aliud est ista Astrologiæ
species, quàm inane impiumq; figmentum. Ete-
nim solius Dei est hæc prænouisse, qui non videt
effectus in suis causis eo modo, quo nos videmus;
sed æquè eos videt præsentis atque causas, nec
præterita vel futura minùs habet præsentia præ-
sentibus. Quippe non est apud ipsum discrimen
inter præsentia, præterita & futura, sed sunt ipsi
omnia similiter præsentia. Quocirca abutitur si-
deribus Astrologia, dum ex ipsorum motibus, si-
tu, & efficientia diuinare iubet, ad quod à Deo
facta institutaq; nunquam fuerunt.

Libet autem hoc loco recensere breuiter, quæ
D. Augustinus in hanc sententiam scripsit. Re-
censebo autem ea solùm quæ in 2. lib. de doctr.
Christiana leguntur. cap. 21. hæc habentur: *Neque
illi ab hoc genere perniciosæ superstitionis segregandi
sunt, qui Genethliaci propter natalium dierum consi-
derationes, nunc autem vulgò Mathematici vocan-
tur. Nam & ipsi, quamuis veram stellarum positionẽ,
quum quis nascitur, consèctentur, & aliquando etiam
peruestigent; tamen quòd inde conantur vel actiones no-
stras, vel actionum euenta prædicere, nimis errant: &
vendunt imperitis hominibus miserabilem seruitutem.*
Deinde in principio 22. cap. ita scribit: *Sed ex ea
notatione velle nascentium mores, actus, euenta prædi-
cere, magna DEMENTIA est. Et apud eos quidem,
qui talia dediscenda didicerunt, sine vlla dubitatione
refellitur hæc superstitio. Constellationes enim quas vo-
cant, notatio est siderum, quomodo se habebant, quum ille
nasceretur, de quo isti miseri à miserioribus consuluntur.*

In fine cap. ita concludit: *Quare ista quoque opinio-*
nes, quibusdam rerum signis humanam presumptione
instituta, ad eadem illa quasi quedam cum Dæmoni-
bus pacta & conuenta referenda sunt. Idem mox plu-
ribus in cap. 23. agit.

Vides ergo, Stathmion, rectè ac verè me dixisse, *Astrologicam diuinationem non ideo naturalem*
posse existimari, quia naturalium corporum affectiones
consideret. Hucusque; naturalem esse cum beato
Augustino facilè libèterque; concedimus. At quum
has corporum naturalium affectiones, signa vel
causas facitis euètuum contingentium, non am-
plius naturalia corpora verè ac naturaliter consi-
deratis, sed vestrum nobis commentum obtrudi-
tis. Non enim natura causæ aut signa sunt talium,
sed humana præsumptione, vt loquitur Augusti-
nus. Quoniam verò talia signa ex pacto vel aper-
to vel occulto Dæmonum aliquid tale nonnun-
quam indicant, non veretur idè affirmare, Astro-
logiam hùc esse referendam. Ex quo manifestissi-
mè apparet, damnandam esse istam diuinationem
siue Astrologorum ex sideribus hariolationem.
Quocirca frustra conantur Astrologi suam ex astris
diuinandi rationem ex numero impiarum & ve-
titarum artium eximere, ea re vel ratione moti,
quia naturalia corpora sint sidera, naturalesque
eorum sint motus. Negamus enim Deum aut na-
turam hoc sideribus inservisse, vt suis istis moti-
bus aut insitis viribus, futurorum taliù signa sint
vel causæ propriæ. Non enim naturale est, quic-
quid naturali corpori fingitur adesse; neque pos-
sunt naturalium rerù actiones illud omne signi-
ficare, quod vnusquisque; significare ipsas somnia-
uit ac

uit ac voluit. Qui aliter sentit, admittere illud etiam velit nolit, cogitur omnino, auium volatum, garrum siue cantum, gestum, & patum posse futura contingentia præsignificare, ideoq; Augurium diuinationem esse naturæ consentaneam, adeoq; non illicitam. Ratio eadem est Extispicii, Geomantiæ, Pyromantiæ & aliarum similium vanitatum à Deo seuerissimè prohibitarum. Sic rectè Romani & Gentes aliæ auguratò & auspikatò omnia egerint: ac ratio quærenda fuerit, qua non malè ipsas à Deo damnatas esse doceamus. Loquor de Augurii speciebus, vt olim in vsu fuere, non de obseruatione gestuum quorundam, qui mutati aëris sunt indices & effectus, atque ideo causam nobis adesse iam ostendunt sic propemodum, vt fumus indicat ignem adesse, quamuis nõ æquè illorum gestuum, atq; fumi, causa omnibus nota est.

Quæ vsq; huc disputauimus, vel magnam arguunt eorum ignorantiam, qui ea nõ potuerunt ex tota disputatione Sauonarolæ intelligere, vel supinam produnt negligētiam, si ea non student cognoscere, & confutare nihilominus tentant. Vnde non est mirum, ab eis frequenter dici res longè absurdissimas, vt qui nec se nec alios intellexisse videantur. Cæterum postquam exposita sunt, quæ generatim dicenda de hac re videbantur ipsius particularia quoque examinabimus, vt qui sanabiles sunt, faciliùs istius dogmatis vanitatem intueri & cauere possint. Non ero tamen in confutandis quibusdam Aristotelici illius dicti immemor; ἄτοπον γὰρ ἀσφάριεν λόγον τοῖς λόγοις μείδεν δεινότητι, ἄλλὰ καὶ πείθει.



DEFENSIO PRIMÆ PAR-
TIS LIBRI HIERON. SAVONA-
ROLÆ aduersus CHRISTOPH.
STATHMIONEM, Medi-
cum Coburgensem.

C A P. I.

SAuonarolæ argumentum in hoc capi-
te tale est: Futurorum contingentium
præscientia illius solius intellectus est
propria, qui absque tempore vniuersa
intelligit, omnia similiter præsentia tenet. Is au-
tem absque tempore solus intelligit omnia, qui
tempore non mensuratur, vt loquuntur Philoso-
phi, hoc est, qui æternus est & infinitus. Nam qui
tempore mensuratur, ita res intelligit, vt fiunt.
Fiunt autem vna post aliam, successione qua-
dã. Quocirca intelligit solummodo successione
temporis, id est, non simul omnia, sed vnum post
aliud. Cæterum constat nullum creatum intel-
lectum esse æternum & infinitum, aut in sese o-
mnem temporis mensuram conclusam tenere.
Proinde non poterit vllus creatus intellectus fu-
tura præuidere, quorum causas prorsus nescit,
hoc est, quæ nullo modo, neque apertè neq; ob-
scure nouit. Quippe suprâ declaratum est quo-
modo interdum ex obscure cognitis causis, aut
factæ rei indiciis, futura quodammodo prædicã-
tur. Ex his concluditur, solum Deum futura hu-
ius ge-

ius ge-

ius generis scire. Hac de causa Diuinatores omnes in sacris literis damnantur, (quos ita appellent, supra explanatum fuit) propterea quod sibi soli Deus hanc scientiam reseruauit, & tantum cuique reuelat, quantum, quomodo, & quando libet. Proinde sic argumentatur Elaias in persona Dei, cap. 41. 44. & 48. *Quisquis futura nescit, Deus non est: Idola uestra futura ignorant: Idola ergo uestra non sunt Dii.* Item hoc modo: *Qui futurorum præsciens est, etiam Deus est: Uestra Idola non sunt Dii: Ergo futura præsignificare uobis nequeunt. Prodeant, inquit, & annuncient nobis futura, & fatebimur Deos esse.* Denique vbicunq; scriptura diuinatores reprehendit, eos intelligit qui absque peculiari inspiratione diuina de contingentibus futuris prænunciant eo modo, quo supra fusè indicatum est. Adfert alia quoque argumenta, quæ quum intacta reliquerit Stathmion, frustra hîc repeterentur.

Ad hæc ita respondet Stathmion, Scripturam non de usu, sed de abusu Astrologiæ loqui. Deinde, non requirere Prophetam ab Idolis siue Dæmonibus in illis loquentibus prædictionem alicuius rei naturaliter euenturæ, sed præensionem talis rei, quæ ex peculiari Dei consilio præter naturæ ordinem sit futura. Quàm autē varia sit prima illa responsio, facile est intelligere. Nisi enim Diuinandi modos omnes & totos damnet Prophetæ, nihil concluditur hoc argumento. Atqui supra ostensum est, non partem aliquam huius Astrologiæ, sed totam esse Diuinatricem. Vnde confectarium est, totam, quatenus uidelicet Diuinatrix est, damnari Prophetæ, imò Dei ipsius.

met verbis. Præterea liquet nihil esse ad argumētum Sauonarolæ responsum.

Quod deinde subiicit, Prophetam non de talibus loqui euentibus, qui naturali modo eueniunt: hoc primū arguitur falsum esse ex ipso cōtextu. Etenim nō speciatiim, sed generatim profus loquitur de futuris. Ait enim, *Prænuuncient nobis aliquid antequam euenierit, seu fieri atq; esse certo modo inceperit.* Non arbitror tam esse vllum vecordem & amentem, qui non intelligat ratiocinationem Prophetæ institutam fuisse de futuris contingentibus & particularibus euentibus. Quippe nihil admodum probet ratio, si de necessariō euenientibus, aut illis etiam contingentibus accipiatur, quæ fieri atq; esse iā aliquo modo cœperunt. Vt enim horum etiam prædictio incerta sit, propterea quòd nonnunquam quæ cœpta sunt fieri, vel non perficiuntur impediēte causa aliqua, vel antè corrumpuntur, quàm minus exercitatis & perspicacibus innotuerint; sæpissimè tamen & vt plurimum incremento accepto rudibus etiam patefiunt. Loquitur ergo Prophetæ de talibus, qualia fatagunt scire homines, & qualia tunc à suis Diis falsis sciscitabantur idololatræ. At interrogabat vnusquisq; de sua fortuna & infortunio, de morte & vita, de felici vel infelici consiliorum & conatum successu, de vxoribus, liberis eorumq; fortunis, de morbis, valetudine, & vt semel totum dicam, de talibus, de qualibus hodie etiam cōsulere cū Astrologos, tum alios vates solēt homines imperiti, & in pietate non satis probè instituti. Quod vt sit euentius, scopus Prophetæ considerandus est.

Floruit

Floruit & prophetauit Esaias temporibus Regum Achæ & Manassis, à quorum ultimo immaniter necari iussus scribitur, nempe ferrâ dillectari. Hi quum à Dei cultu discessissent, atq; Aruspices, Augures, aliosq; Ariolos palàm admitterent, probarent, colerent, autores facile fuerunt populo ad superstitiones & impietates sua sponde proliui, vt eosdem magni faceret: nec ab his solùm, verùm etiam ab Idolis, quæ in locis excellis passim colebantur, exitum & successum rerum tum publicarum tum priuatarum quæreret. Propheeta ergo quum eos ab hoc studio reuocare vellet, inter alia argumenta hoc etiam vrget, Futura talia, quorùm præscientiam ab Idolis & Vatibus impiis discere studerēt, soli Deo vero, & præter quẽ Deus nullus esset, cognita esse: At Idola eorum eiusmodi ignorare: Proinde perperã ea p̄ Diis coli: & frustra ab illis futura interrogari. *Præfagiã nobis aliquid, inquit, vt an ita sit euenturum obseruemus, & diuinitatis eis cuiuspiam testimonium præbeamus.* Quum aliquid iubet prænunciare, nec definit quale id sit; intelligi profecto de illis debet, quæ præscire ipsi maximè tunc volebant.

Ex prædictis perspicuè cernitur, non rectè dici quod Stathmion respondet. Sanè qui à 41. cap. Esaiæ vsq; ad 48. caput singula perpendere volet, intelliget Deum hoc argumentum seriò vrgeri, vt nobis minimè negligendum videatur. *Præter me, inquit, Deus non est, nec honorem meum alteri concedam. At præter Deum nullus futura contingentia nouit. Proinde solus ego futura præscio.* Et qui horum præsentationem (eo modo, quo expositum est) sibi arrogat, de meo me solio deturbare

conatur. Equidem solius Dei hoc esse, futura cō-
tingentia multò ante ipsorum exortum prospici-
cere, omnes eruditi Philosophi peruiderunt, vt
suprà quoq; monui. Quamobrem mirari nemo
debebit, quum apud omnes vetustos Patres & sa-
cro sanctæ scripturæ pios interpretes antiquiores,
legit Astrologiam impiam esse & superstitiosam
hariolationem. Scribunt. n. iidem, & quidem re-
ctè ac verè, ne Dæmones quidè futura aliter præ-
cognoscere, quàm modo à nobis suprà satis fusè
declarato. Profectò quæ prædixisse feruntur ali-
quando, aut perfecerunt ipsi, & antequam age-
rent futura prædixerunt; aut alibi in loco remo-
tissimo facta, alio in loco, in quo sciri nondū pos-
sent, narrauerunt; aut ita ambiguè & dubiè pro-
posuerunt, vt in quamcunq; partem res caderet,
in eandem torqueri prædictionis sensus posset.

Audire velim, quid ad sententiam Solomonis
in Ecclesiaste responsurus sit Stathmion; an illa
quoque de peculiari consilio diuino sit accipien-
da. Certè quum de aduersis rebus quæ homini-
bus in tota hac miserabili vita accidunt genera-
tim differit, affirmat homines non posse futura
præsentire. Quis nouit, inquit, quid sit homini
bonum in vita, toto eius vitæ inanis tēpore, quod
vibræ ritu transigitur? Aut quis indicabit homi-
ni, quid post ipsum sub sole (siue in hac terra) sit
futurum? Iterum cap. 8. idem propemodum his
verbis repetit: *Homo multis afficitur malis, utpote qui
quid futurum sit ignoret. Nam futura quis ei significet?*
Perinde est igitur ac si diceret, nullum inueniri
medium, quo futura perscrutemur, quæ solus
Deus habet cognita. Quòd si per astrorum ob-
serua-

serua-

seruationem, aut methodum aliam naturalem quamlibet præcognosci potuissent, pessimè Solomon quæ iam diximus affirmasset. Nec illud verum foret, quod mox, cap. 10. idem scribit: Nescire homines quid sit euenturum antequam scilicet fiat; & quid eos secuturum sit in apertum eis esse, atq; à nemine annunciari ipsis posse: sed ita penè hominem ad hæc affectum esse, sicut stultum, qui in urbem ire cupiat, quum tamen viam ignoret. Deterior autem est illorum quàm stultorum ad urbem contendentium cōditio; quòd facilè hi reperiant qui viam monstrent, illi indicem inuenire nullum possint. Hæc profectò pulcherrimè & diuinissimè consentiunt cum tota scriptura, cum vniuersa veritate, cū Philosophorum eruditissimorum omnium sententia, quemadmodum iam suprà commonui.

At verò, dicet forsan Stathmion, Solomon putandus est loqui de solis illis, quæ Deus hominibus immittit, non de illis quæ virtute & efficientiâ naturalium causarum cuiq; accidunt. Ego verò istam obiectionem nihil moror. Quippe si à Deo inchoemus, omnia ex ipsius decreto nobis eueniunt. Deinde satis iam est ad hoc responsum, quum Solomonem constet generatim loqui de cunctis rebus homini euenientibus toto eius vitæ tempore. At tamen ponatur iam ipsum non de aliis loqui. Interrogabo nunc ego vicissim aduersarium, an ea de quibus Solomonem loqui putet, ita credat accidere hominibus, vt contra & præter naturæ ordinem ac modum contingāt; an verò Deum ista per naturales causas vt media vel instrumenta introducere & efficere existimet.

Quæ sic immittit Deus, vt quū Angelus vnâ nocte tot hominum millia in exercitu Sennacherib interfecit; vel vt ad tubarū sonitum muros Hierichuntis deiecit; vel vt Ægyptios sub Mose afflixit ac perdidit: ea certum est nullâ arte vel methodo præsciri posse. Vix igitur arbitror Stathmionem prædictos locos de talibus solis accipiendos esse, credere. Quare sequitur, vt de illis eos intelligi putet, quæ Deus hominibus per media naturalia, siue bona ea sint, siue mala, immittit.

At si posset homo futura contingentia, quæ vi naturæ eueniunt, arte aliqua præuidere, posset vtique ea quoq; præuidere, quæ Deus efficit, naturalibus causis vt instrumentis vtens. Quomodo enim non hæc ita in suis causis prænoscerentur, sicut illa præsentuntur à sapiētibus, quæ homines agere decreuerunt? Nō hîc patet illud *efugium, naturales causas agere præter suam naturam*. Ponimus enim, vt verè viuere cernimus, Deū talia per naturales naturalium causarum actiones efficere, dum circumstantiis tales coniungit, quales proposito perficiendo aptas esse vnus ipse nouit. Esto, Deus statuerit bello vlcisci gentis alicuius scelera, & iniquè facta, quòd sæpissimè fecit. Hoc bellum præcedent vicinorum principū vel urbium ac gētium simultates, rixæ, bellici apparatus, & deniq; omnia, quæ bellum quodlibet anteire solent. Sic quum pestem immittit Deus, atque modo naturali eam accendit, tempestates atq; alias causas malignam putredinem gignere valentes præmittit, à quibus solis fortuito & casu quodam malum hoc excitatum impii autamant; quum interim pios non lateat, Deum esse eiusdē autorem

autorem

autorem primum, ipsiusq; voluntate ea concurrisse, ex quibus est virus illud natum. Ob hanc causam imperscrutabilia homini esse talia censuerunt eruditi, quòd viderent nullis naturalibus causis accidentales istas causas cogi posse, sed vel fortuitò ita conuenire, vel diuina virtute congregari.

Proinde siue naturali quadam ratione, nobis tamen ignota, (quod perinde est, ac si dicamus fortuitò) hoc modo non alio concurrere causas istas, quæ per accidens ita coeunt, putemus; siue diuinâ virtute cogi & coniungi eas, id quod verû est, arbitremur: illud semper constat, non posse hoc modo conuenientium causarum effectus longo tempore priusquam fiant, præsciri. Equidem ille solus congressum istum causarum per accidens nouisse potest, qui coniungere & confociare eadem ad certæ rei procreationem potest. Quocirca patefactum iam est, duo effugia, per quæ elabi hinc conatus est Stathmion, frustra ab eo quæsitâ esse. quin nobis potiùs occasionem dederint futilitatem istius dogmatis planiùs & pleniùs declarandi. Ergo cæteris, nempe iis, quibus conuiciatur solùm & nos deridet, omissis, ad alterum caput progrediemur.

C A P. II.

IN præsentî cap. probat Sauonarola vetustos & orthodoxos Theologos omnes Astrologiâ diuinatricem execratos fuisse. Ad hoc respondet, ab usum eos, non vsum reprehendisse: & si vsum etiam reprehendisse reperiantur, id eos citra scripturæ autoritatem facere, ideoque audiendos

non esse. At verò satis est in ipso opere, & aliqua ex parte à nobis etiam suprà demonstratum, sacras literas & in iis Deum ipsum, omnem Diuini modum, (extra eum quo Diuinitus inspirati quidam ea prælagiunt, quæ Deus inspirauit) vnà cum Astrologica diuinatione damnare ac detestari. Meritò igitur antiqui Scripturæ interpretes ad vnum omnes summo consensu eam reiecerunt, & Diaboli esse inuentum ad ignominiam nominis & honoris diuini ab impuris spiritibus excogitatum tradiderunt. Quisquis enim sibi arrogat, quod soli sibi conuenire Deus voluit ac testatus est, Dei gloriæ & honori eo ipso tantum detrahit, quantum eius sibi attribuit. Atqui blasphemia est, Dei sibi proprietates adscribere, quocumque prætextu id faciant homines. Si testimonia antiquorum Doctorum siue patrum huc adscribere vellem, ingens mihi opus nasceretur. Quin velex vno Augustino, qui multum ea principio fuit delectatus, & eandem postea compluribus in locis acerrimè confutauit, librum integrum possit quispiam colligere. In præsentem hoc loco sufficit monuisse, ad vnum ferè omnes, qui mentionem eius fecerunt, quod à plerisque est factum, eam improbare, ridere, execrari; non quia multi abutantur, sed quia sit à Dæmonibus excogitata & à Deo prohibita. Has enim Tertullianus cap. 36. Apologet. contra gentes, neglectæ à Christianis Astrologiæ causas duas adfert. Augustinus in quadam quaestione de hac re sic scribit: *Fugiendum omnibus modis ab hac arte monemus. Curiosus etenim eius inimicus Dei sunt. Et sine sollicitudine nunquam sunt. Semper enim suspensi expectant, quod minime certum sciunt.* Et in principio eiusdem

eiusdem

eiusdem quæstionis sic orditur; *Nihil tam contra Christianos, quam si arti Matheseos (intelligit Astrologiam diuinatricem. de ea enim disputat, quæ tunc Matheseos nomine ornabatur.) adhibeantur curam. Hæc enim inimica dignoscitur Dei legi.* Origenes Adamantius insignis Philosophus homil. 12. super librum Num. monens baptizatos, vt promissionis suæ in baptismo, ac renunciationis factæ diabolo memores esse velint, inter cætera hæc etiam scribit: *Non enim vltra sumet fidelis poculum discipline Diabolicæ, non Astrologia, non Magica, non ullius omnino doctrine, quæ contra Dei pietatē aliquid doceat.* In his verbis palam numerat Origenes diuinatricem Astrologiam inter artes Diabolicas contra pietatem institutas.

Debebat Stathmion hoc saltem apud se cogitare, antiquos illos viros fuisse homines eruditissimos, & in Philosophia plurimum exercitatos, eoq; non omnes tanto consensu temere damnatos fuisse quod Philosophia probaret naturale esse; quum præclare nouissent, sacras literas non tollere quæ bona sunt in natura. Deinde nõ fuisse eos absolutè totam artem vt impiam refutaturos, nullâ mentione vsus vel abusus facta, quod in arte alia nulla fecissent. Præterea aliquot ex ipsis, antequam ad Christum conuersi fuissent, peritos & exercitatos in talibus nugis fuisse, at, veritatē cognita libenter vt impias fabulas abiēcisse. Postremo vix probabile videri posse, nullam in sacris literis euidentem habuisse prohibitionem Astrologicam diuinationem, quæ summo ab omnibus consensu esset damnata. Aliqui huc vsq; processerunt, quod mihi tamen non probatur, vt

H

Astronomiam quoque noluerint illos discere; (quanquam vtilem ad loca Scripturæ nonnulla interpretanda) qui sacrarum literarum se studio dedidissent, propterea solùm, quòd metuerunt ne ab hac delaberentur ad illam, propter vicinitatem. Huius sententiæ Augustinus fuit in 2. de doctr. Christ. cap. 29. Legi etiam Sebast. Martyr. Chromatio præfecto exprobauisse, quòd instrumentum, in quo mechanica arte stellarum motus proponebatur, (in cuius fabricam pater Traquillinus 200. auri pondo, & amplius, expenderat) non fregisset, atque adiecisse: *Hæc ars inimica Deo cognoscitur. Christiani ita recusant, ut non solum ipsi non audiant, non credant, non colant, non teneant; verùm nec illos amicos habeant, qui huiusmodi nugis suam occupant pectus.* Tandem ait se reuelante Christo vanissimam & falsam cognouisse. Sed hæc obiter. Illud argumentum non videtur negligendum, quòd eruditiss. & sanctiss. scripturæ interpretes cuncti eam damnarunt: illi etiam, qui eius non fuerunt ignari. Certè non conuenit semper inter eos de controuersis nonnullis, quorum decisio minus est apertè & dilucidè in sacris literis proposita. Vbi concordant, manifestam fermè habet sententia in sacris literis probationem. Hæc si cogitasset Stathmion, minus absurdè respōdisset.

CAP. III.

ARgumentis duobus oppugnat Astrologiam in hoc cap. Sauonarola. Primū hoc est: Sentiant Theologi Dæmones acutissimos & sagacissimos spiritus, perfectam obtinere artium naturalium cunctarū notitiam, & siderū positus ab (q; instrumentorum ope, ut qui prope ipsa oberrent, certius

tertius cognoscere ac videre quàm mortales qui in terra existunt; nec tamè illi futura ex astris præsentant, vt supra ex Esaia demonstratum fuit. Ergo minus multò Astrologi, homines plerunque inerruditi, & motus astroꝝ longè minus habentes cognitos & exploratos. Alterum tale erat: Idem sentiunt beatos vim causarum naturalium multò melius intelligere, quàm homines in terra adhuc degentes, & præerea ordinem vniuersum pulchrè nouisse; nec scire tamè futura, nisi quantum & quando Deus illis patefacit. Igitur ne Astrologi quidem norunt.

Ad hæc quid tandem Stathmion? Incomperum nobis esse; vtrum spiritus, præsertim beatorum, siderum motus cognoscant nec ne, atque contrariū esse Religioni, si quid nouisse mortuorum animæ putentur. hac enim noticia niti mortuorum inuocationem. Vtrum verò mortuorum inuocatio stabilietur, si beati rerum naturam, essentiam, ordinem & potestatem intelligere putentur; non est necesse hîc disputare. Certè non ideo tantum non sunt inuocandi, quia nō norunt nostra; sed quia solus Deus inuocati vult, vtpote qui solus nostros gemitus intelligat, & solus remedium nostris malis adferre possit. Alia etiam est notitia, de qua hîc Sauonarola loquitur, ab ea quam in Sanctis esse oporteret; siquidem inuocandi forent. Postremo non loquitur tantummodo Sauonarola de animis mortuorum, sed etiam de Angelis, & cunctis videlicet spiritibus: nullius ergo momenti sunt ista quæ adfert Stathmion. quod quum ipse animaduertisset, aliam adfert responsionem:

Hoc, inquit, posito, spiritus nouisse siderum vires atque motus, non sequitur tamen homines nihil horum scire posse, quum in vsum mortaliū præcipuè creata sint. Atqui, Stathmion, non hoc dixit Sauonarola, nihil homines percepisse de viribus & motibus siderum. Argumenti ipsius sensus hic est: Beati spiritus atque etiam mali, virium atq; motuum siderum totiusq; cœli infinitè sunt scientiores omnibus Astrologis. At ex scientia illa exactissima nihil possunt præuidere futurum. Ergo ne Astrologi quidem ex cœlo de futuris contingentibus (de his enim solis est controuersia) diuinare possunt. In eo consistit argumenti vis, quomodo Dæmones, si vires astrorum acutius, melius, penitus, certius norunt, quinimo nihil nesciunt in hac parte, quod Astrologi sciant, non possunt tamen istâ scientiâ futura diuinare; aut quo pacto diuinare ex eadem ista notitia multò imbecilliore, imperfectiore, ac magis mutila poterit vel Stathmion vel alius ex ipsius grege. Certè acutius, puto, ratiocinari & ex causis effectus ducere didicerunt Dæmones. Quippe intelligentiores, ingeniosiores, astutiores, agiliores, sagaciores & exercitiores tanto rerum omnium vsum tot millium annorum spaciò facti sunt, quàm ut Astrologis hic cedant, ineptis plerisq; & imperitis hominibus. Rursus ergo friuolum est hoc responsum.

CAP. IV.

IN presenti cap. docet Sauonarola Astrologiam à legibus Ecclesiasticis damnatam, & à Cæsareis legibus sub pœna capitis prohibitam esse. Stathmion impios tantum abusus & diuinationes sub prætextu

prætextu Astrologiæ exercitas, non verò Astrologiam prohiberi ait. Equidem non abusus, cuius in legibus nulla fit mentio, (nusquam enim in illis reperitur vsus distinctus ab vsu) sed ipsa tota Astrologia damnatur. Vt Pontificum decreta omittere, in Toletano quodam Concilio inter cætera decreta hoc etiam inuenitur: *Qui Astrologiæ credendum dicet, anathema sit.* Audis Stathmion Astrologiæ non esse credendum, siue ea vti siue abuti velis? Quanquam quomodo mendacissimâ vanitate à Deo seuerissimè prohibitâ rectè vti possis, non video.

Quod ad Cæsarum leges attinet, reperiuntur ex lib. 9. Cod. tit. de Maleficis & Mathematicis. Lex 2. sic habet: *Artem Geometriæ discere atq; exercere publicè interest. Ars autem Mathematica damnabilis est & interdicta omnino.* An hoc significat, Stathmion, abusum tantùm reprehendere, quum damnabilem & prohibitam esse ipsam artem ait, nulla abusus illata mentione? Ars, inquit, Mathematica, non autem abusus artis, est damnabilis & omnino interdicta. Constat verò per artem Mathematicam intelligere legislatorem Diuinatricem Astrologiam. Etenim cœlestes isti vates, vt fallerent incautos facilius, honestum hoc nomē ei indiderant, professoresque illius *Mathematicos* nominabant: id quod ex suprâ citato Augustini testimonio manifestum est. Veras Mathematicas disciplinas hîc non vetari, id demonstrat euidenter, quòd Geometriam discere atq; exercere publicè interesse scribit. Vaticinatricem autem Mathematicam, hoc est, sideralem Astrologorū haeriolationem, neq; disci vult, neq; exerceri. Quip-


pe si omnino est interdicta, nec discere eam, nec exercere licet. Quinimò lege 5. vetatur aperte, ne quis M. thematicum consulat: *Nemo, inquit, aruspicem consulat, aut mathematicum nemo hariolum.* Mox addit: *Sileat omnibus perpetuò diuinandi curiositas Etenim supplicio capitis ferietur gladio ultore prostratus, quicumq; iussis nostris obsequium denegauerit.*

Hic iterum vides, Stathmion, Astrologiã sub diuinandi curiositate cõprehensam (nam dilertè inter alias supersticiosas hariolationes ponitur, eademq; sub pœna interdicitur) & omnino prohibitam. Si perpetuò & omnibus silere debet, nõ iam ei loqui, iam non loqui concessum est. Quòd si & hïc excipias de abusu legem loqui: demonstrare te oportet, vel aliter eam de Mathematica, & aliter de Aruspicina, Augurio & cæteris vanitatibus loqui, vel in his etiam abusum tantum damnari. Atqui nullum facit lex inter has omnes discrimen, sed eodem modo præcisè iisdemque verbis de omnibus simul comprehensis absque omni exceptione loquitur: nec abusum solum Aruspicinæ, & c. damnatũ dicere audebis. Frustra ergo de Astrologia hoc profers. Deinceps autem lege 7. omnem dubitandi occasionẽ penitus eximit Imperator, dum Mathematicos cæteris maleficis annumerat, sic scribens: *Si quis Magnus vel magicis carminibus assuetus, qui maleficus vulgi consuetudine nũcupatur, aut hariolus, aut certe Augur vel Mathematicus, aut enarrandis somniis occultans artẽ aliquã diuinand., aut certe simile horũ aliquid exercẽs, in comitatu meo vel Cesaris fuerit deprehensus, presidio dignitatis exutus, cruciatus & tormenta non fugiat. Si verò conuictus fuerit, & proprium facinus detegentibus repugna-*

*ripugnauerit pernegando, sit eculeo deditus, unguisq;
sulcatib⁹ latera, proferat pœnas proprio dignas facinore.*

Sed, quæso, dic mihi Stathmion, vbinam legisti à viris doctis artem aliquam vtilem & honestam repudiatam propter abusum eiusdem, nulla abusus mentione facta? Plinius scribit Catonem olim Romanis consuluisse, ne Græcorum Medicinam admitterent. Causas aduicit, cum alias, tum hanc, quia iurarent inter se necare omnes Barbaros medicinâ. Addit etiã Romanos à Græcis proxime Barbaris habitos fuisse. Rem neq; Catonem, neq; Romanos, sed artem Græcorum, qualis tunc erat, vnâ cum moribus ipsorum, damnasse apertè ait. Probat etiam argumento, quia videlicet Cato librum conscripserit, in quo docuerit, quomodo sanitas cõseruanda sit. Sunt hodie permulti qui non nesciunt, Iudæos hoc ipsum agere sub prætextu medicinæ, vbi cûq; oportunitas datur. Quod si ergo Magistratus hoc eis interdicit, neq; exercere amplius artē hãc patiatur, quod sæpe iã est diuersis locis à prudentibus Magistratib⁹ factum, rectè certè faciat. Hic certè non ars medica, sed medicina seu medicatio Iudaica prohibeatur. At verò in superioribus omnibus decretis Imperatorum, ne vnica quidem litera mentio fit vllius abusus; sed simpliciter & absolutè ars ipsa tota damnatur eodem prorsus modo, quo ceteræ hariolationes, Aruspicina, Augurium, Magia, & hisce similes. Idem hoc sacræ literæ faciunt, illamq; iisdē verbis, & sub eadē pœna prohibent, quo hasce vetant: quod cum ex aliis locis, tum ex 18. cap. Deuter. perspici potest, præter eos qui nuper citati fuerunt. Quocirca si hæ absolutè (vsus

videlicet cū ab utroque damnatae sunt à Deo, à Theologis, ab Imperatoribus, atque adeo veris Philosophis; relinquitur illam quoque similiter ab omnibus damnatam esse, & permanere execrabilem semper. Nihil ergo ex his quidē Stathmion obtinuit.



DEFENSIO SECUNDÆ PARTIS
LIBRI HIERON. SAVONAROLA
ADVERSUS CHRISTOPH.
STATHMIONEM, Medicum
Coburgensem.

C A P. I.

IN hoc primo capite secundæ huius partis docet Savonarola, Astrologiam à cunctis eruditis Philosophis omnibus sæculis derisam & vituperatā; aut certè ita neglectam fuisse, ut eam ne nominare quidem in suis scriptis dignati fuerint. Aristoteles sanè nullam naturæ partem intactam reliquit, nihil non scire eorum, quæ scire mortales de naturæ viribus possunt, studuit; nullibi tamen Astrologiarum diuinationum commemorat, aut astra significare hæc posse dixit. Similiter Plato quoque fecit. Qui verò tanquam veram artem aliquando didicerunt, vanitate eius cognita, non modò neglexerunt, verùm etiam riserunt, damnarunt, confutarunt. Nec facilè reperias vllum Philosophum, qui nō apertè damnarit, aut tacitè saltem
fabulam

fabulam esse indicant. Hæc Sauonarola in præ-
senti capite verè ac rectè scribit.

Ad hæc verò quid tandem Stathmion? Non
probari hoc argumento Astrologiam naturalem
esse aut non esse, sed in suspicionem tantum va-
nitatis adduci. Mox ait ad amplificationem &
laudem eius pertinere, quòd ipsam præstantes il-
li Philosophi sub silentio præterierint. Ideo enim
factum hoc fuisse, quòd tantam sapientiam sibi
solis seruare cuperent, nec communem aliis face-
re vellent, sicut hodie quoque non pauci faciunt.
Præterea non posse ex prædictis concludi, an eius
scientiam possederint, quando quidem Astrono-
miam ætate illâ, Platonis videlicet & Aristotelis,
constet exiliter notam fuisse; vnde coniectarium
sit, ne Astrologiam quidem cognitam illis fuisse,
vtpote quæ illa tanquam principio vratur & fun-
damento. Non potuisse ergo Aristot. & Platonē
artem damnare, quam nunquam didicissent.
Quod si aliqui irriserint, complures alios cùm
Græcos tum Romanos Philosophos, adeoque
Imperatores floruisse, à quibus magno in hono-
re sit habita.

Sitne prædictio ex astris naturalis an nō, ex su-
prà disputatis perfacilè intelliget, qui non est o-
mnino rudis. Vtrum eam Aristot. & Plato pro
mysterio & secreta sapientia tenuerint, aliosque
celauerint, æquè facilè intellectu est. Aristoteles,
vt dixi, partes Philosophiæ naturalis omnes ex-
plicauit, aut saltem attigit; nec tamē huius memi-
nit. quæ tamē si vera esset, totius naturalis Philo-
sophiæ pars nobilissima & præstātissima iudicata
meritò fuisset. Itaq; pessimè fecisset Aristoteles,

qui eam reticuiſſet, ac nihilominus videri voluiſſet omnia tractauiffe, præſertim quum tam crebro de cœli ſiderumq; viribus, natura, & effectionibus ab ipſo ſit diſputatum. Adde quòd in ſuis operibus principia, materiam, & argumenta ſuppeditat, quibus omnis Diuination, tamenſi nullius in ſpecie mentionem faciat, validiſſimè & nullo negotio confutetur, quatenus videlicet citra inſpirationem diuinam ita doceat futurorum præſcientiam, vt Arithmetica computationes, vel vt Grammatica, locutionem congruam docet.

Cætèrùm ignoraffe Ariſtotelem Astrologicas negas, falſum eſſe videtur. Etenim Eudoxi, (hic inſignis primùm fuit Astrologus, ſed vbi vanitatè dogmatis comperit, damnauit illam diuinatricem & deriſit) & ſociorum libros perlegit, quod ex Metaphyſ. notum eſt. Præterea explorauit per Magnum Alexandrũ ſcientiam & ſecreta omnia Chaldeorum, qui annis antea plus quadringentis ſummi fuerint Astrologi, vt ex ſacris literis conſtat. Quemadmodum hic Chaldeorum, ſic Plato & Eudoxus Ægyptiorum Astrologiam didicerāt, vt neutram neſciuiſſe Plato non rectè dicatur: quum potiùs verum eſſe, quod dictum fuit, negari nequeat, duos videlicet præſtantiſſimos Philoſophos, & quidem præcipuè Ariſtotelem, indignam iudicauiffe futilem iſtam diuinationem, cuius in ſuis libris mentionem aliquam facerent. Sanè futura contingentia, vt ex antè dictis patet, ſolis Diis nota eſſe crediderunt ac docuerunt; à cœlo & ſideribus, quòd corpora ſunt naturalia, tam non crediderunt ea præſignificari, quàm non ſunt arbitrati talia ab auibus & extis effici & præmonſtrari,

monstrari, siquidem non à Diis moueri & mutari ponerentur. Quid quod ipsemet Stathmion se ipsum refellit? Primum ait Platonem & Aristotelem tanquam arcanum diuinam istam artem, scilicet, celasse; mox addit, eosdem ipsam ignorauisse. Quomodo alios celauerunt tanquam arcanum, quod quale esset nunquam cognouerunt? Quæ de Imperatoribus & aliis quibusdam Astrologiæ cultoribus dicit, supra confutata sunt. Neque id nos negamus inuētos esse tum Imperatores tum Medicos vanitatis huius atq; aliarum amatores. Sed hoc constat, doctos & pios omnes Imperatores eam damnauisse. Adrianum Ethnicum quis miretur fuisse Astrologum? Nō Imperatores, sed viri doctissimi, qui ipsis omni tempore à consiliis fuere, atq; inanitatem putidi dogmatis perceperunt, leges dictauerunt. Neq; hæc solū ratio eos impulisse videtur vt id facerent, sed præterea mandatum diuinum, quod omnes diuinationes exterminare iubet. Cætera huius capituli, quum intacta reliquerit Stathmion, ipse quoque relinquam.

CAP. II.

S Auonarola præfati cap. docet, quod fusissimè, & vt opinor, planissimè ab initio statim expositum nobis memini, *nihil, videlicet futurum cognosci ab homine, nisi in suis causis cognoscatur*: Astrologos porro prædicere tantum futua contingētia, quæ non magis fieri, quàm non fieri queant, si ad captum nostrum referantur: ex quo efficitur præsentiri talia non posse priusquam gigni cœperint. Ex his concludit, ipsos impossibilia conari. Omissis autem illis, quæ & præter rem à

Stathmione hoc loco dicuntur, fuerit hæc respõ-
 sionis summa: doceri quidem à Sauonarola quo-
 modo res quasvis ex propriis causis intelligere
 necesse sit, non demonstrari autem hoc in loco,
 diuinationes Astrologorum de talibus solis in-
 stitui, quorū causæ sint dubiæ, incertæ, ambiguae,
 obscuræ. Cæterum si Stathmion intellexisset quæ
 suprâ disputauimus, aut hæc certè tacuisset, aut a-
 liud effugium quæsiuisset. Etenim de solis futuris
 contingentibus instituta est omnis diuinationo: nec
 vllus vnquam Astrologus, quatenus esset ac dici
 posset Astrologus, vel alia præscire voluit, vel de
 aliis interrogatus fuit; quod quoniam est notius
 ac verius, quàm vt pluribus exponi debeat, valde
 miror illum aduersarium hoc inficiari audere.
 Certe si oportet futura in suis propriis causis præ-
 uidere, vt concedere videtur Stathmion, & istas
 Astrologi neq; norunt, neq; inuestigant, nempe
 futura præintelligere nequeunt.

Imperitissimè quoq; addit, causas ambiguas &
 incertas nihil aliud esse quàm verisimiles causas
 aut coniecturas: vt quum ex vespertina cœli ru-
 bedine coniecimus serenitatem sequentis noctis
 ac diei. Sanè quum iam agere causæ inceperunt,
 non amplius ambiguum aut incertum est an a-
 gant, & vtrum causæ sint; sed tunc quum nondū
 agunt, neq; adhuc scitur, qualibus accidentibus
 & circumstantiis ad agendū sint processuræ. Ru-
 bedo cœli vespertina signum est aëris ab exhala-
 tionum talium copia, quæ pluuiam aut similem
 aliam tempestatē efficere queat, repurgati. Qua-
 re non est hoc amplius dubium, an serenitas iam
 produci cœperit; sed producta & facta iā est, atq;
 etiam

etiam duratura intelligitur, quantisper causa potentior serenitatis causam non vicerit ac debellabit. Profectò aliud est serenitatē hoc modo prædicere, & eo quo Astrologi solēt, qui singulis annis in Ephemerid. suis pronunciant chartis totius anni diebus serenitatem, pluuias, ventos, & similia. Illud non est diuinare, sed quod esse iam incipit ex signo deprehendere: hoc verò est diuinare.

C A P. III.

Sauonarola hoc in loco ex Aristot. testimoniis demonstrat, Astrologiam esse fatuam inanitatē. Aristoteles, inquit, in Metaphys. docet entis, siue rei per accidens nec artem, nec scientiam esse posse. Atqui omnia, de quibus diuināt Astrologi, sunt entia siue res per accidens, non autem per se. Proinde neq; ars neq; scientia esse talium potest. Falsò igitur Astrologi profitentur artem, cuius ope talia præuideant. Hoc idem præterea ex 2. Phys. & ex libro De interpret. scitissimè probat. Nobis autem hîc est satis ea summâtim attigisse. Cæterùm quum entis per accidens artē esse negat, hoc intelligit, non posse causas sciri, an, & cur, quæ per accidens ita conueniunt, vt vnum efficiant, congressura sint ad illius vnus rei constitutionē. Declarat etiam Sauonarola quid vocet *ens per accidens* Aristoteles, hoc ferè modo: Quotiens duæ res nullo naturali vinculo nexæ, & à causis, quæ ipsæ quoq; nullo nexu naturali copulatæ sunt, in subiecto vno conueniunt, siue vnum compositum efficiunt, dicitur hæc res vna, per accidens vna esse. Quotiens autē à natura copulatæ sunt, vt altera sine altera esse nequeat, *ens per se* vo-

catur. Sic homo, rationale, risibile, sensibile, constituitur per se, ut quæ naturali ordine ac nexu indiuisè cohæreant. Musicus autem, qui etiam sit ædificator, vnum sunt per accidens: quoniam musica nihil habet cum arte ædificatoria commune, ut non planè aliud sit ab ea, sicut neq; ædificatoria ad musicam pertinet sic, ut non sine ea esse possit. Eodem modo causæ harum disiunctæ inter se sunt toto, ut dicitur, cælo. Hanc ob rem dicit Aristoteles, musicum & ædificatorem vnum quiddam esse, non per se, sed per accidens. Accidit enim ædificatori, ut simul sit musicus & ædificator. Huius generis omnia sunt, quorum præsaugitionem sibi inscitè Astrologi arrogant. Hunc enim nasciturum ægrum; vel robustum, tardum vel docilem, mitem vel ferum aiunt. Item hunc futurum opulentum, felicem, pauperem, uxorem habiturum vnam aut plures, bonas vel malas, & similia, quæ omnia per accidens concurrunt:

Nunc quid ad hæc Stachmion dicat videndum. Primum concedit ferè de talibus rebus diuinare Astrologiam, quales *entia per accidens* nominauimus; at non de solis talibus diuinare. Probationem quæris? Quoniam, inquit, tametsi diuitiæ, paupertas, solertia, vecordia, & omnino bonum & malum homini accidunt, non tamen ita accidunt, ut quum quis nucem aut denarium inuenit; sed originem suam habent in natura cuiusque hominis, & adhærentia potius sunt quam accidentia, quemadmodum naturalia accidentia omnia rebus, à quibus proficiscuntur, adhærent potius quam accidunt, sicut dolor capitis, vomitus, vigilæ, &c: febri adhærescunt potius quam accidunt.

dunt;

dunt. Et prædicta omnia in natura originem suã
obtinere ex eo patet, quòd ex consideratione na-
turæ hominis multa talia etiam absq; Astrologia
intelliguntur. Vocat etiam Arist. *entia per accidens*
illa solùm, quorum ortus est dubius, non verò
adhærentia. Hactenus Stathmion.

Perturbatiorem Philosophiam an quisquam
viderit, nescio. Quòd propemodum de solis illis
rebus vaticinari Astrologos ait, quæ per accidens
futuræ sunt, probo: quòd non de iis solis omnes
diuinatores sollicitè anxios esse opinatur, im pro-
bo. Cur improbè, suprà perspicuè ostendi. Quip-
pe neq; de necessariis, neq; de naturalibus in ge-
nere consideratis, neq; de particularibus, (quorũ
causæ iam agere cognitæ sunt) ex propriis, veris &
propinquis eorundem causis augurantur. Relin-
quitur ergo eos de solis contingentibus futuris
absq; propriarum causarum notitia hariolari. At-
qui talia vniuersa, sine vlla exceptione, si consi-
derentur vt futura multò antè quàm fieri incepe-
rint, per accidens eueniunt homini. Proinde cõ-
sequitur totam Astrologiam vanissimum esse so-
mnum, & mendaciss. figmentum. Sanè futurum
contingens omne vel procedit (quod ad nos atti-
net) à fortuna & casu, vel ab hominis voluntate,
vel à naturali causa accidentibus infinitè variis
ad certum non alium effectum producendum
determinata. Hanc addo, non vt necessariam &
sub aliis non cõprehensam, sed perspicuitatis cau-
sa, & ne quid omissum calumniatur Astrologus
quispiam: Dei & spirituum non memini, quia
hïc de naturalibus causis tantùm differimus.
Iam impossibile esse ostensum est, ex talis causæ
notitia præscire aut prædicere, quid multo pòst

tempore sit effectura. De cæteris duabus res est euidens ac nota. Quid igitur relinquitur aliud, quàm hoc, videlicet Astrologos de solis rebus per accidens futuris diuinare?

Sed videamus qua ratione contrarium probare tentaret Stathmion. Mala & bona, inquit, omnia non ita homini accidunt, vt denarius qui in via inuenitur: Ergo non faciunt cum homine cui acciderunt ens vnum per accidens; siue non sunt verè accidentiã; siue non verè accidere puranda sunt homini. Nemo, puõ, híc expectat refutationem. Sic probauero Stathmionem capite carere. *Caput Stathmionis non est simile capiti leonis: Ergo quiduis potius est quàm caput.* Ideo autem hæc dicuntur per accidens euenire, quoniam intelligi antequam fierent nequibant, non quia similiter omnia accidunt; sed quia tam varius, tam dissimilis, tam incertus est eorum ortus, ac tam incertæ multæ & variæ horum sunt causæ, vt impossibile sit scire futurane sint, an non sint, priusquam fieri aut facta visa fuerint. In causa est, quòd non à naturali causa, sed à sublimiore coguntur & coniunguntur, quæ naturã sunt omnino dissimilia. Ei ergo nota esse talia possunt, qui, vt talia fiant, efficere potest, hoc est, ei, qui vt tales causæ & taliter coëant iubere solet. Is autem Deus est: Soli ergo Deo, creatæ rei nulli, præcognoscuntur, nisi ille ipse patefecerit.

In hoc autè mihi deceptus videtur Stathmion, quòd non rectè percepit Aristot. sententiam, quã rem per accidens nec arte, nec ratione, nec scientiã cognosci posse asseuerauit ac probauit. Videtur enim sic accepisse, ac si Aristotel. opinatus fuisset

fuiſſet rem nullam, quæ per accidens talis eſſet, ſub artem cadere. Homo ægrotus eſt ens per accidens, quatenus nimirum ægrotus eſt. Atqui ægrotus homo arti medicinæ ſubiectus eſt. Ratio ſimilis eſt aliarum rerum complurium. At verò longe aliud eſt ſi dicam, eorum quæ per accidens facta ſint, nullam haberi ſcientiam: & eorum quæ per accidens futura ſunt, quatenus nimirum futura ſunt, nullam haberi ſcientiam. Medicus rectè inſtitutus, & febris ortum, cauſas, effectus, curationem, &c. nouit. Nouit idem quid humanum corpus ſit, ex quibus, quot, qualibus coaluerit, quantum quidem homini ſcire licet. At ex medica arte non nouit, vtrum & quando hic homo ſit febricitaturus, niſi fortè & illud norit, cauſas febrim accendentes præſentes adèſſe atque accendere iam incœpiſſe: quoniam accidit homini, vè certo tempore febricitet, aut quia in victu peccauit, aut quia cucurrit, aut quia territus eſt, aut quia in ſole vel balneo excaſtus fuit, aut aliud tale perpeſſus eſt:

Ariſtoteles cùm alibi sæpe, tum in lib. 5. *Metaph.* (iuxta Græcorum numerationem) 2. cap. hanc rem præclare exponit. *Ædificator*, inquit, non curat quæ accidere poſſunt domui quam ædificat. Poterit alicui afferre voluptatem & commodum, alii dolorem & damnum, poterit cremari, poterit aliud incommodum accipere, poterit magno vel paruo vendi, & quæ huius generis alia ſunt. Hæc, inquam, quatenus futura ſunt, & nondum eſſe incœperunt, ſcire ædificator ex ſuæ artis principiis nequit. An vero malè aut benè ædificata ſit, an durabilis, vel non futura ſit, ſcire poterit inſpe-

Etis proximis horum causis, vt lignorū contignatione apta & firma, vel inepta & praua, eorundem putredine, infirmitate vel integritate & robore. Aliud ergo est causas, naturam, ortumq; accidentium presentium inquirere; & aliud rursus est an eadem illa, quā nondum sunt, nec dum pronasci cœperunt, futura aliquādo sint, inuestigare. Hoc si intellexisset aduersarius, non attulisset effectus certæ febris, & vigilias, dolores capitis, vomitiones. Alia res est Stathmion, si dicam me scire quid febris ex bilis putredine nata in corpore bilioso plerunque parere consueuerit; & alia iterum res est, si dicam me scire post annum vnū aut plures hominem certum quempiam ex tali febre laboraturum. Hoc impossibile est Medicis atq; adeo mortalib. cunctis, (nisi hæc sit hominis natura, vt tali tēpore quotānis febre corripiatur) illud verò nō item. Rem declarabo alio præterea exemplo.

Si qua mulier tres ordine fœminas peperisset, nullus dubitaret dicere, idā naturalib. causis effectum fuisse. Quæ etsi forsan hîc non sunt notæ, in multis tamen reb. tunc noscuntur, quum autegerunt, aut agere inceperunt. Quæstio in præsentia casu non hæc foret, vtrum sciri possit huius effectus causa, & an ea naturalis sit necne: sed vtrum, antequam nuberet, vel antequam vterum gestare inciperet, præsciri ex causis non proximis potuerit, trium eam deinceps puellarum matrem fore, vt inter has non paritura esset marem. Ad hanc & huius generis quæstiones respondent omnes omnium ætatum rectè eruditi philosophi, præintelligi non potuisse. Causam hanc adducunt inter alias, per accidens euenire, vt mulier aliqua

marem

marem aut foeminam vno tempore potius quam alio concipiat. Accidere nanq; mulieri ea, propter quæ vel mas vel foemina concipitur. Proinde, quum quæ accidere possunt planè infinita & incomperta sint, frustra expeti atq; optari horum prænotionem. Quauis enim hoc est naturale rectè valenti foeminæ, parere liberos; attamen accidit ei, vt tales potius quam aliter affectos quouis tempore pariat. Nam qualitas feminis, locus in quem recipitur, animi affectus, motus, valetudo corporis, aeris constitutio, cibus ac potus qualitas, mod⁹, copia, sanguinis quo foetus nutritur temperies & puritas, impuritas, crassities, tenuitas, & deniq; huiusmodi alia innumerabilia, quorū omnium, (quoad futura sunt) nullam esse *ἄσπιαν*, rationem, artem, scientiam, probauit Aristoteles, conceptū atq; foetum ita variè mutant, vt nec animo & cogitatione comprehendendi, nec verbis exprimi queat. Similiter habet res in aliis, quæ per accidens oriuntur & occidunt. Ex quo liquide apparet, quā hīc sit hallucinatus Stathmion, quū putauit idem esse alicuius rei causas nouisse quū iam existit, & futurū cognoscere ante quā fieri ceperit.

Minus etiam rationi consentanea loquitur Stathmion, quū diuitias, paupertatem, liberos, uxores, honores, ortus sui principium in cuiusque hominis natura habere asserit. Industriæ cuiusq; laboribus, studiis, potius hæc attributa sunt, quā corporis naturæ. Capitis dolorem, vigilias, & similia quædam, adhærescere potius feбри certæ in certo corpore, quam accidere, non eo inficias. Non enim hæc certæ feбри in certo corpore accidunt, sed eiusdem proprii effectus sunt, sic ferè vt

fumus effectus quidam est ignis. At eadem hæc vnà cum sua causa, febre scilicet, non accidere homini pernego. Nec refert, quòd ex consideratione corporis humani intelligimus capax ipsum esse febris, siquidem causa quæ excitare eandem valeat, accesserit. Etenim sciri ab homine vi naturali nulla potest, quando eiusmodi causa in corpore adsit, nisi vrinas, victus rationem, & cæteras circumstantias explorarit. Hæc autem non potest multis annis aut mensibus, sæpe etiam diebus, ad futura cognoscere, sicut nec ædificator accessura domui, quam ædificat, accidentia præintelligere potest. Longe diuersissima sunt, dolorem & vigiliis, &c. homini accidere, & eadem hæc certæ febrì adhærescere, siue certam febrem in certo corpore consequi, vt suam causam consequuntur effectus quidam certi.

Ergo immotum hoc perstat, Astrologos de illis tantùm rebus auguria in cælo captare, quæ futura contingentia plerique & plerunque nominant: Aristoteles autem entia per accidens nuncupat. Certæ quoque & immotæ veritatis sunt duo ista physica pronuntiata. Primum Aristoteles his verbis expressit: τῶν γὰρ κατὰ συμβεβηκὸς ὄντων ἢ ἡσομῶν, καὶ τὸ αἴτιον ἐστὶ κατὰ συμβεβηκὸς. Quippe sic est effectus vt causa. Alterum hoc est: Nullam artem aut scientiam, aut (vt loquitur Aristoteles) ἐδεμῶν θεωρίαν, id est, nullam considerationem esse de illis, quæ per accidens futura sunt. His addatur tertium, quod demonstratum est euidentissimè, Astrologica vaticinia præcinere nobis ea solùm vt futura, quæ per accidens pronascuntur. Ex quibus omnibus, quid necessario efficiatur, nemo non videt eruditus, nempe

nempe Astrologiam absurdissimum esse & fallacissimum somnium.

CAP. IV.

QVoniam Astrologus aliquis contra Aristotelis sententiam obiicere poterat, quæ per accidens euenirent, causa definita & nota ex Aristotelis sententia carere hic subluna, sed, eandem tamen in cælo apparere: occurrit huic objectioni duabus responsionibus Sauonarola. Prima est: Aristotelem dixisse eas carere naturali causa quæ homini posset esse nota, cælumque ex harum ordine non excludere, nec in 2. Physicorum, ubi causarum distinctiones posuit generatim, huius discriminis meminisse. Alios etiam cunctos post ipsum philosophos, eodem modo locutos fuisse, nullumque ex omnibus hanc differentiam vel per somnium attigisse. Altera est: ridiculam esse objectionem, quandoquidem constet causam quamlibet tantò esse magis definitam, quantò sit magis finitima: & tantò indefinitiore, quantò sit remotior. Cælum verò causam esse horum quæ in terris fiunt, remotissimam & generalissimã. Hinc occasionem arripit docendi, ex cælo, vt ex communi cunctis rebus causa, eademq; maximè difflita & maximè interminata, non posse prædici quidquam contingentium; quia talis causa non distinguat effectus, nec per se absque secundis & proximis causis quidquam talium procreet.

Stathmion neutram harum responsionum reprehendit: sed hoc damnat, quod ex inspectione solius cæli particulares euentus sublunares præsciri negatur. Nulla, inquit, necessitate fit, vt quo-

modo cœlum agat disputetur, dum agere in hæc inferiora testatum est cunctis: quemadmodum inutile foret disputare, quomodo, vel quade causa id videatur, quod videri concessum est. Quasi verò eadem sint, cœlum agere in hæc nostratia: & idem hoc eadem illa ita producere, sicut propriæ causæ producunt. Si eadem sunt, vicit Stathmion: si diuersa sunt (vt esse ne quidem Stathmione maior Astrologus negabit, nisi planè sit amens) causâ cecidit Stathmion, vt mox liquebit. Quum apud philosophos disputatur, quomodo fiat visio, probè fecerit aduersarius noster, si prodeat, atque sine causa eos digladiari contendat, postquam de eo inter ipsos conuenerit, nempe visionem fieri. An nondū intellexit Stathmion, aliud esse, si quærat, vtrum aliquid videatur; & aliud rursus, si quærat, quomodo id videatur quod videtur? An visio sit nullus dubitat, nisi fortè cæcus aliquis. At quomodo visio fiat, dubitant eruditissimi quiq; etiã hodie. Quæstio non est inter nos, an cœlum pro sua natura & pro consuetudine naturalis indefinitæ & generalis causæ in hæc inferiora agat, atq; vnamquamlibet rem ita mutet, vt mutari apta est quouis tempore. Hoc quærebatur, an ita esset particularium effectuum contingentium causa, vt ii ex cœlorum siue siderum intuitu prævideri possunt. Hoc est, quod pernegauim⁹ adhuc, non prius illud. Quæ mox de remota & propinqua, externa & interna causa scribit, ad rem præsentem nihil faciūt; & si quid huc facerent, ita tamen ab eo certè testata mihi videtur, vt refutatione non egeant.

Sauonarola sic ratiocinatur: Fieri nō potest, vt
ex

ex notitia causæ longinquæ & communis præuideantur effectus particulares cōtingentes, quos communis illa causa non potest absque secundis causis infinitè variis gignere. Quamobrem non possunt Astrologi ex cælestium inspectione de talibus effectibus aliquid scire. Perinde hoc est, ac si quis inspecto vino, eiusque natura & facultate solùm considerata, dicat hos aliquos, si ad ebrietatem vsque biberint ploratuos; illos verò alios cantatuos, ignota eorum natura & consuetudine. Equidem vinum quum sit vnum, vnicam habet actionem per se, nempe, vt in homine ebrietatem gignat, quum eius nimiam quantitatem hauserit. Ergo hoc tantùm facit vinum, vt videlicet inebriet omnes, qui plus quàm suę naturę conuenit, bibunt. Ebrietas autem vnâ specie, in omnibus à vino vno profecta, vnumquemq; excitat ad ita agendum, sicut agere pro suo quisquis ingenio aptus natus est. Sic eadem naturâ & specie ebrietas in vno cātum, in alio fletum, in quibusdam rixas & contētiones, in aliis aliud tale quippiam suscitatur. Ergo vt ex solius vini copiosius hausti consideratione intelligi nullo modo potest, quis sit eiulaturus, aut dormiturus, aut saltaturus, &c. sic ex consideratione solius causę communis, qualis cælū quoq; est, impossibile est cognoscere effectus particulares, quos producit necessariò tot ac tam varios, cū quot & quam variis secundis causis cōiūgitur, priusquam eos producere iam inceperit.

Exēplum quò res sit dilucidior adferam aliud æquè notum. Subiiciuntur nōnunquam glōciēti gallinę vni diuersi generis oua, videlicet gallinacea, anserina, anatina, &, si libet, etiam alia. Sæpe his

admiscetur casu hypenemia, seu vetusta, seu alia de causa inutilia & sterilia reddita. Incubat his omnibus gallina vna, & suo calore vno & eodem pariter omnia fouet calefacitq;. Etenim nō aliter vel alio calore oua gallinacea, & alio deinde anserina, atq; alio rursus infœcunda vel anatina calefacit; sed vnico omnia ex æquo calefaciens ac fouens, ex aliis pullos gallinaceos, ex aliis anserculos, ex aliis anaticulas excludit, reliqua verò corrumpit ac putrefacit. An est ita aliquis demēs, qui se ex consideratione solius gallinæ, aut caloris quo fouet oua, ignorata subiectorum ouorum diuersitate & natura, credat prædicere posse, quosnam & quales pullos sit exclusura? Aut putabitne aliquis se ex caloris oua excludentis notitia prælagere posse, ex quib. ouis pulli albi, nigri, vegeti, morbofi, &c. sint nascituri?

Quemadmodum hęc gallina vnico calore, quę similiter omnibus ouis impertit, diuersissimi generis animalia, pro diuersitate ouorum ei subditorum producit; ex aliquib. autem, nempe ex infœcundis vel subuentaneis, nullum animal excludit, sed eadem corrumpit: sic cœlum & sidera virtute & calore suo quasi incubantia his rebus terrenis, easdem fouent æqualiter omnes, quantum in ipsis situm est, hocque modo vnica facultate, quam singulis momentis immittunt his terris, res diuersissimas proferunt. Etenim vt vnus & idem calor gallinæ insitum ouorum calorem roborat, auget, excitat, inque actum deducit, ac deinde vnusquisq; pro insitis sibi virib. agit; ita cęlestes virtutes ingenitum rebus naturalibus cunctis calorem excitāt, erigunt, confirmant, & in actū perducent.

cent.

eunt. Hoc facto, singuli in subiecta sua ita agunt, quemadmodum à natura siue Deo agere sunt iusti. Atque vt gallina incubans calorem steriliu ouorum ineptum quidem ad formandum pullum, ouo tamen conseruando idoneum, corrumpit; sic cœlestis etiam calor quædam animat, quædam interficit, vt nimirum vnaquælibet res apta vel inepta est ad susceptionem caloris illius. Consideret qui volet cognoscere, hyeme rerum omnium calorem valde imminutum, & veluti semimortuū, eundem accedente vere reuiuiscere & quasi renasci auctum, ac deinceps pro sua natura strenuè sine quiete officium suum peragere. Vtrobique ergo actus tantum insito calori datur, non natura interitur, quam antea res omnes & singulæ suam habebant propriam & peculiarem. Nec potest ex solius cœli notitia aliquis amplius scire de reb⁹ particulatim hinc nascituris, quàm ex notitia gallinæ scire potest, quos, quot, quales pullos sit exclusura. Quoniam sicut gallinæ calor communis causæ rationem possidet, comparatione ouorum quæ simul fouet, ita cœlestis calor causæ generalis rationem habet ad res vniuersas inferioris huius mundi.

Apertè quoque fallitur, Stathmion in eo, quod dicit Astrologos non solum communem, sed propriam etiam causam considerare. Considerat, inquit, simul hunc vel illum certum hominē, cuius ea figura est. Quasi verò vlla cœli aut figura aut virtus, vnius magis hominis sit quam omnium aliorum, imò quàm rerum vniuersarum. Calor gallinæ non magis est vnius oui quàm aliorū, sed ex æquo omnium, quæ calefacit. Sed hoc leue peccatū est.

Grauius illud est, quòd in prædictionib. secundas & proximas causas obseruari ait. Aliud est subiectum, aliud est huius certa quædam aptitudo, & aliud causa propinqua cum cælo agens. Quù de fortuna infantis, valetudine, morte, vita, honoribus, vaticinantur Astrologi, quid aliud faciunt, quam quòd figuram natiuitatis inspiciunt? Quù de morbis & valetudine augurantur, an notum exploratumq; ante habent corporis temperamentum, & quæ alia hùc pertinent? Nihil minùs. Imò de ipsa corporis temperie etiam ex cælo iudicât. An sciunt aptitudinem recipiendi vires cœlestes? Declaratum est eandem vim cœli, diuerso & cõtrario euentu recipi à diuersis. Cur ouum subuẽtaneum ab incubatu perit, alia pullum pariunt? Quia diuersa est recipientium natura. Cur ab eodem sole quædam auctiora fiunt, alia quædã intereunt? Quia alia est aliorum temperatura. Cur idẽ homo ab eadẽ re modò iuuatur? modo læditur? Quia nõ idem, sed ali^o est quodãmodo; itaq; non eodem modo agentis causæ actionẽ suscipit.

Profectò qui proximas valetudinis bonæ malæq; causas in homine aliquo notas tenet, & adesse vel abesse easdem cernit, non indiget astris ut de valetudine bona vel mala ipsius diuinet. Sic qui proximas honorum causas adesse alicui videt, multò certius ex his de honoribus coniectabit, quam ex cælo. Par ratio est in cunctis aliis. Norunt ergo omnia antequam cœlum intueantur. Summè certè admiror ausum scribere Stathmionem, Astrologos proximas siue secundas rerum causas, de quibus nos semper loquuti sumus, cum cælo coniungere. Etenim quum de rebus

cun-

cunctis diuinare audeat, rerum cunctarum exactam notitiam obtinere eos necesse foret. Non enim aliter veræ, propriæ & finitimæ rerum causæ, à quibus videlicet, proximè promanant, perspiciuntur. Tantum porrò abest, vt omnium rerum gnari atque doctissimi sint hominum, vt penè ineptiores & rudiores plerosq; vix inuenias. Quotus enim quisq; vel vnã aliquam artem, exceptã fortè Astronomiã, & quæ ad eam pertinent, mediocriter nouit? Ex cælo, inquiunt, ista cognoscimus. At hoc est principium petere. Cõtrarium à nobis indissolubiliter diuinis & humanis argumentis demonstratum fuit. Quod ñ per secundas causas aliud intellexit, de aliis respondit, quum de cæpis fuisset interrogatus. Itaque perstant in suo robore argumenta Sauonarolæ, vtrumlibet aduersarius dicat. Cætera, quæ hîc adiicit præterea Stathmion, quum ex iis, quæ diximus abundè refellantur, non opus habent ampliore confutatione.

CAPVT V.

Quia obiici poterat ab Astrologo, sidera peculiare habere vires, ostendit Sauonarola in hoc capite, quod apud eum est cap. 6. (quintum enim caput, in quo sidera non esse signa futurorum docet, breuitatis causa omiseram) etiã si hoc detur Astrologis, nihilominus non posse ex cælo futura ab ipsis præcognosci. Vtitur autem tum aliis, tum etiam hoc argumento. Si ponantur in cælo diuersæ vires præter lumen & motum, necesse est vniuersaliores eas esse viribus sublunari-um. *Quantò namque propior est effectui causa, tanto est minus generalis; quãtò verò est remotior, tantò*

est magis communis: Atqui sidera sunt remotiora à rebus hisce terrenis, quàm elementa. Ergo sunt communiores siue generaliores causa quàm elementa. Iam verò certum est ex elementorum consideratione sola, non posse nos reddere causas effectuum, qui hinc pendent. Multò ergo minus ex cœlo- rum inspectione eadem hæc intelligerentur. Exemplo ignis hoc ipsum ostenditur. Quippe ex cognitione naturæ ignis solius, non possumus scire particulares effectus ignis, quos hinc gignere solet ac potest.

Quid ad hæc respondeat Stathmion, certè me referre pudeat. Inter alia ait, cœlum non sic vniuersalem esse causam, vt eius actio ad elementa terminetur; sed ita vt res omnes creatas attingat sigillatim, nec solùm seruet ac excitet, verùm etiam pro sua natura singulas mutet. Sed qui exempla de vino inebriante, & ouis gallinæ glociantis suppositis, quæ pro declaranda natura & modo actionis causæ communis adduximus, rectè percepit, absurditatem responsionis Stathmianæ perfacilè videt. Satis apertè, arbitror, ostendi, ideo communem esse ac dici, quia in omnia similiter agat, vnum quodque ita afficiat ac immutet, vt affici immutarique aptum est. Aliter certè afficit seu mutat calor gallinaceus oua fœcunda, & aliter infœcunda; tamen si vtrumque hoc similiter, vnoque tempore, vtraq; calefaciendo peragat. Præterea quis tam demens est, qui hac responsione aliquid ad prædictum argumentum responsum opinetur? Ineptus me hercle sim, si pluribus ista refellere studeam, aut respondere ad ea aliquid velim, quæ de visione adiecit, vt quæ
nec

nec rectè omnino dicantur, nec ad propositum
vllò modo pertineant.

CAPVT VI.

NON est ouum ouo tam simile, quàm sui si-
milis est Stathmion in suis responsis. Ete-
nim Sauonarola in hoc capite sic ratiocinatur:
Naturaliter euenientia possunt facilius sciri fu-
tura, quàm ea, quæ ab hominis voluntate effici-
untur. Quippe certior est in nàturalibus ordo,
quàm in illis, quorum ratio proxima causa est.
Atqui demonstratum iam est, naturaliter eueni-
entia ex cœlo non posse præsciri: Multò ergo mi-
nus præcognoscentur ex ipso ea, quæ parturit ho-
minis voluntas. Quid hîc Stathmion? Absq; sen-
suum præsidio, ait, nihil agit voluntas. Intelligi e-
nim prius oportet, quid sit agendum. Quum er-
go cœlum sensus immutet, poterit per hos etiam
voluntatem impellere certo modo. Responsio
est prorsus inanis. Primum, quia à Sauonarola
confutata est, ad cuius refutationem ne vocabu-
lum quidem vnum responderet. Apparet eum nõ
intellexisse hîc, vt alibi ferè passim, argumen-
ti propositi vim. vt enim, quæ dicit, vera sint, argu-
mentum tamen non infirmarit, vt videre vni-
quisque potest. Voluntaria minùs certa sunt, &
pluribus impediri modis possunt quàm natura-
lia: At hæc ex cœlo prævideri nequeunt: Ergo ne
illa quidem. Moueat sanè cœlum animam quoq;
per sensus. At mouent eandem infinita alia, &
quidem longè efficacius. Quo pacto ergo in cœ-
lo legemus, quæ factura sit voluntas, quæ ab in-
numerabilibus causis aliis potest cõtra cœli mo-
tum aliò impelli?

At verò quia hîc confidenter me prouocat aduersarius, & sibi nescio quã victoriam fingit: age, videamus quid sit illud de quo sibi tã opere placet. Volûtas, inquit, absq; intellectu nihil potest. Intellectus autem sine corporeis sensib. nihil intelligit. Quemadmodum ergo exteriora obiecta sæpe voluntatem naturaliter mouent, non autem cogunt; sic eandem etiam mouent stelle; non cogunt. Vix puto Stathmionem, quum post hæc verba mox caneret epinicium, non fuisse sibi ereptum. Etenim si quam maximè ei demus stellas interdum permouere voluntatem nostram, quid consecutus fuerit? Perstabit nihilominus argumentum, ab aliis infinitis rebus eandem contra cœli impulsu aliò trahi, atq; sic multò esse incertiores ipsius actionem, quæ futura sit, quã naturalium rerum aliarum. At harum ortum particulatim nec in cœlo describi, nec ab eo sic effici, vt ex ipsius inspectione præsentiri queant, monstratum est. Quid ergo Stathmion obtinuit, si ei omnia quæ hîc petit, sponte concessero?

Accedo propius. Dicit Stathmion stellas mouere voluntatem per sensus corporeos. Quæro ex eo quemnam sensuum permoueant. Non gustuum, nisi fortè melleum saporè à Venere, acerbum à Saturno, dilutum à Luna, varium à Mercurio in aërem atq; ora Astrologorum effundi affirmet. At nos qui tale nihil dum sensimus, nudæ asseuerationi minimè credituri simus. Nec olfactum: nondum enim fragrantiam siderum percipimus. Neque auditum: non enim puto veterum opinionem, contra quam Aristot. disputabat, aduersario probari. Neq; sic opinor cohortatur voluntatem

tuntatem per aures ad hoc illudve sequendum, quomodo Cicero iudicibus, quod volebat, persuadere nitebatur. Nondum hanc siderū vocem nostris hausim⁹ aurib. Sed nec tactum offendūt duritie, mollitie, & similib. tactus qualitatib. nimis enim longè absunt. Ergo caliditate & frigiditate eundem pulsant. Sed non quæuis caliditas, instrumēta sensuum (ipsam sentiendi vim, vtpote incorpoream, non possint, credo, aliter afficere, quàm per instrumēta siue temperaturæ permutationem) hætenus immutabit vt voluntas inde permutetur. Sanè caliditas solis nō id potest, nisi & vehemens sit & planè diu perdurarit. Vix arbitror tam impudentem inueniri Astrologum, qui se vlli⁹ sideris calorem, præter solis & lunæ, distinctè seorsum percepisse, vt de eo pronunciare aliquid possit, affirmare ausit. Taceo figurarū breuem durationem; taceo imperceptibilem sensib. actionem; taceo quòd per calorem & frigus non potest volūtas per se moueri ad furta, latrocinia, ad capeffendas disciplinas, ad virtutem colendā, & huius generis alia vel fugienda vel persequenda. Taceo deniq; quòd nullam hīc perspicimus caliditatem aut frigiditatem aliam quàm elemētorum. Siquidem cœlorum caliditas æquiuoce sic dicitur apud philosophos. Quin Astrologorum numen & parens Ptolemæus nullam aliam potestatem in sideribus ponit, quàm calefaciendi, frigefaciendi, exiccandi, humectandi. Quinon credit, totum primum lib. syntaxeos perlegat, accurateq; examinet, vt me verū dicere perspiciat.

Ergo illud relinquitur solūm, vt visum afficiāt, & hoc modo voluntatem ad quiduis impellant,

& quô Astrologis somniantibus libet inflectant.
 At visus obiecta sunt colores & lumen. Quod si
 ergo solùm per lumen intra oculos receptum vo-
 luntatem mutant, quid quæso faciunt, quod non
 magis lucerna nobis præstet? Dicetne Statimion,
 à lumine siderum illuminari intellectum, vt fiat
 illustrior, & ad intelligendum aptior? At non po-
 test corporeum lumen rem incorpoream sic il-
 luminare. Deinde non habet is opus tali illustra-
 tione. Intellectus illustratio est acumen eius
 quoddam, ex multa eruditione & apta principi-
 orum dispositione progenitum. Sic expolitus
 multiplici rerum scientia intellectus, illumina-
 tus dicitur, atque illuminatè res diiudicat. Iam
 ne hoc quidem dicet Statimion, credo, per lu-
 men Martis, exempli gratia, ita nos commoueri
 ad agendum, sicut dies nos commonet officii
 nostri. Hoc sanè modo nemo ad lumen Martis
 aut studet, aut aliud quippiam agit tale. Deinde
 voluit Deus & natura, vt tunc, quum hæc sidera
 imprimis lucere nobis videntur, quiesceremus.
 Nisi fortè hoc velit, mœchis & furibus Martem,
 Saturnum & Venerem faces præferre ad perpe-
 trandum scelera, easque tam exiles, vt videre ipsi
 queant, cerni ab aliis nequeant. Ego autem au-
 diui, tales odisse lucem, ad amare tenebras. Adde,
 quod sic etiam lumen non excitaret ad agendū
 voluntatem, sed causæ rationem haberet tantum,
 sine qua homo non posset aptè, quod iam antè a-
 pud animum suum decretum haberet, peragere.
 Hoc modo etiam sol dicendus vtique foret cau-
 sa efficiens esse omnium eorum, quæ interdum a-
 guntur. Species ab intellectu per oculos recepta
 colo-

colorum ac luminis beneficio, prout fugienda vel expetenda ei iudicatur, ita se voluntas mouet. Quòd si absque lumine æquè commodè cernere possent mortales, nullum profecto vsum in natura haberet. Non lumen, Stathmion, sed deprauata ratio, malè de speciebus luminis præsidio receptis iudicans, nec rectè ex vno alia deducens, procliuè ad libidinè ac vitia voluntatem nostram ad mala & scelera impellit. Recta autè ratio, utpote quæ rectè ex præmissis necit conclusiones, voluntatem flectit ad virtutem, honestatem, & probitatem amplexandam. Lumen per se, ut maximè tanquam pulchrum & bonum sit etiam expetibile, neutrum horum efficere tamen potest.

Iam si putet Stathmion, (nihil enim tam est absurdum & monstruosum, quod non audeant quidam non modò cogitare, verùm etiam scribere) lumen siderum per se mouere voluntatem aliquorum ad honesta vel turpia, bona vel mala, hoc est, plus inferre in oculos, quam lumen siue luminis speciem; & qui sibi ipsi, atq; adeò veritati contradicit; idq; certum statuit, quod maxime controuersum est. Etenim ita cælum sensus mouere dixit, ut obiecta sensuum alia; hæc autem tantummodo species seu simulachra colorum, sonorum, saporum, odorum, figurarum, magnitudinum & similiarum imprimunt sensibus: quibus receptis, iudicat deinde intellectus, quid bonum & persequendum, quid malum & vitandum sit. De siderum qualitatibus post lumen, quod vnum ferè præcipuè & maximè sentimus, nullam aliam, (præter figuras fortassis, magnitudinem ac motum) sensibus certò perspicimus. Nec potest fingi, quomodo solum

lumen talia efficiat, qualia efficere nugantur Astrologi. Quinimò omnis ratio repugnat huic somnio. Et nihilominus præclarè hîc se rem gefisse opinatur Stathmion. Sed maior est veritatis vis, quàm vt temerè sese efferentem falsitatem extimescat.

CAPVT VII.

MUltis, tamque incommodè hîc respondet Stathmion, vt omnia colligere nequeam; præcipua tamen seorsum proponam magis quàm cõfutabo, vt quæ à se ipsis satis refellantur. Saonarola quò planius indicaret illius dogmatis incredibilem vanitatem, ostendit in hoc postremo huius secūdæ partis capite, Astrologiam merum figmentum & insignè esse stultitiam, etiam si datur verum esse, quod impossibile est verum esse, sidera sc. particulatim hîc omnia agere, quæ futura prædicant Astrologi. Quamuis, inquit, sidera ponerentur habere vires ea peragendi particulares, quæ hîc in terris particulatim fiunt; non tamè hæ possent eognosci à nobis: quoniam per accidentia peruenimus in notitiam rerum. At siderũ accidentia nos latent, præter lucem, quantitatem, & fortasse figuram, qualitates valdè generales. Non possumus herbarum & animalium proprietates addiscere, quorum qualitates planè particulares quotidie persentimus: quomodo ergo cœlorum potestates compræhenderemus? Prætereà sic descendunt cœlestium vires huc ad terram cum elementorum viribus mixtæ, vt nequeamus has ab illis distinguere. Quippe quicquid omninò sensu de siderib. percipimus, hoc etiã in hisce terrenis inesse siue horum qualitates esse certò

certò scimus. Ex dictis concludit, non posse haberi aliquam experientiam talium in cœlo viriū. Nam vt in eo essent, sciri tamen nequireret, ab ipsis ne, an ab nostratum rerum & elementorum potestatibus, an ab vtrisque mixtis effectus prædiisset.

Hic primùm putat Stathmion Sauonarolam de cuiusq; sideris vi loqui, quum hoc loco *particulares vires* appellet Sauonarola longè aliud, vid. potentiam efficiendi ex hoc homine mercatorem, ex illo doctorem, ex alio quodam fortunatum militem, &c. Sic passim ineptit homo ille Astrologus. Suprà quum de cœlestium generali seu communi in res omnes virtute sermo esset, mixtas intelligebat vires: hîc, vbi de particularib. agitur, vnius stellæ virtutem intelligit, de quib. hîc nondum differitur. Communem vocabat Sauonarola suprà, vt quum solis lumen non magis vni, quàm aliis cunctis ad quos pertingit, lucet: particularem vocaret, si idem hoc lumen vni soli aut paucis luceret, nullis aliis, licet ad ipsos quoque perueniret; vel si aliud quippiam vni alicui daret, vt calorem, aliis autem non daret. Veluti si sol calefaceret vites, non autem vicinas ipsis alias plantas, quamlibet nimirum pro sua natura.

Præterea quum Sauonarola dicit sensus in siderib. nihil percipere præter motum, lumen, quantitatem quampiam & in quibusdã figurã aliqua ex parte: Stathmion id negat, quoniam vid. concentum etiam siderum auritus homo audiuit, & sapes gustauit. Si de calore obiiciat, respondit iam ante Sauon. non esse hunc purũ, sed mixtum cum elementorum qualitatibus. Pulchrè autem

ista mixtio intelligitur exemplo mixtionis caloris insiti natiuique in animalibus, cum externo. Etenim calor ingenitus roboratur augeturq; ab externo calore aeris, ignis, medicamentorum. Sic auctus coctiones aliaque opera felicius peragit, quæ non adiutus peragere non poterat. Nec hinc possunt actiones innati & externi caloris discerni ac distingui, propterea, quod ex utroque vnus est effectus. Tribuitur tamen actio soli congenito calori, & quidem merito. Nam alienus siue externus calor hoc ipsum perficere non potuisset vnquam. Solùm ergò adiuuat proprium & natiuum calorem, quò alacrius in opus exeat, quemadmodum incubans ouis gallina, ouorum calorem innatum auget ac corroborat, quò pullum ex sibi subiecta materia, siquidem apta sit, generet. Hanc rem præter Medicos philosophi egregiè declarant. Aristot. in 4. Meteor. sic scribit: *Καὶ ἡ δόξα τῆ τελειώσεως ὑπὸ θερμότητος οἰκείας συμβαίνει, καὶ ἂν ἀπὸ ἑνὸς τῶν ἐκτὸς βοηθείας συνέπιπτετο, οἷον ἡ τροφή συμπέπτει ἀπὸ λουτρῶν καὶ ἀλμάτων θερμῶν· ἀλλ' ἡγεῖται δόξα, ἡ ὅτι αὐτῶν θερμότης, ἐστὶ.* Sicut ergo in coctionibus connatus calor, à balneis, aliisque medicamentis moderatè calidis innatur: ita etiam à solis & aeris calore temperato confirmatur. Nihilominus tamen, quum accuratè & propriè loquimur, non solis calor, sed ingenitus ista perfecit. Nam solis calor nihil per se seorsum egit, sed cum natiuo coniunctus egit. Itaque rectè dictum est, cœlestem calorem cum elementorum calore mixtum, non posse in operando distingui. Suprà quoque monui hanc esse multorum philosophorum sententiam, solem & sidera non esse calida, hinc autem caliditatem procreare æquiuocam. Porro certum est hinc generatam calidi.

lidi.

lilitatem elementarem esse, qualiscunq; sit causa efficiens. Sic motus non calidus calorem generat. Quid quod Ptolomæus alias in siderib. qualitates nescit, quàm caliditatem, frigiditatem, humiditatem, siccitatem?

Experientiam asserit Stathmion esse sensuum externorum confirmationem: quam sententiam priuatis ad eum literis absurdam esse plurib. demonstraui, quas fortassis edam aliquando. Sauonarola ait experientiam de sinceris cœlestium qualitatibus, siquidem in cœlo tales inessent, nullam posse prætexi, quia nunquam non forēt eum terrenorum potestatibus coniunctæ & permixtæ. Hoc ita accepit Stathmion, ac si dictum fuisset, nullâ posse experientiâ vires cœli cognosci, quas non omnes quinque sensus externi apprehendant. An absurdius manifesta sententia deprauari potuerit, vix dixero.

Omitto, quòd hìc contendit, intellectum multa posse absque sensu, quum suprâ asseuerarit contrarium. Illud falsum esse aio, intellectum potuisse de calido frigido, &c. concludere aliquid, si non aliquando sensus percepisset has qualitates. Absurdissimum & falsissimum quoque est, quod dicit, nos non sentire pluuias, ventos, tonitrua, fulgura, grandinem, Iridem, Cometas, & similia. Hoc verò non est tantùm cerebro carere, sed etiam auribus & oculis destitui. Quæ mox de inuentione Astrologiæ narrat, sunt veræ & meræ fabulæ astrologicæ, atque ideo indigna responsione. Neq; facit ad rem quicquam exemplum de pharmacis tum simplicib. tum compositis. Horum enim vires exploratæ ac notæ sunt,

cœlestium non sunt, nisi quatenus vniuersali ratione agunt. Neq; negamus nos pro diuerso cœlestium positu diuersè hîc omnia fieri, quum ex lunæ solisque situ id perfacilè sit cognitu, sed omnes siderum positus vniuersales causas esse dicimus: hoc est, singulas constellationes ita in res cunctas, dum sunt, siue dum existunt, agere, vt vnum idemq; omnibus tribuant, quantum in ipsis est: sicut incubans gallina omnia oua subdita similiter & eodem calore fouet. Atque vt hîc pro ouorû diuersa natura diuersi prodeunt pulli, vel etiam nulli; sic in tota natura vna quæuis cœli figura vel constellatio dum similiter & vnica virtute in omnia agit, pro recipientium infinita diuersitate, infinitè diuersa generat. Oritur autem ignoratio istius rei tota ex eo, quod non intellexit Stathmion quænam sit causa communis, & quæ particularis.

Addit deinde, facilè esse calorem Solis & Lunæ distinguere à calore elementari. Ego quàm id sit aliis facilè, nescio, què nullus Astrologus possit præstare certò scio. Nam si caliditas, quam Sol & sidera adferunt terris, hîc generatur, neq; inest in Solis stellarumq; corporibus actu, vt propè omnes docent philosophi; nondum video quomodo à caliditate nostrate distinguatur. Generat motus etiam caliditatem in attritu solidi corporis, quâ ratione solem quoque calefacere aerem censuit alicubi Aristoteles: quæ certè non est alia quàm elementaris caliditas. Equidem si caliditas solis, quàm hîc nos percipimus, cœlestis esset atq; dissimilis à nostrate siue elemētorum caliditate, non haberet frigus elemētale sibi contrarium. At

habet

habet sibi id contrarium, sicut ex eo vnusquisq; intelligit, quod frigiditas, quæ in aqua vel re alia qualibet inest, pertinaciter sic solis calori resistit, vt sæpè multis horis ab eo superari nequeat. Quod si caliditatem ex cælo astra solemque demittere contendat Stathmion, de quo hîc nō est locus disceptandi, nihilo melior causa eius futura est. Quippe dum hîc à rebus recipitur, certè cū insita cuiusq; caliditate ita miscetur, vt discriminare non possis. Quis separet calorem gallinæ ouis incubantis ab insito ouorum calore? illum, inquam, qui in profundum oui penetrauit, atq; ouum permutare eo cœpit modo, quo declaratum fuit? Nullus homo certè aliter quàm ratione separare ac disiungere potest duos hosce calores, dum neuter eorum expirauit seu extinctus est: sicut nec duo lumina in eadem aeris parte disiungi distinguîq; valent, nullo interposito corpore opaco. Adde, quod ipsa actio & effectio vtriusq; caloris monstrat eandem esse vtriusq; naturam quodammodo. Etenim si quæ æstate viret ac hyeme arescunt in hypocausto cōmodo seruare ac rigare velis, virentia per hyemem seruabis, ac vt pullulent quemadmodum ineunte vere solent, efficies. Prorsus igitur hîc quoq; decipitur Stathmion.

Petit à me, vt explicem, quomodo sidera in terræ profundo & lapidib. per radios agant. Hoc quia nihil ad propositum negotium confert, alibi ostendam, immò iam ostendi alio loco. Nunc illud expendere ad extremum placet, quod de occulta virtute obiicit. Dixi, si quidem stellæ putentur agere virtute abdita quam specificam

alias nominant, non posse eam virtutem manere
 re ipsis abeuntibus, quod validissimè est à nobis
 probatum. Quum enim talis potestas formæ
 substantialis sit virtus (in cœlo namque virtutes
 à materia & temperamento nullæ quærendæ
 sunt) non poterit alibi quàm in ipsamet esse co-
 gitari. Abeunte ergo, vt sic loquar, formâ, abit si-
 mul etiam potentia ipsius. Ablatâ potentiâ, im-
 possibile est remanere actionem. Sic ablatâ ani-
 mâ rationali, aufertur ridendi potestas. Et hac
 sublatâ quomodo risus remaneat? Ita rem aliquo
 modo habere hac in parte diximus, vt in flumi-
 nis aqua semper præterlabente tota, aut in lumi-
 ne solis, quod cum eo accedit pariter ac recedit.
 Sic vita ex corde per spiritum perpetuò in mem-
 bra influentem partibus tribuitur. Sic sensus &
 motus ex cerebro per neruos in easdem infun-
 ditur. Etenim præciso neruo aliquo aut vinculo
 intercepto, continuò priuantur partes in quas
 inferitur, (nisi etiam alios neruos habeant) omni
 motu ac sensu. Rursus vinculo soluto, iterum
 sentiunt mouentur que.

Si hoc modo, inquit Stathmion, cœlestium vi-
 res cum stellis, quarum sunt propriæ, abeunt ac
 redeunt, instar videlicet aquæ præterfluentis, ac
 vestigium sui post se nullum relinquunt; quo-
 modo fieri potest, vt mutatio aliqua fiat in hoc
 mundo inferiore, quum præsertim non subito
 res mutantur? aut quomodo effectus aliquis ex
 tali actione enascatur? Valdè rudis est Stathmi-
 on, si non intelligit, quomodo cerebrum sit cau-
 sa motus ac sensus; quomodo cor communicet
 partibus vitam; quomodo sol sua luce diem effi-
 ciat.

ciat. Si quomodo hæc fiant, nouit, stultè interro-
gat de aliis, quæ eodem aut simili modo fiunt.
Quinetiam exemplum aquæ in flumine præter-
fluentis, etsi non per omnia proposito congruit,
rem tamen vtcunque declarat, si præsertim ob-
seruetur abeunti semper aliam succedere. Sed
multò magis fallitur, quòd arbitratur huius mū-
di inferioris omnes mutationes perfici à talibus
potestatibus solis. in præsentia enim, agè, conce-
dam tales inesse stellis facultates præter notas
qualitates. Quis verò non videt solis, imò etiam
gallarum, immò ignis & hypocaustorum calo-
rem hoc præstare vt virescant atque augescant
plantæ, atque ex ouis pulli generentur? Certum
est oua gallinacea temperatè calidis cineribus
imposita pullos proferre. Bombycum oua calo-
re lectorum, corporum, hypocaustorum, vitam
nancisci, ac vermem parere extra controuersiam
verum esse noscitur. Iulius Cæsar Scaliger 23. Ex-
ercit. contra Cardanum, pro verissimo narrat, Æ-
gyptios circa Cairum in quibusdam furnis repi-
do calore innumerabilia gallinarum oua simul
excludere.

Ergo aut non ab occultis istis formarum po-
testatibus omnia hîc fiunt, aut certè non à solis
his fiunt. Exemplum mundi vniuersi in minore
mundo, homine scilicet, inuenitur illustre, vt po-
te qui non ab alterutra solùm, sed ab vtraque po-
tentia, occulta videlicet ac manifesta regatur.
Quanquam enim vita à corde, sensus autem &
motus à cerebro membris omnibus influant; nõ
tamen à similibus potestatibus coctio, nutritio,
auctio & similes aliæ mutationes fiunt. Harum


enim calor tantum autor est & effector, quatenus eo anima ut instrumento ad hæc perficienda utitur. Illa tamen absque calore non fiunt, non tamen hoc modo à calore fiunt: nec ita in tempore fiunt, ut illæ motiones, sed subito, ut sol aërem serenum & purum subito illustrat. Simili quadam ratione nihil, arbitror, prohibet de cælis quoque utrasque facultates defluere, & alteris vitam rebus dari, alteris mutationes, quas quotidie cernimus effici, modo utrumque generali & rebus omnibus communi, ut supra explanatum fuit. Neque his obstat, quod non eadem semper cælestium figuræ supra terram apparent. Nam si talibus etiam potentiis regitur hic mundus inferior (sive una sive pluribus dicas, parum interest) necessarium est, ut nullo non tempore ipsi de cælo influant, sicut membris absque ulla interruptione vita à corde communicatur per vitalem spiritum. Quocirca licet non eadem semper nobis appareant stellæ, semper tamen & ex omnibus hæc vis ad nos derivatur, nunc parcius nunc verò uberius. Simile quid etiam hic in nobis ipsis experimur. Quippe ne spiritus quidem sive vitales sive animales similiter semper affecti sunt. Nam aliquando puriores aut copiosiores, aliquando pauciores aut minus sinceri intelliguntur esse. Quin & ipsum cor atque cerebrum nunc melius, mox deterius valent: id quod in affectus utriusque, præsertim febribus & animi deliquiis perspicue cernitur.

Quomodocunque hoc habere putetur, non multum hic laboro, dum hoc pateat, si per tales

po-

potestates agat cœlum, non per solas agere tales. Deinde falsum & absurdum est, quod Stathmiō inde sequi putabat: nihil in natura fieri, si quidē tales quædam in sideribus potentia concederentur inesse, quas foret necesse cū suis stellis sic abire & redire, sicut lumen solis cum oriente eo oritur, & occidente occidit. Quanquam ingenuè profiteor, me in ea potius sententia esse, vt pleraque per calorem cœlum hîc peragere existimem. Probat hoc solis ad nos accessus & recessus euidenter admodum. Nos certè vix aliter possumus statuere, quam à calore siderum ista præcipuè fieri, præsertim quum eadem ab ignis & huius mūdi calore videamus effici. Huc & illa pertinent, quæ paulò antè de caloris ortu admonuimus. Si cuiuspiam aliter videtur, non contendam cum eo super hac re. Videtur tamen hoc nullis posse refutari argumentis, vbi multum sit caloris, ibi multum esse latentis huius potestatis, atque id eo in sole primùm, deinde verò in luna eam esse efficacissimam. Ne hîc quidem est dissimilitudo in corporibus nostris. Nam specificæ istæ vires absque calore esse nequeunt; id quod ex vitalis spiritus qualitate ac natura perspicuè intelligitur. Quia ergo vel non scimus, vel obscure scimus, quomodo, quando, quid, in quas res, incognitæ istæ facultates sub caloris vi & efficientia rectæ abditæq; latentes agant, non sine causa summi philosophi cœsuerunt, cœlum solo calore & motu ista peragere. Hæc ita exposui plurib. nō tam vt responderem Stathmioni, quàm vt monstrarē Astrologos semper fore nugaces, siue hoc siue illud sentiamus. Si quid omisi insciens, cui

156 *De Diuinatione Astrologica*
non sit responsum, perfacile id ex iis, quæ dixi-
mus confutabitur.



DEFENSIO TERTIÆ PAR-
TIS LIBRI HIERONYMI SA-
uonarolæ, aduersus
CHRISTOPHORVM STATHMIONEM,
medicum Coburgensem.

CAPVT I.

IN tertia ista parte hoc agit Sauonaro-
la, vt Astrologiæ partes falsas ostendat,
astrologicis ferè argumentis. Primum
quidem docet, principia quibus niti-
tur, aut falsa esse & ficta, aut certè plurimùm con-
trouersa, contra quam reliquarum artium prin-
cipia. Dicit ergo incertum esse an plures cœli sint
quàm octo. Aristotelem enim octo solùm a-
gnouisse. Deinde si plures esse concedantur, non
sciri stellatine sint an non; item an huc agant ali-
quid, an non. Præterea oportere stellarum o-
mnium vires notas esse, quum simul omnes agant
inter terram, nulla suos radios suspendat. Porro
concedere Astrologos, vnius sideris vires ab al-
terius positu vel impediri vel retardari & minui
seu debilitari, vel promoueri & augeri. Proferri
eos etiam paucarum notitiam. Post alia quædam
hoc etiam addit, imagines cum alias, tum Zodi-
aci, fictitias & ad faciliorem supputationem ab
Astronomis excogitatas esse, non ad præiudicati-
onem

aduersus Christophorum Stathmionem. 157
onem futurorum. Atqui hisce collabentibus,
prædictiones funditus corruere.

Ad hæc Stathmion respondet, siquidem
nonum cælum negandum sit, quia sit ima-
ginatio, negandam etiam fore Astronomiam, &
totum primum mobile, vt quod nihil aliud sit,
quam imaginatio. Ad imagines respondet, ex-
perientiam monstrare eclipses & magnas con-
iunctiones in diuersis signis Zodiaci diuersas res
perfecisse, vt in signis humanis, hominibus: in
brutorum, brutis præcipuè obfuisse aut profuis-
se. Sic anno 1558. minari cælum mala multa pecu-
dibus propter Solis eclipsim, & Saturni ac Mar-
tis conjunctionem in Tauro, Lunæ autem in Li-
bra.

Primum videtur hîc concedere nonum cœ-
lum esse cogitationis nostræ figmentum, quod
fanè Aristotelei facilè ei dabunt. Nec deerit illis
modus saluandi τὸ φαινόμενον nihilominus. Quo-
modo ergo non cōuulsum dicet hoc Astrologo-
rum fundamentum? Equidem vaticinia Astrolo-
gica magna ex parte corruerūt, si hoc cælum, aut
non sit re ipsa, aut vires tales huc non demittat,
quales demittere Astrologi somniant. At sic, ait,
Astronomia quoq; conuelleretur. Verum falli-
tur aduersarius. Etenim Astronomia tunc etiam
cultā est, quum noni cœli nulla adhuc esset ima-
ginatio. Deinde aliud est imaginari epicyclos, ec-
centricos, & huius generis alia ad reddendam
causam τῶν φαινομένων, & eadem hæc dicere potesta-
tem habere inferiora hæc permutandi. Quis pu-
tet epicyclum aliquid huc viriū effundere in res
sublunares? Res vnaquæq; ita agit, Aristot. teste,

sicut est. Quocirca quum ista sint quatenus finguntur esse, agunt etiam quatenus finguntur agere. Hoc autem est non agere. An inueniatur ergo aliquis tam demens, qui ex talibus diuinare se posse speret, de rebus verè nascituris? Præter Astrologos nullus. Hi namque capiti & caudæ Draconis, & planetarum retrogradationibus insignes adscribunt vires.

Tolerabilior ille error est, quòd primum mobile à nono cælo distinguit. Ponit enim fortassè cum Theologis Scholasticis etiam decimum, & hoc primum mobile (si tamè illi moueri hoc cælum concedunt) vt videtur, statuit. Sed gaudere videtur Stathmion, quum sententiâs fingit nouas, ab aliorum iudiciis alienas. Ex superiorib. liquet, falsò Astrologos imaginib. magnas tribuere virtutes. Etenim quum reuera tales nec sint nec fuerint in cælo vnquam, insanus sit, qui putet reuera in cælo sic esse Virginem, Taurum, Cancrum, Scorpionem, Libram, Geminos, vt aliquid huc agant. Multò minus ibi sunt Ursus, Argus, Scorta, Cinædi, & similia monstra. Hæc mendax Græcia sustulit in cælos: illa homines eruditi talibus nominib. distinxerunt, quòd 12. sectiones totius cæli distinctè possent nominare, atq; tractatio Astronomica sic foret plana & expedita: nec putarunt illi tales bestias in cælo inueniri. Etenim stellas inspicienti quiduis fingere licet, modò imperfectas habere figuras contentus sit, quales esse suas Astrologi vtrò fatentur. Poterit, qui volet, pro leone sibi fingere ex stellis circumpositis, ædes, arborem, chymæram, asinum, bouem, hominem, saxum, montem, & denique nihil non. Hinc est,
quod

quod alii eadem signa aliis nominibus appellāt. Deinde, quod quidam Astrologi vires vllas istis inesse pernegant.

At experientia ostendit rem aliter habere, inquit Stathmion. Id ego verò nego Stathmion: & insuper addo, te quum sic loqueris, principium peti dupliciter: Primùm, quia imagines istas particulares habere potestates scribis, ex quibus de futuris contingentibus coniici queat; id quod maximè est controuersum inter nos. Deinde, quòd experientiam hoc monstrare ais, quum validissimis & indissolubilibus argumentis probeamus, vos experientiam de talibus potestatibus habere nullam prorsus potuisse. Ponis ergo hìc pro certo, cuius probationem imprimis expectabamus. At eandem eclipsim in aliis atque aliis signis secuti sunt diuersi effectus. Non eo inficias, Sed inficiamur, id quod rem aliquam sequitur, semper effectum eius esse, quod præcessit. Nisi idem nobiscum hìc dicas, statuere te oportebit, solis exortum per se causam esse omnium illorum, quæ interdum à cunctis rebus aguntur. Post tonitru sæpe tu consuluisti ægris, nec tamen consilii illius causam tonitru putauisti. Stellæ & sidera pro diuerso positu diuersè agere inter omnes cõuenit. Ita est sanè non in stellis solum, sed etiam in rebus aliis omnibus. Ignis aliter afficit res tum diuersas, tum easdem, in diuerso ad eas situ. Ex eo tamen non concluditur, mutatam ipsius naturam & efficientiam, vt ex situ aliquid mutaret alienarum, vel perdidit suarum virium.

De euentu anni 1558. in quo tantum mali allatum pecorib. cælum somniauit Stathmion, hoc

possum affirmare, quod verum esse post diligentem inuestigationem comperi, bestias omnis generis in Franconia, Heluetia, & tota hac vicinia pulcherrimè habuisse, damni vel incommodi nihil omnino perpeffas fuisse. Alius quidam amicus meus mense Septembri, quum æstatem vidisset admodum fuisse calidam, insolitum calorem referebat ad constitutionem planetarum in trigonis & calidis signis, & Martis, in Ariete positum sub ingressum solis in eundem. Hic quum cætera enumeraret omnia, bestiarum morbosæ dispositionis non meminit. Ei ad prædicta tunc ita respondi: Miror Saturnum torpentem & frigore euectum illum veteratorem, Martis æstum, quem ex Solis propinquitate concepit, reprime-re non potuisse, præsertim quum in Tauro frigido secundum vos signo, in quo etiam sol defecit, cum eo sit congressus. Ego hoc anno, quorundã, qui præcipui habentur, libellos prognosticos legi, nec tamen ab ipsis tale aliquid prædictum aduertit. Tardum esse eum necesse est, qui præteritorum causas qualescunq; non comminisci possit, quum etiam somnia hoc modo plerique præteritis rebus aptent. Afferebat ille multa de grandine & similibus, quum vix vllus hic annus fuisset visus in quo infrequentiores apparuissent grâdines & tempestates.

CAP. II.

Secundo capite probat Sauonarola, ex figura natiuitatis, vt vocant, non posse Astrologos de futura nati felicitate & infelicitate aliquid cognoscere, argumentis cùm aliis, tum his, quia videlicet

delicet exactum natiuitatis tempus explorare arte nulla valeant: deinde verò quòd ex conceptionis potius figura iudicandum foret, si quidẽ aliquid hinc astra possent. Ad ea sic respondet Stathmion, sæpenumero non referre, si error sit in supputatione aliquot minorum a deoq; graduum. Frustra etiam à me disputari an figura, quã quis nascitur, potestate ei sit similis, quã concipitur quum aliquando esse ita concedã. Postremo non probatum vllis argumentis, contra Ptolemæum, natiuitatis figuram non esse efficacem ad præinducendam nati fortunam bonam atq; malam.

Mirum est posse homines propter conceptam animis falsam opinionem eò adduci, vt pro defensione illius, ea ipsa negent, quum se vrgeri sentiunt rationibus, quæ pro firmissimis & certissimis eiusmodi opinionum principiis & firmamentis aliàs habent. Sanè vix aliud est magis receptum in Astrologia, quàm ad singulorum minorum ascensum infinitè variari cœlestium influxus. Citat Arabem quendam Petrus Aponensis summus Astrologus, scribentem hora qualibet ascendere viginti quatuor millia *Robuth* siue *Roboat* (ita enim appellat.) quorum singula contineant decem millia stadiorum. Hoc spacium vocat *Robuth*: atque tempus, quo emergit, *momentum*. Ex his numeris multiplicatis in se prodeunt ad bis millies quadragies centena millia momentorum, quot singulis horis iuxta istos diuinaculos supra horizontem ascendunt. hæc autem momenta deprehendere & distinguere maius est opus, quàm quod ab Astrologo præstari queat. Quanquam verò prædictus Aponensis hanc sententiam in-

L

terpretando conetur lenire, adeoque aliò detorque, frustra tamen id facere annitur. Quippe idem Arabs Alubatir addit, vnumquodque momentum obtinere suum proprium colorem, saporem, ac naturam peculiarem, hoc est, singulari quodam modo natos in eo momento afficere.

Et quid est opus hîc disputatione, vbi aduersarios habemus reos confitentes? Etenim quum de gemellis interrogantur, quomodo tam dissimili vtantur fortunâ, id vnum semper respondet, hoc ideo contingere, quia momenta diuersa summam adferant natis inæqualitatem, quantûuis nati, nostro iudicio, eodem propemodum momento exierint ex vtero. Equidem Astrologi dissimilis fortunę gemellorum causam aliam adferre nullam, vt maximè cupiant, possunt. Sunt enim vno momento temporis concepti ex vno semine. Quocirca non in conceptionis figura reperient diuersitatis causam. Eam ergo querere in nariuitate coguntur. Atqui non alia est, quàm exiguum temporis interstitium, quo alter post alterum ex vtero prodit. Quâ fronte igitur audeat dicere Stathmion, non referre si temporis puncta non assequatur Astrologus? Aut quam adferret causam diuersitatis, naturarum, ingeniorum, morum, valetudinis, vxorum, liberorû, fortunæ, in gemellis, quum mox vnus post alterum nascitur, vt posterior priorem contingat, atq; sic quasi vnus quidam continuus minimeq; interruptus sit amborum exitus, quod de Iacob & Esau factû legimus?

Non ineptè videor hoc loco recensere, quod
D. Au-

D. Augustinus lib. 7. Confess. ca. 6. hac de re scriptum reliquit. Interrogatum se ait à Firmino, ut ex constellatione natiuitatis suæ indicaret, quid ei euenturum arbitraretur, ea respondisse, quæ dubitanti iam de veritate Astrologiæ in mentem venerint: verum addidisse, propè iam sibi persuasum esse, ridiculas & inanes existere omnes tales prædictiones. Hinc Firminum occasionem accepisse narrandi, patrem se (vnà cum amico quodam eiusdem) habuisse harum rerum, adeo studiosum, ut mutorum quoque animalium quæ domi paterent, momenta natiuitatis cœlique figuras obseruaret, atque sic artis experimenta colligeret. Accidisse ergo, ut dum ipse vtero gestaretur, paterni amici, qui pari curiositate & studio cum patre eadem obseruabat, famula vtero quoque gereret. Atque ita factum esse, ut quum iste coniugis, ille autem ancillæ dies & horas minutioresque horarum articulos cautissimâ obseruatione numerarent, enixæ fuissent ambæ simul, ita, ut easdem constellationes vsque ad easdem minutias vtrique nascenti facere coacti fuerint, iste filio, ille seruulo. Mox quomodo idem hoc momentum notare vterque coactus fuerit, quantamque ad eam rem diligentiam adhibuerint, exponit. Illis deinde hæc verba subiicit: His itaque auditis & creditis, talis quippe narrauerat (is videlicet, qui seruulum eodem temporis momento, secum in eadem vrbe natum optimè nouerat.) omnis illa colluctatio mea resoluta concidit: & primò Firminum ipsum conatus sum ab illa curiositate reuocare, quum dicerem constellationibus eius inspectis, ut ve-

ra pronunciarum, debuisse me utiq; videre ibi, parentes inter suos esse primarios, nobilem familiam propriæ ciuitatis, natales ingenuos, honestã educationem, liberalesq; doctrinas. At si me ille seruus ex eisdem constellationibus, quia & illius ipsæ essent, consulisset, ut eidem quoque vera proferrem, debuisse me rursus ibi videre abiectissimã familiam, conditionem seruilem, & cætera longè à prioribus aliena longeque distantia. Vnde autem fieret, ut eadem inspiciens, diuersa dicerem, si vera dicerem; si autem eadem dicerem, falsa dicerem: inde certissimè collegi, ea quæ vera consideratis constellationibus dicerentur, non arte dici, sed sorte: quæ autem falsa, non artis imperitia, sed fortis mendacio. Hinc autem accepto auditu, ipse mecum talia ruminando, ne quis eorundem delirorum qui talem quæstum sequerentur, quos iam iamque inuadere atq; irritos refellere cupiebam, mihi ita resisteret, quasi aut Firmus mihi, aut illi pater falsa narrauerit, intendi considerationem in eos, qui gemini nascuntur; quorum plerique ita post inuicem funduntur ex utero, ut paruum ipsum temporis interuallum quantamlibet vim in rerum natura habere contendunt, colligi tamen humanâ obseruatione non possit, literisque signari omnino non valeat, quas Mathematicus inspecturus est, ut vera pronunciet. Et non erunt vera, quia easdem literas inspiciens, eadem debuit dicere de Esau & Iacob, sed non eadem utique acciderunt. Falsa ergo diceret, aut si vera diceret, non eadem diceret, si eadem inspiceret. Non ergo arte, sed sorte vera diceret. Hæc Augustinus.

Quid

Quid ad ista respondere soleant ac possint Astrologi non me latet. Quàm sint futilia & friuola quæ respondent, similiter scio. Hoc in præsentia satis est ostendisse, non habere planetarios istos, quod respondeant, quotiens causam interrogantur diuersæ fortunæ gemellorum, præsertim, quum interuallum temporis inter vtriusq; exitum ex utero nullum intercessit tantum, vt figuram reddat aliam. At verò certò certius est gemellos nullo sensibili temporis spacio interposito natos, plerumq; fortunam expertos fuisse valdè dissimilem, moribus, ingenio, vitæ ratione, plurimum inter se discrepâtes apparuisse. Quod si ergo figura cæli vna non potest diuersa indicare, de alterutro mentietur Astrologus ex ea diuinans. Quod si potestate similis ei est, quâ concepti fuerunt, potuit illa quoque eadem existens diuersa & contraria efficere atque indicare. Si natiuitatis figura atque conceptionis figura contraria vel efficit vel significat, etiam aliæ hoc significabunt. Neque enim ratio reddi poterit, cur hæ sint ambiguae, aliæ non sint. Potest namque vna quæuis alicui existere vel conceptionis vel nascendi momentum. Quid hinc aliud efficitur, quam ex qualibet figura licere Astrologo de eadem re interrogato contraria & diuersa permittere, hoc est, idem affirmare & negare euenturum esse? At hoc quid aliud est tandem, quàm indissimulanter tum seipsam, tum alios decipere ac ridere?

His addi prætereà illud etiam poterit, in eodem momento, quo aliquis puer natus dicitur, posse etiam nasci in loco eodem, vt in vna aliqua

villa, equum, canem, murem, gallinam, ranam, vitulum, caprum, agnum, &c. Proinde si verum est, similem potestate figuram ei quæ genuit, excitare genitum ad egressum ex utero: eademque hominem, equum, canem, caprum, &c. excitauit; quum diuersis ista animalia temporibus sint concepta, (non enim vnum idemque est omnibus gestandi in utero tempus à natura præfinitum.) habebit vnica ista figura, quæ ad egressum ex utero omnia stimulauit, plurimarum figurarum potestatem, omnium scilicet illarum, in quibus singula sunt concepta. Indicabit ergo longè diuersissima per se & in se considerata. Atqui eadem est omnium ratio. Nam in qua concepta aliqua sunt, in eadem præcise nasci alia potuerunt. Rursus ergo ex figura qualibet album ac nigrum, calidum & frigidum, & denique quiduis pronunciare Astrologo licebit: nec ratio erit, cur hoc magis, quàm aliud quoduis pronunciet.

Frustrà dicent propter hominem figuras istas fieri, hominemq; tantum alterare atq; ad exitum partus tempore mouere, cæteras res non item. Quoniam quotidiana experientia docet contrarium. Etenim bruta magis ad solius aeris temperamentum nascuntur atq; intereunt, quam homines. Quinimo ipsimet diuinaculi isti cælestes easdem cæli figuras res cunctas sublunares afficere alterareq; singulas, nimirum pro suo modo, velint nolint concedere coguntur. Rationem quoque verisimilem ne fingere quidem aliquis vnquam potuit aut deinceps poterit, quâ ostendat, nõ similiter res creatas à cælo affici cunctas, quatenus huius mundi sunt partes & ex elementis conflatae

flatae

flatae sunt singulae. Ergo quocumque se vertant
miseri Astrologi, pudendos suos errores intueri
oculis coguntur, quicumque ex ipsis non sunt
cernendi facultate, vel mente potius & intelli-
gentia destituti. Nam si exiguum temporis in-
teruallum nihil discriminis adferre dicant, ge-
minorum partu confutantur. Si hic diuersa mo-
menta ponant, ibi mendaces deprehenduntur.
Et quum vno momento tales concepti sint, et-
iam si diuersis momentis & figuris prolabantur
ex utero; cogentur tamen confiteri duas diuer-
sissimas potentia figurarum natiuitatis, vnicae con-
ceptionis figurarum potentias habere similes. Ha-
bebit ergo & haec vnica diuersissimas potestates.
At ratio eadem aliarum erit. Incerta ergo omnia.
Taceo iam, quod cum eadem figura complures
res disparatissimae nascuntur & concipiuntur,
quarum omnium simul naturam, mores, for-
mam, &c. vna figura efficiet, aut significabit.
Qui absurdiora cupit, persequatur ista accurati⁹,
atq; animum quantumuis absurditatum sitien-
tissimum facile exaturabit.

Quod me concedere scribit Stathmion, fieri
posse aliquando, vt in hanc lucem progrediatur
ex utero foetus, quum similis potestate figura in
caelo regnat ei, quae dum conciperetur regnaret,
mera est calumnia. Scio hoc esse fictum & emen-
titum ab Astrologis, nec accidere hoc vnquam,
nisi per accidens contingere concedamus. Hoc
dixi, si quam maximè ita res haberet, ex millib. a-
liquot vix vnum illo ipso tempore nasciturum, vt
non aut temporius paulò aut serius exiret ex ute-
ro. Etenim infinitae propemodum causae par-

tum aut promouent aut retardant aliquantum, quarum non possunt non aliqua parturienti accidere cuilibet. Exempli causa recensebo aliquas solum. Externæ sunt, inopinatus terror, metus, exercitium, ocium nimium, labor, defatigatio, casus, saltus, percussio, potus ac cibus nimius vel nimis parcus, pharmacum, venæ sectio, noxius cibus vel potus, fastidiumque siue nauseam excitans, calor, frigus, vigiliæ, curæ, dolores, absentia obstetricis aut aliarum mulierum, imperitia earundem, inepta corporis motio, animi præsentia & constantia, timor & consideratio periculi parientium, & alia talia prorsus plurima.

Internæ causæ non sunt pauciores: In toto corpore seu in quibusuis membris maturant impediuntve partum febres omnis generis, fluxiones alui quælibet, tenesmus, cholici dolores, nephritis, erysipelas, urinæ difficultas, calculi renis ac vesicæ, dolores lumborum & spinæ, vomitus, tussis vehementior, corporis obesitas vel macilentia, sanguinis & humorum vitia, dolores capitis acerbiores. In membris generationis plurimè inueniuntur, conformatio bona vel mala, temperies commoda vel incommoda, crassitudo vteri & densitas & tenuitas, laxum collum vel angustum, exitus aquæ intempestiuus, uterus excrementis plenus aut vacuus, flatu distentus aut sine flatu contractus, & denique omnis generis morbi, qui huic aut vicinis partibus accidere possunt. In ipso fœtu non pauciores contingit reperiri, magnitudo, robur, imbecillitas, tenuitas, obesitas, consumptio, apta vel inepta conformatio, commodus vel incommodus egressus, &
pro-

prout obstetrix fœtus conatum adiuuat vel impedit, & similia innumerabilia. Quotusquisque ita nascitur, vt progressus ipsius ab huiusmodi causis non aut promoueatur, aut impediatur aliquanto temporis spacio? Nullus, aut certè vix millesimus quisque. Proinde post mille mendacia ex natiuitatis figura nata, vix semel rem attingent, si quàm maximè verum esset, quod pro vero illi quidem ponunt, verum autem nõquam erit.

Sed præstat, opinor, hanc rem plenius paulò tractare. Astrologi inficiari nequeunt, quin conceptionis tempus aptissimum foret ad præfagendum, si quidem ex cœli figuris coniectare de his rebus futuris concederetur. Hoc enim manifestè Ptolemæus eiusdemque interpretes affirmant: ac cogeret nos ratio ita sentire, etiam si aliter statuissemus Astrologi. Non enim cœli positus quo nascitur fœtus, temperamentum, valetudinem, conformationem & his similia dare potest eidem, quum multo antè necesse sit ipsum hæc habuisse. Quomodo ergo, dicet homo intelligens, diuinant Astrologi inspectâ figurâ quâ natus est infans, ignoratâ autem eâ, quâ conceptus fuit? Hanc deprehendi non posse, quum vidissent, talem excogitarunt fabulam. Licet, inquiunt, siderum figura, quâ nascitur homo, non sit effectrix causâ naturæ & qualitatam corporis atque animi; tamen impetum interit fœtui vt se ad egressum comparer, facultatemque similem habet illi figuræ, cum qua conceptus fuit. Quare, vt non efficiat omnino fœtum, indicat tamè quam vim illa habuerit, quæ in conceptu semen effecit.

Qui rem cognoscere vult apertius, legat ista apud Ptolemæum Astrologorum deum, in principio libri tertii Syntaxeos ad Syrum fratrem. Omitto studiose cætera, quæ satis absurdè ibidem dicuntur à Ptolemæo.

Si quæras vnde probet Ptolemæus figurã cœli, quæ ad egressum mouet infantem, potentiã & significatione similem illi esse, sub qua conceptio contigit, nec adfert aliquid, nec adferre vnquam poterit. Est illis pro ratione voluntas. Sic volunt, sic iubent nos credere. Cur quæso? Quia de cœlo descenderunt, scilicet. Quis dubitet ergo, quia omnes Astrologorum conatus, putidissimis fabulis & fictitiis somniis nulla ratione probabili confirmatis nitantur? Cur quæso, petit à me Stathmion, vt Ptolemæum arguam sine ratione sua somnia proferentem? Non hominibus, sed argumentis, hoc est, veritati fidem habendam censeo. Satis euersa sunt, & quidem radicitus superioribus argumentis euulsa, quæ hîc narrat Ptolemæus. Quanquam si verum esset, similem quandam potestate cœli figuram post nonum mensem impellere fœtum ad egressionem, nihil tamen id eos iuuaret. Tam multæ nanque & tam efficaces causæ parturientibus accidunt, quæ partum edere eas cogant vel ante vel post illud tempus, vt vix millesimus quisq; possit credi in determinato illo cœli tẽpore natus; vt millies mentiri astrologos oporteat priusquàm semel scopum attingerent. Quod si duo simul in vna vrbe nati fuissent in vno momento, & alter in illo vero temporis puncto, alter paulò tẽporius quam pro sua figura debuisset, processisset, quis Astrologo indicabit v-

trius

trius horum ea figura fuerit? Summa est, Astrologos modis omnibus desipere. Nam eo concesso cui soli innititur genethliaca diuinationo particularis, nihil obtinent. Vnde, per facile est cognitu, nihil omnino eos obtinere, quum non conceditur, quod verum esse nullis vnquam sunt rationibus veris obtenturi.

Præterea si & hoc illis vltro demus, quod maxime dari sibi volunt, cœli figuram in natum impressisse nescio quam qualitatem, vt pharmaca immutare corpora solent: non negabunt tamen, hanc ipsam vim infusam non cogere, sed inclinare solum. Etenim si necessariò euenirent, quæ illorum iudicio imprimere cœlum potuit, frustra susciperetur vllæ deliberationes de reb. quibuscunq; & incassum obseruaretur cœlum in rebus inchoandis. Ipsi autē peregrè abituros iubēt certo die ac temporis momento iter ingredi, equos vel naues conscendere. Præcipiunt similiter obseruata cœli figura quadam, vxorē ducere, fundamenta ædium atq; vrbium iacere, vestes induere, negocia inchoare, & similia agere. Si ergo cœli incitant solū natos sub certa aliqua siderū dispositione, & hæc ipsa incitatio propter incōprehensibilem naturæ & casuum varietatem, à qua voluntas atq; animus tam varie afficiuntur, & in cogitationes longè diuersissimas impellitur & abripitur, infinite omnib. horis impediri potest, vana est rursus auguratio ex cœlo. Taceo quòd aliæ cœli figurationes alias facultates huc demittentes, si vera est Astrologia, primam illam ita variè mutant, vt omnibus ferè momentis noua in eo nascantur consilia. Taceo quòd non posset

cælum corpus infantis aliis qualitatibus ornare, quam caliditate, frigiditate, ariditate, humiditate & omninò qualitatibus corporalibus: id quod ex supra demonstratis & ex Ptolemæi sententia necessariò efficitur. Et quis est, qui eat inficias, Medicos de his aptius ex veris causis iudicatu-ros, quàm astrologos ex cælo, & proinde fatuam aut certè inutilem esse curiositatem? Ex his autem rursus liquet tantam esse absurditatem Astrologiæ, vt omnibus propè concessis vana & futilis tamen sit existimanda.

CAPVT III.

IN præsentis capite ostendit autor, Electiones dierum & temporum aliquid agendi vanas & fatuas esse. Probationes autoris nec refutat Stathmion, nec potest refutare. Hoc ait, non aduersari pietati ac præceptis diuinis dierum & horarum electiones, & non esse digna responsione. Mira res est, quum de cæpis interrogatur Stathmion, de aliis responderet. Probauit autor inutiles esse istas obseruationes, si etiam infundere cæli & stellarum positus concedantur talia, propter quæ negotium incipiendum feliciter aut infelicitè procedat. Impium hoc esse commentum supra ostendit ex sacris literis, vbi totam artem execrabilem, & à Deo seuerè prohibitam demonstrauit. Equidem, quum Stathmion dierum & horarum electionem, tam frequenter & tam graui sub pœna interdictam in sacrosanctis literis, inficiatur pietati aduersari, quiduis videtur male, quàm futilitatem astrologicam deseruisse videri: nisi si dierum & temporum electionem intel-

tel-

relligit, non quomodo Astrologi de ea sentiunt, & à me paulò antè est expositum; sed quomodo Agricolaë tempus obseruant ferendi, metendi, cædendi ligna, & reliqua opera rustica aggrediendi. Hi enim, quum id non spectent, an constellationes fortunatæ vel infortunatæ sint, nec horas aut minuta minutis præferant, sed aeris temperamentum & rerum naturales vsitataeque singulis annis & mensibus mutationes intueantur, meritò diuinæ voluntati consentaneè agere dicuntur. Porrò, quod ait tantum in religionis negotiis vetari dierum electiones à Deo, purè astrologicum hoc est, putidum, futile, falsum mendacium est.

CAP. IV.

AD quartum caput, in quo impurissima & stultissima quædam summorum Astrologorum vaticinia Sauonarola percēset, ac quàm impudenter & turpiter sese dederint quouis tempore monstrat: hoc tantum respondet Stathmion, Astrologis Christianis confessum esse, in religionis rebus nullum vsum habere diuinationes astrologicas; atque errores abususque nullam è medio tollere veritatem. Si verum est, quod ait Stathmion, necesse est perpaucos reperiri hodie Astrologos Christianos. Plerique enim in suis annuis vaticiniis (rectiùs appellet quis *mendaciniis*) cum de aliis rebus omnibus membratim, tum de religionis mutationibus, turbis, rixis, conuentibus, successu felici vel infelici, incremento & decremento eiusdem augurantur. Sed quid istis hominibus facias?

Sauonarola postquam Astrologiam vniuerse primùm, deinde verò partes eius præcipuas sigillatim confutasset: nunc argumenta sex, quibus ferè approbare eam conantur, refellit in hoc capite. Stathmion ad illa solùm aliquid respondet, quibus Sauonarola ostendit falso Astrologos iactare experientiam sibi patrocinari. Vtitur inter cætera hoc argumento: Vt aliquid experientia sciatur factum ab aliqua certa causa, necesse est vt illa eadem causa visa aut cognita sit sæpe eundem effectum eodẽ modo produxisse. Est enim experientia rei eiusdem eodem modo sæpe factę obseruatio seu memoria. Quocirca quum constellatio cęli nulla iterum redeat similis priori, nõ poterit de vlla haberi scientia, ipsam videlicet tale quid perficendi potestatem possidere. Hic exultat Stathmion, & mirari se dicit, quomodo nõ pudeat nos talia asserere. Philosophatur & inuehitur in Ioan. Picum, & denique se argumenta pulcherrimè dissoluisse credit.

Primum ait Sauonarolam sic ratiocinari: *Experientia certa est & sui similis: Figurationes siderum nunquam similes sunt. Ergo non potest Astrologus vllius figurę experientiam habere.* An hic aliquid reprehendam? At tam sunt multa, vt omnia non possim, quum ne logices quidem præcepta meminisse videatur, qui sic colligit. Sed hoc misso, satis est solùm indicasse, Stathmionem argumentum aduersarii sui non percepisse, aut certè non aptè repetiuisse. Vt res sit dilucida & clara, nõ pigebit adscribere, quæ de experientia ad amicum in simili controuersia scripsi.

Ex.

Experientia est eiusdem rei sæpe eodemque modo factæ obseruatio : Ergo non poterit quisquam rectè affirmare, se per experiētiā cognouisse, hoc ab illo factum, nisi ab eodem sæpe eodemque factum modo percognouerit. Dico necesse esse, vt ab eodem factum sciat per se, non per accidens. Deinde vt causa nulla præsens fuerit alia, à qua idem effectus potuerit produci. Postremò vt neq; sensui neq; rationi repugnet, illum effectum ab illa causa produci. Nemo ergo rectè gloriabitur de experientia, nisi eādem rem sæpe fieri obseruarit. Deinde vt eodem modo siue ab eadē causa sæpe produci cognorit. Hoc autem scire nunquam poterit, nisi duo ista explorata habeat. Primùm, nullam adfuisse aliam causam, dum fieret, in quam rectè referri effectus potuerit; postea, vt nō repugnet rei naturæ, si ab illa causa generatus talis effectus ponatur. Hæc iam examinabimus, vt ea necessariò requiri liqueat.

Primùm, quod sæpe ita euenisse oporteat, ipsa notio experientiæ indicat. Non enim satis est, vt re aliqua præsentē, quippiam fiat, ad hoc, vt ab ea re factum credi debeat. Non enim quod præcedit aut adest, causa semper est eius, quod fit aut sequitur. Sic enim solis ortus causa per se foret omnium illorum dicenda, quæ post ipsius ortum homines faciunt. Sæpe tonitru factō, aut dum fieret, aliquis fortè in febrem incidit; nec tamen tonitru per se causa fuerat illius febris. Sic aliquādo causam certi effectus putant homines esse, cuius causa nullo modo est, nisi per accidens. Quia ergo quæ per accidens eueniunt, rarò ferè

eueniunt, oportet nos scire idem eodem modo sæpe euenisse.

Sed hoc nondum satis est. Multa namque sæpe fiunt eodem ferè modo, præsentem aut præcedente causa aliqua, quæ tamen effectuum illorum causa non est. Omnibus aliqui diebus scribunt, student, &c. nec tamen solis exortus & dies causæ harum rerum propriæ existimari debent. Sciri ergo præterea oportet, nullam aliam adesse causam, quæ aptè recteque dici queat effectum produxisse. Quam autem difficile sit hac de re iudicium, quum in plures præsentem causas probabiliter effectus aliquis referri valet, ipsa res satis declarat. Potes, quæ de hac re Gale. in comm. 1. aphor. 1. conscripsit perlegere. Qui medicam artem exercent, nimis frequenter hoc experiuntur. Quare non satis est scire eandem causam aliquam præsentem fuisse, quum vnus idemque effectus sæpe fieret; sed nullam præterea adfuisse oportet, in quam, vt veram causam, effectus ille referri potuerit. Sol semper est in cæli medio, aut certè plerumque, quum horologium duodecies pulsatur, exempli gratia: sed ista pulsatio ab aliis causis fieri potuit, vel commodiùs vel æquè commodè ac à sole. Ex hoc exemplo cætera cognosci faciliùs poterunt. Ideo enim rudi vti placuit, vt dilucidior res esset.

Verum enimvero ne hoc quidem satis est. Potest enim quæ verè causa effectus est, latere, & quæ non verè causa est, apparere, ac ita vsu venire, vt quæ causa non est, causa putetur fuisse. Et contrà, quæ causa verè est, effectumque produxit, causa esse nesciatur, vt quæ latuerit; ea interim
 appa-

apparente, quæ causa effectus non fuit. Quare hoc quoque considerare oportet, vtrum pugnet cum sensu, cum ratione, cum ipsa rerum natura, vt illum effectum ab ea, quæ nobis occurrebat tunc causa, productum asseramus.

Hæc iam ad rem nostram accommodaturi, exemplo prius declarabimus rhabarbari. Hanc radicem purgare bilem dicimus. Et, si quis roget, quomodo aut vnde sciamus: respondemus experientiam id nos docuisse. Etenim quum homini aliquando exhibitum fuisset, bilemque multam eduxisset, orta suspicio fuit, rhabarbarum hæc vi præditum esse. Quum idem postea plurimis saturis, famelicis, calefactis, perfrigeratis, ociosis, exercitatis, mulieribus, viris, adolescentibus, pueris, propinatū fuisset, semperque bilis deiectio consecuta fuisset, rhabarbarum virtutem in se bilem purgandi habere cognouerunt per experientiam. Si tu id neges, respondebunt tibi, qui huius rei periculum fecerunt, hoc modo: Quoties rhabarbarum homini exhibetur, siue calidus, siue frigidus is sit factus, siue æger sit siue sanus, expurgat semper bilem, tunc etiam quum causa nulla fingi potest alia præsens, quæ idem hoc efficere possit. Ambigi hæc de causa non potest, quin huius effectus per se causa sit rhabarbarum; si non aliter, certè vt instrumentum idoneum naturæ corporis. Ergo rectè bilis ista deiectio in rhabarbarum tanquam causam refertur. Non aduersatur autem rerum naturæ, si fungus aut radix aliqua pituitam detrahit, aliquam esse que bilē ducat. Rectè ergo dicetur, experientiam cognitū esse quod rhabarbarum bilem trahat. Omnes enim conditiones commemoratæ adsunt.

M

iam, an Astrologi possint effectus, quos præscire cupiunt, imò videri præscire volūt, sic a præsidio sideribus, dispiciamus. Equidem conditiones omnes repugnant. Nam nec eundē effectum sæpe obseruarunt ab eadem causa prouenisse. Nec possunt negare, quin iidem effectus, quos à sideribus profectos contendunt, in alias propiores & veriores causas referri queant. Quòd postremò ipsorum positio, euidentiæ, rationi ac naturæ aduersetur, ex supra declaratis patet: vbi dilucidè expositum est, quā ratione fieri nequeat, vt vniuersalis communisq; causa, particularis fiat. Attamen vt res illustrior sit & clarior, exemplum adferam astrologicum, non parum aptum proposito nostro.

Ponamus certam solis eclipsim bellum ciere posse, vt tu in tuis literis affirmas. Si quomodo id cognoueris percuncter, experientiā te cognouisse respondebis. Quæro ergo ex te iam, vtrum eādē specie solis eclipsim sæpe bellum suscitasse obseruaueris. Quæro deinde, an belli cuiuslibet, quod eclipsim eam sequutum ponitur, non veriores hîc inuenire licuerit causas. Quæro tertio, an non rerum euidentiæ contrarium credat, qui eclipsim excitare per se bellum credit.

Quid ad primum responsurus sis ignoro, quid verum sit, probè scio. Certum est eandē prorsus specie eclipsim, aut aliam quanuis siderum figurationem redire nunquam posse; aliqua ex parte similem posse, at non nisi post longum tempus. Non id dico, quod aliquib. placuit: mihi autem placere, nisi rectè intelligatur, non potest, totius cœli sidera concurrere ad effectum quēlibet particularem

ticularem

ticularem producendum. Nihil tamen isti quoque dicunt, quod, qui candidè interpretatur, facile damnare possit. Hoc certum est, maximam partem hæmisphærii siue dimidii cæli vires sibi mutuo secundum Astrologorum dogma cõmunicare. Radii namq; omnium suo modo vniuntur; pro diuersitate tamen positus, diuersè. Iam hoc etiam constat, sidera siue stellas per paucas notas esse Astrologis. Non enim omnium, imò ne plurimarum quidem se vires cognoscere affirmare coguntur. Quare, quum diuerso positu aliæ aliarum vires augeant, promoueant, retardet, impediant, mutent; sciri non potest, quatenus singularum figurationū potestates permutatæ sint; nisi omnium vires exploratè cognitæ habeant, & quantum ex figuræ mutatione qualibet, virium vel accedat vel detrahatur, perspexerint. Nam vt sol in eodem signo similiter deficiat, non tamen ceteræ omnes stellæ eum in cælo situm habent, quem quum antea in hoc signo deficiebat, obtinebant. Quantum igitur nuper promouerãte efficacitatem eclipsis, tãtum fortasse iam impediunt. Hoc aut ignorare eos necesse est tantisper, dum singularum vires perdidicerint. Quod quum fieri nequeat, quis, quæso, non videt, primã statim conditione Astrologorum experientiam priuatam esse?

Respondet hoc loco ineptissimus quidam Astrologus ineptissimè. Medici, ait, etsi herbarum omnium vires non explorarunt, multarum tamẽ facultates per experientiam cognouerunt. Quid igitur prohibet idẽ de Astrologis sentire? Non op^o est, arbitror, multis declarare quid prohibeat.

iam enim expositum est. Herbae singulae per se adhiberi corporibus, vel intra corpora sumi solent ac possunt, quum quâ potestate praeditae sint, inuestigatur, quare singularem per se actionem obseruare sigillatim Medici possunt. Nam quae nec admouetur nec sumuntur, eae admotarum vim nec augere nec impedire possunt. Si eodem modo singularum stellarum potentiam, ab aliarum viribus separatâ ostendere mihi aliquis possit, credam tunc Astrologis, eos aliquid interdum scire amplius posse. Iam quum omnia sidera eodem tempore semper vires communicent ac radios, seorsum nullum solum agat: certum est mutatę figurę potestatem ignorari, dum nescitur quantum singulae stellae, pro positus diuersitate, figurę cuiuslibet actionem vel promouere vel retardare valeant. Etenim nullius sideris vires tantae (exceptis solis atq; lunae potestatibus.) ad nos perueniunt, vt sensibilibus ab aliorum viribus discernere possimus. Possunt ergo Medici plantarum vires quarundam cognoscere, tametsi longè plurimarum virtutes ignorent: Astrologi stellarum hoc modo non possunt. Taceo quod praeter experientiam sensu ac ratione varię harum vires diiudicare possumus: illarum si possemus, non nisi per experientiam possemus notare & discernere. Putidam ergo, imperitam & verè astrologicam constat hanc esse responsionem, & primam conditionem Astrologicae experientiae prorsus deesse magis elucet.

Videamus ergo nunc, an secunda conditio adfit: vtrum bella quae post dictas eclipses secuta sunt, non potuerint recte, apte, prudenter, verè in
alias

alias causas propiores referri: veluti in Principū & Regum odium, auaritiam, regnandi libidinē, ambitionem, vanæ gloriæ studium, opes amplificandi cupiditatē, & quæ huius generis alia Principes extimulāt, vt bonis alii aliorum inhient? Si neges ab his nasci bella, siue appareant siue non appareant in cœlo eclipseis, verè de te dici potest, quod de me falso dicis, te doctis & prudentibus communem sensum adimere, imò te ex hominibus plus quàm bruta facere conari. Si affirmes, non ideo bellum exortum esse vides, quia eclipsis apparuit; sed quia hæc adfuerunt, & præterea, arma, vires, copiæ, pecuniæ, occasio. Nec enim dubito quin credas absque his bellum neminem suscipere.

Si ergo hæc adsint, nec ab eclipsi dari potuerint; frustra nobis narres eclipsim suscitasse bellū. Sanè qui aliena inuadere cupit, & suis adiicere fatagit, atq; iam commemorata habet in promptu, bellum vicino inferet, siue eclipsis in cœlo visa sit, siue non sit visa. Vnde plurima bella nullâ eclipsi præcedente exorta sunt: ac multas eclipseis etiam nulla bella secuta sunt. Atqui respondeat fortassis Astrologus, eclipsis Principum animos, qui ad bellum parata omnia habent, excitat. Respondeo, falsum hoc esse. Nam nec animos permouere possunt cœli, nec corpora aliter afficere quàm affici idonea sunt, sicut supra ostendimus. Et quomodocunq; cogitetur hoc perficere eclipsis, semper tamen rectiùs in prædictas causas propinquas referetur bellum, quam in cœlum ex omnium non infatuatorum hominum sententia. Ruit ergo hac quoq; in parte experientia vestra,

quum quæ à cælo effecta dicitis, aptius & verius in proximas causas referuntur. Eclipseis certè nõ nisi prorsus per accidens causæ vocari possunt.

De tertia conditione, quòd illa etiam absit, nõ opus est longa disputatione. Tu ab eclipsib. bella fieri asseveras, & nihil probas. Ego nego & illis argumentis demonstro, quæ tu refellere non potes. Non possum mihi persuadere te nolle, quum præsertim in his literis aliquo modo têtaris. Quã feliciter, ex iam dictis perspicias. Perinde facit qui eclipsim bellum suscitaturam affirmat, ac si quis glorientem gallinam anseres exclusuram narret, quum, an subiicienda anserina oua illi sint, prorsus & simpliciter ignoret. Si etiam eclipsis aliqua permouere ad bellum posset principis alicuius animum, non tamen constaret cuius. nam omniũ dici nequit. Sic enim omnium hominum permoueret, quod perspicuè falsum, & absurdorum absurdissimum est.

Deinde si hoc etiam cognitum foret, quod impossibile esse tu ipse vides, nondum tamen constaret, an vires, milites idoneos, pecunias, & occasionem obtineret. Nisi fortasse ei thesaurũ ostendat latentem alicubi eclipsis, & exercitum ei conscribat, ac animos eorum, qui à consiliis ipsi sunt, ita flectat, vt à proposito Principem non dehortentur suum. Non satis est eclipsim in cælo apparere, aliis præterea opus est. Si quia illa præcessit, hæc sequi oportet, causa eorum vt sit, & quidẽ per se causa, est necesse. Sed hoc falsum tu quoq;, credo, fateberis. Quod si sæpe post eclipsim bellum secutum respondeas, nihil dixeris. Non enim quod præcedit, semper est causa eius
quod

quod sequitur. Fortasse causa vera effectus latuit, & quæ causa non erat, præcessit. Nisi ita sit, cometa siue eclipsis proxima te impulit, vt tu præclare Astrologiam tuis argumentis defenderes.

Deinde addit hæc etiã Stathmion. Picus tradit vnde Erastus sua delumfit, particularem experientiam non facere vniuersalem, quum tamẽ non genus excitet species, sed species efficiãt genus. Quod si poterit Erastus vel in medicina ostẽdere aliquam experientiam, quæ non ex particularibus nata sit experientiis, vicerit is sanẽ. Quis enim diceret vinum calefacere, si nõ hoc & istud & reliqua particularia vina sigillatim expertus fuisset calefacere? Proinde non potest verẽ dicere Picus, particulares experientias non concludere generalem. Quoniam autem dicitur integrẽ nõquam redire eandem figuram, quæro an duos aliquando morbos omni ex parte viderit Erastus similes? An ideo nulla erit in medicina experiẽtia? Astrologus multiplici experientia didicit quid planeta quis in tali signo & figura egerit. Et si enim stellæ immobiles octaui cœli mutant situm, ex illis tamen ea est, ac planetarum vires aut nihil, aut leuiter impedit.

Picum hoc loco defendere nõ decreui. Quod si maximẽ vellem, contra Stathmionem tamen minimẽ foret consultum. Ea fuit hominis eruditio, ingenium, iudicium: talibus argumentis prostravit & euertit Astrologiam, quæ Stathmion, si possit intelligere, possit admirari, non autem refellere. Conatus ei est respondere homo turbulentus & indoctus Bellantius: verũm ita respondit, vt prudentes Astrologi non multũm hoc

patrono gloriantur. Si Stathmion putat, Picum aut me negasse particulares experientias facere vniuersalem, eo videlicet modo, quo exempla eum sensisse videantur probare, iniuriam nobis facit maximam. Quis enim neget omne vinum calefacere, si per experientiam cognouerit particularia vina cuncta calefacere? Qui particularia animalia vniuersa sigillatim vidit moueri, non dubitabit asserere omnia animalia moueri. At qui vnum aut duo moueri tantum est expertus, non poterit rectè concludere ex eo omnia moueri. Si aliter intelligi vult, nihil ad rem propositam faciunt, quæ profert: ideoque facile à nobis negligentur, præsertim quum ex suprâ declaratis omninò liqueat, experientiam Astrologos nullam prætexere posse.

Quæstio erat, an per experientiam cognosci posset, quam vim causa aliqua haberet. Responsum est, cognosci sic posse, si sæpe visa sit hoc ipsam in eadem subiecta agere. Additum fuit, hoc de cælestibus figurationibus affirmari non posse, vt quæ nunquam redeant similes. Qui scire cupit, an rhabarbarum bilem purget, hunc oportet ipsum solum exhibere, vt nihil admisceat aliorum pharmacorum, de quibus idem possit credi. Si hoc pacto sæpe diuersis hominibus, maribus, fœminis, iuuenibus, senibus, pueris, valentibus adhuc & decumbentibus exhibitum, semper bilem detraxerit solum aut præcipuè, rectè dicetur experientiam docuisse, vim purgandæ bilis inesse rhabarbaro. Si cum aliis exhibitum semper sit potestate simili præditis, certò sciri nequit, à quibus bilis detracta fuerit. Hoc pacto oportet Astrologos vni-

vni-

vnus figuræ cœlestis vim seorsum explorasse, si experientia cognouisse viderivolunt, hanc vel illam ei vim adesse. Quod enim Marti, exempli gratia, tribuant, hoc alius cæteris cœli sideribus, vel omnibus, vel aliquibus, & præterea causis secundis & proximis adscripserit.

Non hæc erat quæstio, an morbi duo inuenirentur prorsus similes: sed an vini generosi potus, exempli gratia, posset calefacere, atque interdum etiam febrem excitare. Hoc quia sæpe, illud autem semper effecisse visum est, tametsi solum, nullis calidis admixtis exhibitum fuisset; conclusum est, vt per experientiam cognitum, in vino generoso has inesse facultates. Sic rursus apparet, Stathmionem de cœpis interrogatum, de aliis respondisse. Quæ præterea hîc dici possent, sunt iam ante copiose ac fuse exposita, vt ex iis facilè erui responsio possit. Quare ad extremum caput quid respondeat Stathmion, considerabimus.

CAPVT VI.

IN sexto & postremo capite concludit ex prædictis Sauonarola, non modò Astrologiam, quæ propemodum fons sit & origo plurimarum diuinationum, verùm etiam alios omnes diuinationis modos, quibuscunque ii tandem nominibus nominentur, impios, prophanos, futiles, & ridiculos esse, atque per pactum vel expressum vel occultum Dæmonum peragi: quod D. Augustinus & plerique omnes ex Scholasticis censuerunt. Hoc non potest concoquere Stathmiõ; sed nauseam tantam iramque ei mouet, vt depugnare acrius pro Astrologia, & quiduis pati vide-

atur paratus, si probem Astrologiam non nisi naturalibus causis ac fundamentis. Id quia me facere non posse putat, vel certè putare se simulat, nõ veretur inficiari, *Astrologiam diuinationis speciem esse.* At verò suprà id à me ita est demonstratum, vt sperem Stathmionem, si modò non est profus ab Astrologia demētatus, mecum idem quoque confessorum tacitè, vt vt aliud verbis conetur aliis persuadere. Non enim ideo naturalibus innititur causis, quia astra sunt naturalia corpora. Sic enim Augurium, Auspicium, Aruspicina, Pyromantia & plurimæ aliæ superstitiolæ hariolationes naturalibus nisi causis probarentur. Si probatum prius fuerit, astra in hunc finem à Deo condita esse, vt futura, de quibus diuinant Astrologi, præsignificent, rectè quidem res habebit. At hoc tunc faciet fortasse Stathmion, aut alius quispiam Astrologus, quum Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.

Fateri nos rectè scribit, præscientiam futurorum ex naturalibus causis, nimirum veris, proximis, finitimis, (non autem ex communibus, indefinitis, longissimè distitis & vniuersalissimis) possibilem esse, quo modo suprà declarauimus. Ostensum non minus est, Astrologos tales causas nec scire, nec scire posse. Etenim sidera tales causæ nec fuerunt, nec sunt, nec erunt vnquam. Ideo non magis ex naturalibus causis diuinant Astrologi, quàm Augures vel Aruspices, quum auium cantum illi, exta verò hi obseruant: quippe cœli particularia ista nec efficiunt, nec significant. Vt enim causæ sint, ita nihilominus sunt causæ, vt horum per se nihil, at per accidens, hoc est.

est.

est, ob variam secundarum causarum coniuncti-
onem variè omnia permutent vna facultate, vt
supra exemplo gallinæ ouis incubantis diligēter
hanc rem declarauit.

In conclusione, Diabolos ait futura præscire.
Id si ita intelligit, vt suprâ exposui homines pos-
se, videl. Medicos, Nautas, prudentes, atq; tantò
his melius, quantò sunt sagaciores & intelligen-
tiores, non eo inficias. De hac re quisquis plura
nouisse cupit, D. Augustini libellum de Diuina-
tione Dæmonum perlegat. Si aliter sentit, aio,
eum manifestè contradicere Deo & verbo eius,
probatifque omnibus sacris scriptoribus, vt sub
initium ex Esaia probatum fuit. Sic & D. Atha-
sius in vita Antonii Eremitæ, ex qua supra etiam
aliquid citauimus, scribit de Dæmonibus. *Non
enim, inquit, ea, quæ nondum fieri cœpta sunt, refe-
runt, quia Dominus solus conscius est futurorum: sed
quorum conspiciunt in actu initium, eorum sibi tan-
quam fures apud ignaros vendicant notionem. Et
mox: Ut enim speculator beati David ad verticem
loci celsioris ascendens, prior quàm hi, qui in terra e-
rant, prospiciens venientes, non quædam incerta de
futuris, sed de his, qui venire cœperant, nunciabat:
sic & Dæmones cura peruigili omnia considerantes ra-
pido cursu sibi inuicem nunciant.* Quod deinde
ex Hieronymo ait, in diuinatione semper inter-
uenire Dæmonium, hoc alii omnes affirma-
runt, siue apertè fiat, siue occultè. Facilè nam-
que ipsis ignorantibus in phantasia se insinu-
at, eamque certo quodam modo mouet, vt se ex-
cogitasse putent, quæ inspirata sibi à Dæmone
nesciunt. Cur Astrologia sit impia, futilis &

vana, tam sæpè est dictum, vt me repetere pigeat. Non istæ sunt causæ, quas hîc adducit Stathmion, sed quod inimica est Deo, quod supra hominis vires, quòd nullis nisi fallacibus & eumentis vitur principiis, & denique ob eas causas, quas in tota ista defensione aliquoties inculcaui.

Affirmat Stathmion, non posse me Astrologiam ab arte medica diuidere vel abrumpere, nisi mutilare eam velim, etiam teste Galeno. Ego verò contrà ei hoc repono, & iudices omnes doctos esse volo, imperitissimos & infelicissimos Medicos omnibus extitisse ætatibus, & hodie etiam existere eos, qui astrologicis deliriis impensè fauent, ac in medendo anxie obseruant; contrà verò docet seculorum omnium experientia, doctissimos, felicissimos & experientissimos Medicos Astrologiam semper risisse aspernatosq; fuisse. Galenus mentitos scribit illos, qui eum prædixisse ex astris aut ex aliis quàm medicis signis, quæ videlicet in corpore apparent, dixissent. Quin & alio loco scribit, cuius mentionem supra fecimus etiam, se Astrologos seu Vates Romæ nunquam vera de ægrotis prædicere vidisse, aliarum vrbi-um Vatum periculum se non fecisse. Satis intelligitur Romæ non fuisse pessimos artifices. Si ergo hi verum nunquam præsensere, Galenus autem in prædicendo nunquam aberrauit, quanquam ex solis corporeis accidentibus iam præsentibus prædicere; facilè intelligimus, quantum inter se distent Astrologia & Medicina. Tantum certè differunt, quantum veritas & mendacium. Alibi demonstrauius Hippocratem, Galenum, aliosque præstantes Medicos in artis operibus Astrologia nunquam fuisse vsos.

Quoniam verò ad manus adhuc sunt Augustini libri Confessionum, libet hanc disputationem ipsius verbis concludere, quæ habentur in lib. 4. cap. 3. *Erat eo tempore vir sagax, medicinae artis peritissimus, atque in ea nobilissimus: qui ubi cognouit ex meo colloquio libris Genethliacorum esse me deditum, benignè ac paternè monuit, ut eos abiicerem, neq; curam & operam rebus utilibus necessariam, illi vanitati frustra impenderem: dicens, ita se illam didicisse, ut eius professionem primis vitæ suæ annis deferre voluisset, quâ vitam degeret: & si Hippocratem intellexisset, & illas utique literas potuisset intelligere: & tamen non ob aliam causam se postea illis relictis medicinam asscutam, nisi quòd eas falsissimas comperisset, & nollet vir grauis decipiendis hominibus victum querere. At tu, inquit, quo te in hominibus sustentens Rhetoricam tenes, hanc autem fallaciam libero studio, non necessitate rei familiaris sectaris: quo magis mihi te oportet de illa credere, qui eam tam perfectè discere elaborauit, quam ex ea sola viuere voluit. & quæ lequuntur. Vides hinc Stathmion graues & doctos viros, qui probè Astrologiam tenuerunt, falsitate eius compertâ eam abiecisse, atque ad artem medicam se transulisse, nihilque illi cõmune esse cû hac posse existimasse? Quid si iidem cognouissent tantopere prohibitam à Deo fuisse? Profecto execrati omnibus modis fuissent, caneque peius & angue odissent ac vitassent.*

DEVS Optimus Max. hoc in nobis per sanctum suum Spiritum perficiat, ut illi soli audientes simus, illi nos totos dedamus, ab eo solo pendeamus; & quæ vel prohibet vel iubet, decline-

mus & persequamur tantum, per Christum Dō-
minum nostrum, Amen.



CONFUTATIO THESIVM

CLXXVIII. ASTROLOGI-
carum.

*Thomas Erastus Pio & Candido Le-
ctori S. D.*

ROPositiones apologeticas de
prædictionibus astrologicis 178: non
temerè nullaque de causa confutare
institui: quod ut tu quoque videas, pla-
cet hoc loco brevissimis huius mei facti causas ex-
ponere. Prima est, quod harum autor in publico
doctissimorum hominum consensu, testatus est,
se aliquid contra me pro Astrologia meditari:
altera, quòd idem ille non multò post hoc ipsum
mihi priuatim per occasionem narrauit, simulq;
rogauit, ne odio mei, sed veritatis tuendæ studio
potius id se tentare iudicarem. Ad quæ tum ego,
me nihil damnare posse, quod pro veritate vel
publicè vel priuatim susciperetur, modò ab iniu-
ria & contumelia sibi tēperarent, qui tale aliquid
facere constituissent. Neque sanè accusare illa-
rum autorem immodestiæ possum: quò fit, ut
lenissimè ego quoque illas confutare stadia-
tim. Postrema causa est, quòd minimè futurum
de-

despero, ut rationum suarum infirmitate exposita, tum ipse, tum alii vel à pristina opinione discedant, vel si inueteratam in suis animis sententiam statim abiicere nequeant, aliter tamē deinceps de hisce rebus differant. Quod ad me attinet, inuitus certè multas ob causas in istis refellendis occupor; ideoque non statui singula persequi, aut multum litigare de nominibus; sed præcipua duntaxat argumenta ad veritatis stateram siue trutinam examinare. Quod si certa de causa interdum extra propositum excurrere videbor, omnia tamen quàm paucissimis absoluam.

In propositionibus 27. quas de hominis statu ante lapsum scripsit, quædã non mala esse fateor: sed multò plura in iisdem continentur, quæ mihi quidē partim falsa, partim nō satis appositè dicta videantur. Attamen illis omissis ad præcipuã duntaxat argumentationem, quæ ad rem maximè pertinet, respondebo. Ea ferè talis est: *Si non peccasset homo sed in statu innocentie perseuerasset, rerum creatarum omnium, coelestium videlicet ac sublunarium perfectam notitiam retinisset, sympathiam atq; antipathiam inferiorum ad superiora peruidisset, &c.* Ergo ex astris futura præsciuisset. Hic statim apparet, quàm non seruentur disputationis leges, quum id quod maximè controuersum est, pro vero sumatur. Tota nanque controuersia in eo versatur, an sidera præsignificare futura contingentia, aut eadem efficere per se possint. Nam de his solis, non autem de necessariò euenientibus concertatio est. Nos negamus, & certissimis argumentis sententiam nostram probamus. Hic autem noster, tanquam firmissi-

mis rationibus id antea demonstraſſet, hoc ſibi mox vt verum & certum ſumit. At hoc modo nequaquam difficile eſt omnes diuinationum ſpecies probare veras eſſe. Etenim Augur eadem ratione Augurium demonſtrauerit, artem eſſe præclariffimam, hoc modo: *Si non peccaſſet homo, auium naturam exploratè notam habuiſſet: ergo ex auium volatu, geſtu, garritu diuinare potuiſſet.* Ratio eadem eſt Aruſpicinæ & diuinationis cuiuslibet. Satis ex his apparet, quàm nihil autor hoc argumèto ſuo obtineat.

Dicat hîc fortaiſſis aliquis Astrologus, in argumentis diſparitatem eſſe, propterea quòd aues non ſint ad hoc factæ à Deo, vt futura præoſtendant. Huic nos reſpondemus, ſummam eſſe ſimilitudinem. Non enim concedimus ſidera res futuras, de quibus nos loquimur, aut præſignificare aut efficere magis poſſe, quàm aues. Quod ſi argumentis ex euentibus ſumptis approbanda alterutra ſuperſtitio ſit, minimè verear affirmare, Augurii defenſorem rationes plures & probabiliiores pro aſſerendo Augurio habiturum, quàm Astrologum pro ſua vanitate demonſtranda. Nec opus eſt vt commemorem, quæ apud omnium ætatum & gentium hiſtoricos reperiuntur teſtimonia, ſed eorum ſatis eſt meminiffe, quæ vulgus nouit.

Certè nemo tam eſt ruſticus inter agricolas, qui non ex geſtu, motu, garritu quarundam auium præuideat tempeſtates, pluuias, ventos, & alias tales aëcis permutationes. Obſeruatū eſt etiã à Medicis, ſi præter morem & conſuetudinem aues certa quædam loca nidosque ſuos deſeruiſſent,

ſent,

sent, aut pestem, aut aliud ingens & insuetum malum consecutum. Talia referre multa possem, si res postularet. Qui naturæ non est prorsus imperitus, facile intelligit quâ ratione ista eueniant, & Augurium tamen inde non adiuuari. Rursus ergo videt lector, illius argumenti vitiosam esse conclusionem.

Neque incommodum hoc effugiet, qui auiû volatum aut migrationem talium rerum causas esse negabit; quod nos quoque confitemur. Sed neque cœlos illarum rerum quas vaticinando prænunciant Astrologi, causas esse concedimus, nisi valde vniuersales, & à cuncta natura longissimè distitas. Tametsi enim libenter adeoque vltro fatemur, sidera præpotenti & salutari suâ potestate hæc inferiora mouere & gubernare vniuersa; non tamen effectuum inde distinctionem pendere credendum est, quæ à propinquissimis & quasi continuatis causis tantum proficiscitur. Si Astrologi volēt persuadere doctis & piis hominibus ex astris contingentia futura præcognosci posse, duas sumtiones probare eos oportebit; quarum prima hæc est, homines naturali facultate siue arte futura intelligere posse; altera, Sidera ad hanc quoq; rem à natura sine Deo facta conditaq; esse, vt eiusmodi præindicare, ipsiq; certa ratione vel arte addiscere valeant. Sic enim diuinare homines posse probetur.

Voco autem Diuinationem, futurorum contingentium sine propin quarum causarum cognitione *præsentionem*. Græci ipsam à *μανια*, Platone teste, *μαντικην*, quasi *μανικην* dicas, appellarunt, quæ admodum Latini à Diuis deduxerunt, ipso v-

trique nomine indicantes, supra sortem conditi-
onemque hominis esse futurorum talium præ-
scientiam. Talis namq; futurorum prænotio so-
lius Dei munus est, vt S. Scriptura eiusdemque
interpretes summo consensu docent. Non opus
est, vt in hoc probando longiorem orationem
ponam: quod alibi satis probatū est, & ex sequē-
tibus intelligi quoque potest. Sed & philosophi
quoq; idem semper testati sunt. Aristotelis sen-
tentia cūm ex vltimo cap. primi libri, siue partis
ἡ εἰρηνείας, tum ex tota ipsius philosophia notis-
sima est.

Minimè verò, quæ diximus labefacit, quod
vulgò diuinare putantur Medici, Nautæ, Agrico-
læ, & prudentes viri. Nam si propriè loqui vole-
mus, tales non diuinant, sed quæ iam esse cœpe-
runt, & præ paruitate imperitos adhuc latent, ex
actione proximarum causarum annūciant. Quā
rem Galenus exemplo plantarum nuper ex terra
ortarum planissimè declarat in com. i. libri Pro-
pheti. Hippocratis, quem alibi locum citauimus.
Non multò post, quum de Medicis loqueretur,
qui morbos quoslibet non antè suis appellatio-
nibus nominandos contendebant, quàm ma-
gnitudine iam sua absoluti forent, ita scribit:
*Ἰπεριδόντες ἢ μικρῶς λόγῳ ἢ κατ' ἀρχὰς ἡμῖν ῥηθέντων, ὡς ἔδει
προγενῶς καὶ ἢ τοῖς ἰατροῖς μέλλον πύθνηται, τῶν ἤδη μὲν ἀρχῆς
γενέσεως ἔχόντων, ἔδεω ἢ τοῖς πολλοῖς ἀπὸ τὴν μικρότητος γνω-
ριζομένη τοῖς τεχνίταις γνώσις ἀπυγγεληθείσας, τοῖς ἰδιώταις προ-
γνώσις, ὡς πρὸς ἐκείνας ἐστὶ.*

Hæc adscripsi ex infinitis propemodum, non
ob eam causam, vt probarem quod dictis omni-
bus est confessum, & quod in arte medica verla-
to nemini potest videri ambiguum; sed vt obiter
monerem tātūm, quid inter præfagationem ho-

rum artificum, & verè dictam Diuinationem interfit. Non .n. propriè prædicunt Medici, Nautæ, Agricollæ, &c. quæ nondum sunt, sed quæ iam fieri incepisse obseruauerunt, imperitos aut adhuc latent, ex incepta iam actione causæ cum effectu cohærentis, (adhibitis etiam cæteris circumstantiis) quædam euentura asseuerant. Diuinatores autem his omnib. ignoratis aut neglectis, prædiuinare satagunt, quæ longo post tempore futura sint, ex causis nullis, aut vniuersalibus remotis & accidentalibus. Quare quum ex sideribus vt remotissimis & planè per accidens causis, harum, quæ hic particulatim fiunt, rerum nihil prævideri queat; hoc certè nõ debuit pro certo atq; probato sumi.

Quod si Adam ante lapsum ex cœli cõuersione potuit futura cognoscere, cur nõ suam posteritatisq; suæ calamitatẽ præuidit? An quia hoc ad religionem pertinebat? Sic enim interdum respondere Astrologos animaduerto. Quanquam vt sibi nunquam consent, in annuis vaticiniis perpetuò ferè mutationes & turbas propter religionem nascituras prænunciant. Id si hodie reb. perditis ipsi possunt, qui maximam partem se ignorare fateri coguntur; cur non Adam potuisset rebus saluis, & nihil talium, quæ ad artem pertinere isti dicunt, ignorans? Sed hoc mihi in præsentia dicat potius, quomodo ad religionem magis attingere defensuri sint, excludi ex hortu voluptatis, perpeti frigus, calorem, morbos, famẽ, sitim, labores; quàm bella, turbas, lites, seditiones, quas religionis causã orituras nunquam non vaticinantur. Quanquam enim illa spretum mandatũ diuinum consecuta sunt vt pœnæ quædam, ad re-

ligionem tamen non magis olim quàm nunc, & quàm cætera enumerata pertinuerunt. Ergo sinõ potuit illa præscire Adã, propterea quòd vt peccati pœnæ peccatum secutura essent, non poterunt talia hodie quoque ob eandem causam in cœlo præintelligi. Nostri iam Astrologi ipsa quoque peccata multis antè annis quàm committenda sint, se præuidere dictitant, Adamo longè doctiores facti, scilicet. Vt vt autem ista habeât, certum hoc est, neutram Astrologos sumtionẽ hucusque probauisse, aut probare potuisse. Dum ergo pro confessis accipiunt, quæ in primis probare debebât, hæc nobis frustra obtrudere conabûntur.

Quæ de homine non lapsò dixit, nihil concludere docui. Iam quæ de lapsò dicit, considerata sunt. Quod in 28. & postea 51. *Thesi* dicitur, homines & iublunaria ista aliter à cœlo post lapsũ quàm ante eundem affici, libenter concedemus, modò non in cœlo, sed in homine & terra mutationem factam intelligamus. Ex primorum hominũ peccato distortionem in natura ipsorum secutam, & propter eosdẽ terræ maledictum legimus; in cœlo mutationem factam vel minimam, nusquam memini legisse. Ipsa cœlestium natura luculentè satis docet, nihil ipsis deterius accidisse. Quum ergo quod recipitur, pro natura, non dantis, sed suscipientis recipiatur, minimè cunctamur & ipsi confiteri & profiteri, nos & terram non eo prorsus modo post maledictionem cœlestium vires suscipere, quo antea cùm homo tum terra suscipiebant. Quæ vero vsq; ad 35. thesin sequuntur, nulla refutatione indigent, quum narrationẽ solum contineant. Ad 35. ergo veniendum est, quàm
iam

iam propositæ incipit respondere quæstioni, cuius sensus paucis verbis comprehensus hic est:

Deus vult vt hanc *μεντικὴν* ex astris petitam retineamus. Imo verò quomodo nos retinere vult Deus, quã nunquam tenuimus diuinationẽ? Nõdum probatum est hominem diuinare posse, absque eo vt diuinitus hoc ei doneatur inspireturq;. Multò minùs quòd in astris futura cerni queant, probatum est. Ego autem ex omnium doctorum hominum iudicio monui suprà. præscientiam rerum futurarum contingen- iam excedere humani ingenii captum. Monui præterea ex sideribus, vt remotis & longinquis, præterea communissimis & per accidens causis, hanc præuisionem impossibilem esse, & à sacris literis & harum expositoribus antiquis omnibus summo consensu abiici, ac damnari: quæ omnia tam sunt vera, vt negari à nemine possint, qui in horum librorum lectione versatus sit. De sacris ipsis literis aliquid postea dicetur, quum autor nos eò adiget.

De vetustis patribus tam est absq; controuersia verum quod diximus, vt in præfatione ipsemet harum theseon autor se id vidisse indicarit. Vnico antiquissimi doctoris Tertulliani hoc in loco testimonio contentus ero. Is in Apologetico quum Augures, Aruspices, Astrologos, & Magos, de Cæsarium capite consuli dixisset, addit Christianos ne suis quidem priuatis & propriis causis, has adhibere artes, tantum abesse vt per eas de Cæsarium capitibus inquirant. Rationes duas affert, cur nunquam his vtantur artibus Christiani. Prima est, quòd ab angelis desertoribus proditæ traditæque sint. Altera, quòd à Deo interdictæ

lunt. Locus est in Apologet. suo aduersus gentes, in fine 36. cap. arbitror, quem nulla interpretatione excusare Astrologi poterunt. De cæteris ecclesie Doctorib. præsertim verò Augustino acerrimo huius vanitatis oppugnatore, non vacat hinc plura dicere, quemadmodum nec de philosophis præstantioribus testimonia hinc transcribere.

Nemo ferè ignorat Platonem, Aristotelem, Auerroem, stellas omnes bonas iudicasse, non alias felices & fortunatas, alias verò infelices censuisse. Quam acriter Auerroes, & ante Aristot. celebris Mathematicus Eudoxus, deinde verò Auicenna, Plotinus, & hunc exponens Marsilius Ficinus, (qui tamen non nihil prius fauisse huic stultitie visus est,) vnà cum præstantissimis omnibus philosophis Astrologiam vituperet, in horum libris legere vnusquisq; poterit. De Eudoxo testimonium alii dicunt. Sed quicquid hi sensisse cogitentur, satis fuerit in præsentia monuisse, sacrosanctas literas omnem diuinandi speciem, quæ talis verè sit (namque Medicos, Nautas, &c. iam ostendi nequaquam propriè Diuinatores, Vates, aut *Martes*, dici vllò modo posse) execrari & prohibere. Quod porrò ex astris Diuinitio, verè sit dicenda Diuinitio & *Martia*, (quod hinc noster quoq; rectè concedit,) probari facilè posset, si res flagitaret. At non flagitat, quum scriptura nominatim eam inter Diuinationum species & enumerat & prohibet. Quamobrem falsum esse oportet omnib; modis, quod affirmabatur, Deum velle vt vaticinationem ex astris retineamus. Et de ipsa quidè conclusione hæctenus.

Rationes autem quibus eam comprobare studet,

det,

det, superest vt examinemus. Prima hæc est: Deus vult lucē e suæ præsentia signa & testimonia illustria, quib. innotescat & celebretur: ergo vult nos retinere diuinationem ex astris. Atqui simili argumento, id est, prorsus vano, Augurium, Aruspicinam & quaslibet ferè diuinationes probaueris retinendas & excolendas esse. Deus vult lucere testimonia illustria suæ præsentia: ergo ex auiibus, hostiis, igne, aere, punctis, & re qualibet est diuinandum. Certe in vtroq; argumento nulla est dissimilitudo. Si primum valet, secundum valere etiam oportet. Si dicat Astrologus aues, hostias, puncta, &c. non esse causas euentuum quos præindicare putantur: idem de astris nos & dicimus & probamus. Non dicam hîc plura, Galeno admonente, *Ἐπεὶ δὲ τὸ μὴ Ἐπεὶ δὲ ἄξια ἐλέγχειν, τῶν ἀστρολογῶν.*

Secunda ratio. Ordinatio Dei, quâ nobis astra iussit esse in signa & tempora & annos, permanet, quantumuis homo horribiliter deformatus, hebetata mentis acie, in hanc causarum & effectuum copulam intueatur. Ergo Astrologia retinenda est. Consecutionis probatio hæc sit oportet. Astra sunt nobis posita in signa. Ergo aliquid significant: Ergo futura contingentia, quæ hîc apud nos fiunt præmonstrant. Nisi hæc sit, apertissimè vanum est, quod dicitur. At hæc probatio non minus inualida est ac vitiosa. Argumentatur à toto ad partem affirmādo: Signa sunt, ergo hæc, quæ Astrologi vaticiniis suis inferunt, significant. Sic omne animal probauero canem esse. Animal est, quod intueor: ergo canis aut asinus. Possunt astra nobis plurimarum omnino rerum signa

esse, vt tamen diuinationi nihil commodent.

Ipsè contextus qualia & qualium rerum signa sint exponit, nempe dierum, temporum, annorum. Sanè antiquissimi homines vix aliter, quam per illustrium siderum ortum & occasum, anni tempora distinguere soliti sunt. Durauit ea ratio longo tempore, propè ad Iulii Cæsaris ætatem, præsertim apud rei rusticæ scriptores, & eas gentes, quæ annum minus concinne mensibus diuisum habuerunt. Quin & hodie durat certo modo. Nam iuxta nouam aut plenam lunam certorum mensium, agricolæ serunt, arant, plantant, inserunt, atque omnia rustica opera alia peragunt. Quisquis rei rusticæ scriptores legit cum iudicio, is nescire non potest, quarum rerum signa mortalibus fuerint sidera. Certè anni tempora, quibus rustica opera inchoanda essent, non nisi ortu & occasu certorum siderum definierunt. Quod ad Hippocratem attinet, constat ipsum, (vt qui prodelle scripta sua omnibus gentibus cuperet, multa q; tunc etiamnum esse, quæ annum non probè in menses dispartitum haberent, non nesciret,) non aliter anni partes & tempora, nec aliam ob causam certorum siderum ortu & occasu circumscriptisse. Et hanc ipsi fuisse huius consilii causam & rationem testificatur Galenus planissimè pariter & grauissimè in i. comm. quem in i. librum Epid. conscripsit. Qui non contentus est hisce, diuum Basilium aliosq; sanctos ecclesiæ Doctores huius loci explanatores consulat, nec à me, vt spero, dissentiet.

Tertiam rationem audiamus. Furor & insania
est

est principia physica aspernari & negare, & cum his consentientem omnium seculorum experientiam. Ergo hariolatio ex astris, retinenda est. Consecutio inde nimirum probabitur, quoniam ex physicis principiis extracta sit. Talia namque non minus quam ipsa principia retineri debere libenter fatebor; nec puto quenquam sanę mentis abiecturum quę ex physicis principiis rectę derivata deductaq; sunt.

Sed quid si Astrologiam ex talibus profluxisse principiis, ne Apollo quidem ipse varum omnium dux & princeps, nedum Mercurius probauerit? Non est hoc loco sacrarum literarum testimoniis autor vrgendus, sed philosophorum autoritate premendus, quos duce naturā constat ea ipsa vidisse, quę ex scriptura sacra, certius etiam in hoc ipso argumento discimus. Vaticinia & diuinationes admiserunt illi quidem, sed non nisi Diis suis hanc facultatem ascripserunt, vt qui hominis captum superare omnino cęsuerint. Nunquam illi ex physicis principiis Astrologiam rectę edificatam concedent. Physica namq; scientia docet non posse cognosci ab homine, quę per accidens fiunt, antequam fiant, aut in veris suis causis proximis fieri inceperint. Quis non ex Aristot. tum hoc, tum futura contingentia, quatenus futura sunt, incertę omnino & indefinitę veritatis esse perdidicit? Equidem non scio an alienius aliquid fingi à philosophia verā possit. Ne Platonis quidem de congenitis ideis vel speciebus vel formis sententia, nobis aduertatur, vt existimare fortassis imperitior aliquis posset. Frustra ergo gloriabuntur Astrologi se arte niti, quę principiis physicis nitatur.

Quod ad experientiam attinet, quam in ore semper habent Astrologici vates, illud in præsentia monuisse sufficiet, experientiam illis patrocinari nullam posse. Etenim qui experientiã nouit ac didicit aliquid alicuius esse causam, eũ oportet nõ semel aut bis tantũ, sed sæpius vidisse, talem effectũ à tali causa generatum productumq; fuisse; quoniam experientia est, vel ipsomet autore teste, obseruatio rerum earundem sæpe eodemque modo visarum. Cæterum eadem constellationes sæpe redire ad similem effectum procreandum nequeunt, vt negare nullus Astrologorũ poterit. Quare falsum est experientia ipsos perdiscere potuisse, certam cœli figuram, huius vel illius effectus particularis effectorum esse.

Deinde vt effectus quispiam ex certa causa emanasse cognoscatur, omnes alias causas, in quas idẽ ille referri potuit, abfuisse oportet. Neq; enim vbi effectus aliquis à plurib. causis præsentibus generari potuit, facile est pronunciare, quæ ipsum causa pepererit: cuius rei exempla medicis perpetuò omnino plurima occurrunt. Galenus in expositione aphorismi hoc argumentum dilucidè & eleganter tractauit, ex quo discere oportuit, quomodo sit de rebus ex vsu & experientia iudicandum. Deniq; certum esse debet, præsentem, apparentemve causam, à qua effectum procreatum suspicamur, eundem illum producere potuisse illis circumstantiis circumscriptum. Accidit namque frequenter, vt vera causa delitescente, ad eas quæ non apparent effectum imprudenter referamus, quas tamen nec ratio nec sensus sinat illiusmodi effectus causas esse.

Ita-

Itaq; si Astrologus aliquis, vnum quempiam euentum contingentem probauerit, à certo cœli schemate Astrologico sæpe progenitum, & eundem ab aliis causis tum produci non potuisse, & tandem nec rationi nec sensui aduersari docuerit: vt ab eo talis effectus per se productus credatur, per libenter ipsis dabo, experientiam hac in parte veram eos habere. Verum si hoc non possunt, æquum fuerit, vt quum argumenta ab experientia ducta non admittimus, sed falsa esse propter enumeratas causas dicimus, nobis assentiantur, aut certiores rationes afferant.

Quarta sequitur ratio, nisi quis eam malit cum proximè præcedente coniungere. Non est fas negligere doctrinam numerorum, figurarum, & motuum cœlestium, in quibus gratam de se famam Deus hominib. tribuit: Ergo Astrologia diuinatorix retineri debebit. Non puto quenquam hinc verbosam confutationem expectare. Summa est, Astronomia Dei donum est, minimeq; negligi debet: ergo diuinatio ex astris Deo probatur. Hoc argumento omnes diuinandi superstitiones approbauerimus. Avium naturam, motum, proprietates, differentias, &c. nouisse pulchrum, diuinum, & supernè donatum hominibus est; ergo ex auibus diuinare poterimus. Qui volet, argumentum per omnes vaticiniorum modos gentibus vsurpatos ducet, probandosque, scilicet docebit.

A thesi 40. deinceps vsque ad 45. videtur hoc probare voluisse, quod in tertia ratione sibi sumpserat, Astrologiã naturalib. niti principiis. Quare perpendenda nobis hæc erunt. Aristoteles af-

firmat & probat, cœlestia corpora mutationum
 in natura elementari *ἡ καὶ ὅλα αἴτια* esse. Ergo pu-
 tauit Astrologiam ex physicis principiis deductā
 esse: vel, Ergo physicis principiis nititur. Antece-
 dens libenter admittimus, nec displicet nobis,
 quod hac de re 19. propositione habetur. Placet
 illud etiam, quod solem & lunam cæteraq; sidera
 pro motus & luminis diuersitate variè hæc infe-
 riora permutare scribit. Vera ista sunt omnia.
 Huius rei causa rectè verèq; ab Aristotele dictum
 dicimus, hunc modum cœlo contiguum esse o-
 portuisse, vt omnis ipsius virtus à cœlestibus re-
 geretur. Hæc, inquam, non modò concedimus,
 probamus, volumus, verùm etiam indissolubilia
 hinc argumētā contra Astrologos nectimus. Hoc
 ergo negamus rectè colligi, Cœlestia sunt vni-
 uersales causæ mutationum huius mundi ele-
 mentaris: ergo nititur principiis physicis Astrolo-
 gia. At, dicet autor, hæc sententia hypothesis &
 fundamentum est prædictionum ex astris cõmu-
 nium & particularium. Si verum hoc esset, seque-
 retur sanè, quod nuper dictum est. At vehemen-
 ter metuo, vt hoc probaturus sit aliquis. Etenim
 causa vniuersalis omnia simul & eodem modo
 afficit, vnumquodque pro sua natura, quam res
 quælibet ab opifice & effectore Deo accepit: id,
 quod etiam hic noster videtur 19. propositione
 præclarè intellexisse. Talis verò causa per se sola
 absq; secundarum causarum coitione nihil effi-
 cit, sed cum vniuersis coniuncta secundis causis,
 vniuersa efficit, omnia nimirum pro secundarum
 causarum natura & proprietate. Dico nihil effi-
 cere vniuersalem causam, particulare videlicet.

Nam

Nam communem quandam vim vniuersis impertit, quâ acceptâ, singula id agunt, & eo modo agunt, quod & quomodo ab opifice Deo agere iussa sunt. Iam quum impossibile sit scire, quæ & quales causæ secundæ, quæ solæ effectus distinguunt, particularesque efficiunt, cum communibus coniungendæ sint; impossibile etiam in illis est videre, qui & quales particulares effectus generalem causam consecuturi sint.

Exemplis hæc res tametsi propè infinitis, igne, aquâ, terrâ, aere, artibus ferè cunctis, calore quolibet animalium, hypocaustorum, &c. declarari queat: libentissimè tamen incubantis gallinæ calore vtor, quippe maximè noto & perspicuo. Huius calor oua diuersi generis cõfouet eodem modo prorsus; & nihilominus vnico isto calore excludit anserem, anatem, pullum, testudinem, &c. Id verò quomodo efficiat notum est, scilicet calefaciendo tantum. Dum enim singula calefacit, calorem insitum, qui in singulis inest peculiaris & proprius, excitat in actum. Hoc facto, agit iam vnusquisq; ouorum calor, non pro modo caloris gallinacei, à quo de potètia in actum perductus, & quasi de somno quodam excitatus est, sed pro propria natura. Hanc autem non à gallina fouete sed ab animali, à quo productum siue generatū est ouum, accepit.

Sic rectè in his thesib. scriptum est, res omnes Diuinitus naturam viresq; peculiare accepisse, & præterea facultatem simile sibi specie procreandi. Non igitur à cœlo id habent, sicut neq; calor qui in anserino ouo continetur ab incubantis gallinæ calore talis factus, sed solum excitatus est.

Quamobrem sicut nemo mortalium, qui rem considerarit aliquando, speret se ex gallinæ incubatione præuisurum, quos & quales pullos exclusura sit (ignorata ouorum suppositorum natura & numero) anseresne an anates, non alios quosdã; ita nemo ex cœli viribus, quæ hîc particulatim euentura sint, præuidere potest, quãdiu nescit naturã & proprietatem omnium secundarum causarum, quæ cum generali causa coeunt ad productionem cuiusq; individui. At hoc scire homini est impossibile. Impossibilis ergo præsentio horũ ex cœlo. Nulla nanq; necessaria naturæ lege secundæ causæ coniunguntur cum communi illa & generali causa, sed per accidens omnino hoc aliquo pacto conueniunt potiùs, quàm alio. Ergo quum ea quæ per accidens futura sunt, quatenus videlicet futura sunt, ab homine cognosci arte facultate naturali nulla possint; necessariò sequitur, vt talium præuisionem ex generalis causæ notitia impossibilem esse recte dicamus. Ex his verò cognosci poterit, falsum esse, quòd Astrologiæ hypothesis sit Aristotelis illa vera sententia, cœlestia generales causas horum inferiorum existere. Minimè igitur probatum est, Astrologiam physicis principiis inniti.

Sed tempestiuum est, vt videamus quomodo ex sacris literis probet verum esse quod falsum esse affirmo. Nam in 45. propositione firmissimũ testimonium apud Lucam inueniri prædicat: *Erunt signa in sole & luna ante nouissimum diem, & virtutes cœlorum commouebuntur.* Ergo cœlestia vires peculiare his corporibus infundunt, & præterea eclipses ac tetraë planetarum configurationes

nes

nes portendunt manifestas pœnas diuinas. Ita nanq; in 46. scribit pro conclusione. Cuius collectionis vt quàm nullæ sint vires appareat, age planiùs argumentum formabo. *In quocunq; signa apparebunt, ex eo vires peculiare nobis infunduntur: Ac in sole & luna signa erunt: Ergo sol & luna (hïc perperam & contra regulam sidera etiam reliqua comprehendit) peculiare hïc vires demittunt.* Nisi maior vera sit, ratiocinatio ex particularibus est contexta. Quis verò istius argumenti absurditatem non cernat? Non nego vim suam nobis modo generali communique sidera contribuere. At hinc sequi nego, quia signa in cœlo apparitura sint, vel in sole & luna, vel in omnibus sideribus, iccirco diuinatricem astrologiam esse non malam, & nō impiã. Si conclusionem ideo generalem se posuisse dicat, quia Christus addiderit *cœlos commouendos: rectè eum fecisse dicam.* At argumentum iners tantisper mansurum aio, dum Maiorem veram probauerit: quod certè ante nouissimum diem non faciet. Certè non in cœlotantum signa apparitura dixit Christus, sed in aliis etiam rebus: Ergo omnes istæ res, elementari mundo peculiare vires infundere dicendæ sunt, aut Maior falsa semper manebit.

Deinde signa, de quib. Christus loquitur, pronunciat esse eclipses & tetras quasdam planetarum configurationes: an quia sic Astrologis videtur? Equidem Christus de iis loquitur signis, quæ omnes plebei & idiotæ visuri sint. At istas tetras planetarum figurationes hi neque cognoscunt, neque videre possunt. Vellem locum ex scripturis attulisset, qui planetarum configurationes

alias doceret salutare, alias verò terras per se, nō per accidens, esse. Philosophis præstantissimis, vt supra monui, aliter visum est, vt sacras literas taceam, quæ cœlestia vniuersa salutaria & bona nobis esse docent. Si nocent, id per accidēs contingit. Falsum ergo est, per signa quicquam tale intellexisse Christum, quale illud est, quod confutauit.

Hoc quia animaduertit harum thesēon scriptor, mox in sequenti propositione sententiam corrigit, & an naturalia ista intelligere debeamus dubitat. Quod addit, hæc tamen ordinata sidera non esse *ἀστρολογικά*, facile est refutare, si quomodo signa sint paulò antè dictum meminimus. Sed quomodo hoc probet, mox videbimus. Nunc illud dicamus, piis non opus fore interpretatione Astrologorum, vbi signa, de quibus Dominus loquitur, euenire conspexerint, siue naturali ratione, siue præter naturæ ordinem eueniant. Ex verbis Christi quid significant, intelligent, non ex fabulosa Astrologorum expositione. Sic igitur liquidò cernitur argumentationis huius vanitas, cuius nec consequens nec consecutio vera est.

Iam videamus, quomodo naturales stellarum conuersiones ostendat nobis futura præsignificare. Quum enim aliquid significare dixisset in Thef. 47. mox in 48. id probat hoc modo: Christus apud Luc. c. 12. concedit homines ex his, veluti certis legis concionibus præuidere posse vētos, æstus, imbres, &c. ergo aliquid significant. Quid verò significant, in 49. exponit, arcanam vid. rerum omnium & singularum gubernationem. Quid hic porriò præcipuè reprehendam,

vix perspicio, tã multa sunt quæ reprehendi posse ac debere arbitror.

Primum illud constat, Christum non dicere, ex ordinatis planetarum motib. homines præuidere imbres, æstus, ventos. non enim ex stellarũ motib. sed ex aeris constitutione, nẽpe ex rubore cœli, id est, aeris matutino & vespertino prædicere eos serenitatem & pluuias, &c. concessit. Agricolaë & alii omnes idiotæ etiã nunc idem faciunt. At quid hoc ad Astrologiã attinet? Suprà exposui, nautas, agricolasq; enũciare quæ iã existunt aliquo modo, non futura simpliciter prædicere. Nõ indiget res ampliore hoc in loco declaratione. Null^o enim Astrologus ignorat, hæc ad Astrologiã propriè non pertinere. Ptolæmeus propriũ de hisce caput ponit, de facie cœli iudicanda. Ergo Christum dixisse nego, ex ordinatis cœlorũ motibus tãquam legis concionibus tempestates enumeratas præsentire solitos illos fuisse cum quibus sermonem habebat.

Deinde nullo modo sequitur, Ventos, imbres, æstus, ex aeris mutationibus prænouerunt: ergo arcanam rerum omnium & singularum gubernationẽ hinc cognouerunt. Similis esset huic argumentationi hæc etiam altera: Ex gestibus quarũdam auium futuras aut iam instantes prænoscimus pluuias: ergo Deus in igne mirabiliter depinxit rerũ omnium & singularum gubernationem. In hoc certè argumento vt non plures sint termini quàm tres, liquet tamen plus esse in consequente, quàm in antecedente. Si enim verum esset, ex cœlestium motibus & configurationibus planetarum tempestates præintelligi posse; non

O

tamen inde concludi posset, arcanam rerum singularum dispositionem in illis depingi. Quod ut sit planius, in syllogismo categorico totum argumentum proponam: *Quisquis concedit, homines ex ordinatis caeli siue stellarum figurationib. praesentire posse imbres, aestus, ventos, &c. concedit etiam arcanam rerum omnium & singularum gubernationem in iisdem pictam: At Christus Lu. 12. c. concedit homines ex ordinatis stellarum figuris, siue ex eclipsib. & tetrarum planetarum configurationib. imbres, ventos, aestus praevidere posse: E. Christus concedit in talib. figurationib. rerum arcanarum omnium & singularum gubernationem depictam esse. Puto vix quenquam esse, qui non illa omnia vana esse intelligat. Primum non concedit Christus ex eclipsib. & planetarum configurationib. homines praescire instantes imbres potuisse. Neganda est igitur minor propositio siue assumptio. Negandum & illud est, quod qui haec concedat, etiam alterum concedere cogatur. Ergo & ipsa Maior concidit. De conclusione vero quid sentiendum sit, nemo non intelligit.*

A propositione 50. deinde vsq; ad 68. nihil inuenio, quod responsione dignum sit, vel ad institutum nostrum pertineat. Adami & successorum cogitationes & verba ibi describuntur, ut si quis praesens omnia audiisset & oculis aspexisset: quae ut neq; probamus, ita non improbamus hoc loco & tempore. Caetera facile ei concedemus, quae huc vid. non faciunt. Nonnunquam astrologica admiscet, quae nos ut falsa inficiabimur, donec ea probauerit.

Ingenue autem facit, quum in 64. propositione ipsemet dicit, verisimile tantum esse Adamum & posteros ipsius tales habuisse cogitationes. Ve-

lim

lim vehementer locum ex S. literis quempiam fuisse prolatum, qui ipsos astrologica cogitasse indicaret. Bene fecit, quod hoc non tentauit: frustra namque tentatur, quod perfici nequit. Quæ de conuersione Patrum ad solem scribit inter adorandum, nihil efficiunt, nec vlla indigēt confutatione. non enim hinc sequetur vnquam, eos Astrologiam vel sciuisse vel probasse.

Quod in 68. thes. dicit, sidera particulares causas esse, tam verum est quàm gallinam per se anserem parere posse. Particulares causæ sunt, quæ particularem effectum per se efficiunt. At impossibile est cælum particularem effectum sine secundarum causarum congressu generare, talem vid. propter quem Astrologorum vaticinium expetatur. Nunquam gallina ouis incubans, anserem, aut etiam gallinacẽ pullum generabit, sine infinito in ouis calore, qui vim eam habeat. Certè si ouum hypenemium totos mille annos foueat, nõquam tamen pullum excludet. Cur quæso? Quia calore pulli effectore caret, sine quo pullum generare nequit. Hæc si ad cœlestia transferantur, falsitas illius sententiæ deprehendetur.

Cæterum deinceps incipit narrare, quomodo Astronomia inuenta primùm sit, & vnde, ac quomodo incrementum sumpserit: quæ omnia etiam si vera essent, nihil tamen prorsus eorum probarent, quæ hîc probanda suscepit. Hoc certè mirũ est, hominem eruditum potuisse cum cæteris Astrologis, certam potestatem rebus tribuere, quæ non sunt in cælo, nisi hominũ imaginatione. Nã ne Astrologi quidem negare possunt, pro oculorum arbitrio cælestes imagines confictas fuisse.

Quis verò tam est iners, qui non stellas suo quòdam modo cōiungere & disiungere norit, vt imperfecti alicuius vel animalis vel alijs rei imaginem aliquo pacto referre videantur? sunt enim omnes Astrologorū imagines imperfectæ. Hinc est, quòd iisdem apud omnes nominibus nequaquam appellantur.

Aben Ezra autor est Ptolemæum *cadentē vulturē* vocasse *Lynam*. Quàm multis nominibus cū antiquitus, tum hodie Pleiades notentur, minimè obscurum est. Sed & *vsursum* aliqui *currum* vocitant. Verū istis omissis, de animalibus in Zodiaco breuiter aliquid dicamus, vt magis liqueat, quàm nulla ratione probabili persuasi Astrologi scripserint, animalibus istis nomina imposita, quòd facultatem peculiarem illi animali pars ea cœli obtinuisset, & vtcunq; positu suo lineamenta animalis exprimeret.

Certum est Astrologos animalium in Zodiaco nec numerum nec facultatem probare vnquā potuisse: quòd ratione non potuerint, planissimū est; quòd nec sensu, iis quæ diximus constat. Quinimò non defuere magni nominis Astrologi, qui signa per se nihil efficere, sed hospitia solū aut mansiones planetarū esse censuerunt. Chaldæi in suis prædictionibus non sunt ista Zodiaci partitione, siue signis vsi; sed solas imagines vsurpassedicuntur. Hali Aben Rodam in expositione Apoteleson. Ptolemæi, & Abraham Aben Ezra in principio libri De rationib. astrologicis, insignis vterq; Astrologus, apertè fatentur, nullam posse diuisionis Zodiaci in partes 12. factæ, rationē reddi aliam, quàm quòd iste numerus sit diuisionibus

tionibus

sionib. aptior. Ex hoc perspicuè cernitur, nec numeri animalium, nec facultatum eos rationē adferre posse. At hinc pendet tota astrologica prædictio, & huic imaginationi tanquam fundamento innititur: quod quum sit ruinosum, lubricū, fallax, imaginarium, facile apparet, quantum quæ inde concluduntur valeant. Hoc negato, bona pars aspectuū periit. Quā verò frigidè hæc & hisce similia, à Pico libro 8. contra Astrologos neruosissimè asserta, refellere conetur Bellātius, qui volet legat, vt vanitatē huius dogmatis inde perspiciat. Et de Zodiaci quidem signis hæctenus.

Præstat iam, vt quæ sequuntur rectiùs intelligantur, ad 68. Thesin redire, eamque cum præsentī coniungere, quæ ibi dixit, ne cogitationes distrahantur. Sic igitur ille: *Ex annuis temporum mutationibus, variis locorum temperaturis, singulariū rerum animatarum affectionibus, & hominum præcipuè crasibus multiplicibus, re ipsa erudiebantur, cælum pro diuersa habitudine sua causas afferre tum vniuersales tum particulares.* Hic autorem interrogare cogor, an ita particulares causas sidera fieri putet, quomodo hominem hominis, & cuiusque rei propinquissimam & per se causam, particularem rei productæ causam dicimus. Si hoc affirmet, ne refutatione quidem opus est. Quis enim non omnibus horis videt, cælum longè plurima & diuersissima efficere, propterea quod vniuersalis causæ vnica etiam actio, pro natura recipientium diuersissima producit? Exemplum solis similiter lutum atque ceram eodem tempore calefacientis, & cordis æqualiter totius corporis partes viuificantis, atque adeo caloris

gallinæ diuersi generis oua fouentis, rem satis dilucide exponunt. Certe quod commune & generale est, per se consideratum, particulare & proprium fingi nequit. Cœlestes vires omnium configurationum, aut omnibus reb. inferioribus, aut certè plurimis cōmunes sunt ac generales. Quare negandum est particulares vllò vnquam tempore fieri: nisi fortè hoc modo particulares dicantur fieri, quia cum particularibus causis particulares effectus generant. Sic facultas cordis, cum oculi potestate iuncta, visionem; cum aurium potentia, auditionem; cum ventriculi facultate concoctionem efficit, per se & sola nullum horum, sed actum duntaxat tribuit. Ita fol cum homine iunctus, hominem generat, particularisque hominis causa dici potest. At idem eodem tempore eadēque potestate cum equo equum, cum lepore leporem, cum lactucæ femine lactucam generat. Manet igitur per se & in sua natura facultas solis plurimarum rerum communis facultas, tametsi ab omnibus causis secundis contrahatur ad vnū aliquod. Sic glorientis gallinæ calor, cum in sito calore oui pullum generat gallinaceum, si ouum gallinæ fuerit. At idem præcise calor eodem tempore & eadem vi, cum ingenito anserini oui calore, anserinum pullum fingit, & cum alio calore, aliud animal format. Non definit idcirco vnus & communis esse calor, nec naturam suam permutat, neq; ex communi seu generali proprius aut particularis efficitur, quia cum diuersis particularibus causis coniunctus, diuersorum effector est factus: quinimò hac ipsa de causa verè est ac dicitur communis & generalis. Falsum ergo est, siderum

rum

tum vires vnquam fieri particulares causas aliter quàm modo iam exposito. At hæc particularitas, vt sic vocem, non modò non prodest Astrologis, verùm etiam totã astrologiam penitissimè subuertit ac perimit.

Præterea oportet particularem causam, si per se causa sit, atq; adeo naturalis, in materia communicare cum effectu. At non est cœlestium & sublunarium eadem materia: horum nanq; fluxa & corruptioni obnoxia, illorum stabilis & impermutabilis existit. Postremò quum particulares causæ sibi semper simile generent, aut maxima ex parte, præsertim substantiæ animatæ, non possunt cœli sidera particulares causæ dici; nisi forte tõe actu res rerumque species & indiuidua in sideribus inesse imaginentur Astrologi, quot hîc quotidie generari videmus. Sane *generatio vniuoca*, (ita in scholis appellant) nullas fit nisi quum generans & generatum specie sunt eadem. Si ergo particulares causæ sidera sint modoprædicto; aut illud est, quod iam dicebã, confitendum; aut nullam fieri vniuocam generationem, sed æquiucã tantùm, est asserendum. Vtrunq; absurdum falsum, impossibile. Falsum ergo id, ex quo hæc sequebantur. Sequebantur autem ex eo, quòd sidera particulares causæ effectuum mundanorũ ponerentur. At hoc probauit thesôn autor, dicat hîc fortasse quispiam, nempe, vt probare omnia solent Astrologi. Oportebat, inquit, aliquid accedere ad dissoluendam in singulis corporibus sublunarib. harmoniam. Ergo sidera particulares habent facultates. Quis verò cuiusmodi sit hoc argumentum, vel tacente me non videt? Quòd

si non hoc, sed sidera vniuersales causas esse veris illis voluit, facile id patior, etiam si nihil probasse eum video: sin verò vtrunq; sic probari opinatur, æquè absurdè facit, ac si prius illud solùm probare voluisset.

Quòd si respondeat, se non modo prædicto intelligere sidera particulares afferre causas, sed hoc modo, quòd videlicet sua cuiq; stellæ propria sit virtus ab aliarum virib. stellarum diuersa; nec id effici ex iis quæ dixit respondebo, nec rē controuersia carere. Sed astrologica vaticinia ne ista quidē confirmari sententia, certius est, quàm vt probationem aliquis meritò requirat. Vt vt verò hæc habeant, in 78. propositione, solem atq; lunam peculiare habere vires sumit, tanquam id firmissimis argumentis demonstrasset: atq; adeo hypothesin monstratam hinc asserit, de reliquis stellis erraticis pariter & fixis, necnon de cœli locis, idem sentiendi. Mox etiam physica ratione hanc sententiam ait se comprobasse. Hanc ergo rationem consideremus.

In perpetuis istis corporibus, quæ nullam, quo ad se ipsa, variationem admittunt in peculiaribus & congenitis sibi actionibus, non potuit diuersitatis, quæ in sole & luna spectatur, dissimilitudo vsquã monstrari. Ergo diuersæ cœli partes diuersas habent facultates, à quibus solis & lunæ vires mutantur. Quàm sit autem tota hæc ratio ignaua, & verè astrologica, facile est ostendere. Faciam vt paucis veritas intelligatur.

Philosophi rectè sapienterque docent, effectus trifariã mutari, videlicet mutato agente, mutato medio, & mutato patiente. Potest vnū ex his
solum;

solum; possunt duo; possunt omnia tria mutari. Ex horum varia coniunctione modi plures nascuntur. De illis loquemur tribus in presentia, ubi unum ex his duntaxat mutatur. Cognitis simplicibus, facile compositi cognoscentur. Agente ergo mutato, variari effectus certum est. Mutatur autem, quoties vel in sua substantia patitur aliquid, scilicet quum aut roboratur aut debilitatur; aut quum ipsi aliquid accedit, quod ante non aderat, aut quod aderat decedit; aut quum non ex eodem loco agit, ex quo antea solebat agere. Certum est agens quodlibet naturale efficacius agere cominus, imbecillius verò eminus. Hoc modo aliter sol agit, quum vel in ortu, vel in occasu est, quàm quum in medio cœlo visitur. Potētius terrā hanc nostram in septentrionalibus signis versās, quā quū australia pererrat, calefacit. Hoc modo diuersi ab eodem in substantia nascuntur agente effectus, tametsi neq; medium, neq; patiens, vlla in re mutata intelligantur. Quod si horum vel alterum, vel vtrunq; quomodolibet mutetur, tunc etiam quū in agente mutatio nulla est facta, rursus necesse est effectus permutari. Si in omnibus aliquid permutatum sit, maior adhuc in effectis rebus apparebit dissimilitudo.

His positis miror harum thesēon autorem putasse solem & lunam, quia non eodem modo semper hæc terrena afficiunt, in diuersis cœli locis diuersas accipere vires & facultates. Certè pro accessu & recessu suo, propinquitate & remotione, pro luminis in luna decremento & incremento, pro medii permutatione, pro inexplicabili rerū quæ afficiuntur diuersitate, omnia hæc perage-

re possunt, quæ ab ipsis peragi cernimus, tametsi vires non mutant, nec alienas à locis, ad quæ accedunt, mutantur. Nunquid negari hæc ab aliquo possunt? Non arbitror. Cur igitur inuehant Astrologi necessariam istam alienarum virium accessionem? Nihil sanè magis admirror in hac causa, quàm Astrologos ne vnum quidem argumentum adferre & excogitare potuisse, quod probabilitatem aliquam habere videretur, si penitus introspiceretur.

Quod si me Astrologus roget, ut ei concedam, singulas stellas habere suas quasdam peculiare potestates, quas Soli atque Lunæ ad se accedentibus communicent efficacius, quàm dum longius ab eis absunt, minimè difficilem me præbiturus sim. Scio ratione hoc probari nulla hætenus potuisse. Scio non paucas esse probabiles admodum, quibus contrariū probetur. Qui cœlestia omnia ex eadem facta materia, quod plerisque placuisse philosophis constat, concesserit: vix diuersitatem in siderum viribus defendere audebit. Forma omnibus eadem est exterior illa, rotunda scilicet. Hinc iudicarunt nonnulli alteram quoque naturam eandem esse. Non enim temere philosophus in eadem præcise materia, in hisce inferioribus, diuersas specie naturæ formas quærat. Etenim distinctionis & dissimilitudinis rerum, non postrema causa est materia. Discrimen certè quod inter vnius formæ siue speciei indiuidua cernitur, facit in primis materiæ copulatio. In forma enim dissimilitudo nulla, aut non tanta reperitur.

Quòd si in cœlestibus est aliqua diuersitas, nobis nõ admodum cognita est. Et possunt, ut est dictum, eiusdem

eiusdem

eiusdem omnia sidera naturæ, & substantiæ diuersissimos effectus producere; non quia perfecta aliquid ipsa sint, sed quia influxus ipsorum aliter atq; aliter recipiuntur; id quod fit & propter motum siderum, & propter mediū varietatem, & ipsarum rerum mutationem. Hæc autem rerum permutatio non omnis ex cælo, sed ex cuiusque natura, studio, exercitio, cibo, potu & similibus, maxima ex parte proficiscitur. Non cogit ergo hæc rerum vicissitudo & dissimilitudo nos fatēri, planetas à diuersis cœli locis diuersas accipere vires.

Hinc illud quoq; intelligitur, Caniculam non magis æstum facere, quàm aut Libra facit, aut Aries, aut Capricornus, vt non modo philosophi, sed præstantissimi quiq; Medici post Hippocratem Galenumq; docuerunt. Aliam isti omnes rationem estus illius, qui circa illa tempora plerumque perſentitur à nobis, quã stellæ huius radios, eamq; multò veriore protulerunt. Quod vt credat facilius & libentius qui hæc leget, Aristot. verbis ex libr. 2. Meteor. confirmabo. Qui plura deinde volet testimonia videre, legat interpretes ipsius Græcos pariter ac Latinos, hunc ipsum locum exponentes, vt omnem deponat dubitationem. Faciet autem hoc non antè, quàm eos naturæ consentanea afferre intellexerit.

Verba Aristotelis hæc sunt: ὡν τηθημένων (loquitur de niuibus) ὑπὸ τῆς ἡλίου, μετὰ τὰς θερινὰς τροπὰς μάλιστα, ἢ ἐπ' αὐταῖς, πένεσιν οἰέτησιν. ἔτι γὰρ καὶ τὰ πνίγη γίνονται, ὅταν μάλιστα πησιάζη πρὸς ἄρκτον, ἀλλ' ὅταν παλείων μὴ ἢ χρόνος θερμαίνοντι, ἐπὶ δ' ἐγγύς. Non Caniculam, sed moram solis propè nos suprâ

horizontem hærentis causam caloris facit Philosophus in prædictis verbis. Consentit his ratio omnib. nota, à terre aptitudine desumpta. Deinde quod quum circa illa tempora summus apud nos æstus est, apud alios summum frigus percipitur, quantumuis cum Syrio sol vnà cum toto cælo contorqueatur, illisq; eosdem radios noctu communicet, quanquam non simili rectitudine, quos interdiu nostris regionib. immittit. Nec minorẽ illi post solstitium hyemale calorem experiuntur, quantumuis cum nullo Syrio tunc sol coniungatur. Quod de Caniculæ stella, exempli gratia, dictum est, ad alias quaslibet transferri debet.

Sed quemadmodum paulò antè dicebam, vt nulla ratione probabili probari possit, stellis singulis penè singulas peculiareq; facultates inesse, non grauatè tamen Astrologis à me petentib. id concessero: quo impetrato, nihilo fuerint quàm antea ditiores. Etenim velint nolint, concedere vicissim nobis cogentur, singulas istas stellarum singularum potestates, non vnã duntaxat atq; alteram rem afficere; sed omninò omnes, ad quas pertingunt, æqualiter, quãtum in ipsis est, pro viribus suis permutare. Tam facilis quum sim, tamque liberalis, nihilo tamen plus ad diuinandum præsidii ex nostra concessione habebunt Astrologi, quàm antè obtineret. Quum primum enim generales istæ facultates affirmantur, spes omnis res futuras ex ipsis astrologico more præuidendi perit. Iam quia quæ de experientia dici poterant hoc loco, suprà exposita sunt, ad cætera descendemus.

Quæ in 82. propositione de 48. imaginibus dicta

sta

Etia sunt, vana esse, si ad hariolationes referantur, iam supra abundè declarauim⁹. Nec in nominib, nec in rebus hîc Astrologi conueniunt: & superstitiosa Græcia suos ferè Deos imaginata est trās-latos ad sidera. In summa, fabulosa & commentitia sunt omnia. Poterit pro sua quisque libidine plures & pauciores formare.

Vehementer autem laudassem hunc hominē, si quo S. literarum testimonio ostendisset, ideò *Miluiam cæli* dici, quod variè humores acuant, obtundant, vt inde diuinare nobis liceret. Hoc quia nec fecit, nec facere vnquam poterit, licet nobis, opinor, ea omnia meritò cōtemnere.

Nunc verè astrologica, hoc est, nulla firma ratione suffulta argumenta recensebo, breuiterq; confutabo. Indigna sunt enim quibus operosior refutatio quærat. Primū in septem continetur thesib. ab 84. vsq; ad 91. cuius hæc est sententia & summa: Hebræi certis siderib. nempe Soli, Lunæ, Orioni, Lucifero, Pleiadib. nomina olim imposuerunt. Ergo diuinatio ex astris est antiquissima, & à sanctis patriarchis exculta. Principiò velim scire, quomodo probari possit eos qui rei cuipiã nomen dederunt, ex eadem vaticinari solitos fuisse. Si hoc verum est, constabit Adamum ex omnibus animalibus, non ex auibus tantum diuinasse. Constabit etiam nostros rusticos ex astris diuinare, & repente Astrologos factos esse; quippe multis siderib. nomina imposuerunt, vt exempli gratia, *Pleides* glociētem cum pullis gallinam aliqui vocant, die *Gluckhenn*. Similis est aliorum quorundam ratio. An non igitur hoc est ludere in re seria? Nego & illud, quod etiam si verum es-

set, nihil ad rem faceret, Hebræos eadē quā Græcos ratione appellasse. Nunquam illi Orionem quendam in cœlum translatum fabulati sunt, aut alias tales chimæras comminisci voluerunt. Sed de his plus satis.

Secundum argumentum hoc est: In Actis 17: c. citauit D. Paulus ex Arati Phenomenis hæc verba, τὴν γὰρ ἐκείνος ἔσπευ: Ergo visus est Paulus probare Astrologiam. Huius vanissimi certe argumēti hæc sit propositio generalis oportet. Quisquis ex aliquo autore sententiam aliquam citat ac laudat, omnia illius autoris probat, vel saltē omnia illius libri, ex quo testimonium producit, laudat. Si hoc est falsum, inualidum est argumentū. Potuit D. Paulus hanc sententiam laudare, tametsi cætera omnia execraretur. Possum ex Ciceronis Oratore dicere, Aratum Astrologiæ, doctorum hominum iudicio, (sic enim Cicero scribit) ignarum fuisse. Possum non ex Arato verba desumpta hæc esse affirmare. Vnde probabit autor si negauero? In Arato, dicet, reperiuntur. At infinitæ sententiæ totidem verbis à diuersis autoribus expressæ sunt. Possum planè simili ratione probare, diuinationem diabolicam per furorem commendatam ab Apostolo fuisse. Paulus enim citauit verba quædam Epimenidis Cretensis, quæ & *Prophetam* appellat. Ergo diuinationē ipsius probauit. De Epimenidis Vaticiniis Cicero, Diogenes, Apuleius in Floridis, Aristoteles in suis Rhetoricis non nihil scripserunt. Antiqui Doctores, vt Iustinus, Tertullianus, & alii, plurima ex Ethnicis scriptorib. citarunt, quorum neq; mores, neq; doctrinam per omnia probarunt.

Tertium

Tertium argumentum tale est: Paulus ad Rō. scribit, Gentes ex admirando Dei opificio Deum cognouerunt, at non vt Deum gloria affecerunt: Ergo sancti patres Astrologia (quam veteres *Magiam* vocauerunt) velut certis ecclesiæ Dei concionibus, semetipfos de grauissimis rebus erudierunt, & ad preces excitarunt. Hic an aliquid respondere debeam, vehementer ambigo. Loquitur enim Apostolus non de Astrologia, non de solis cælis, non de planetarum mansionib. exaltationibus, tetrīs aspectibus, vt autor nominat, neq; ex his Deū cognouisse Gentes asserit, sed ex totius mundi creatione, & actionibus siue operibus Dei. Itaque si inde concludi potest, ex sideribus, quorum speciatim nulla facta est mentio, diuinare nos posse; non video quomodo non ex alia qualibet mundi parte eodem argumento diuinare liceat. Sic etiam omnes populi Astrologi sunt & fuerūt. Loquitur enim Paulus de omnib. non solis philosophis & doctis. At nō omnes vanitatis huius peritæ fuerunt gentes, nec omnes homines, vt ne hodie quidem. Sed de his certe nimium multa.

Quartum. *Cæli verè enunciant Dei gloriam, & opera manuum eius annunciat firmamentum.* Psal. 19. si ex astris diuinemus, sicq; nos ad preces excitemus: Ergo diuinatio ex astris Deo placet, vel simile quiddam. Postquam antecedens probatum fuerit, tunc respondebimus.

Quintum. Deus non propter multiplicationē duntaxat humani generis sanctis patribus longiorem vitam concessit, sed etiam vt diuinare ex astris discerent: Ergo ex astris diuinare eos voluit. Antecedens sic probat: Sine quo gloria Dei in

hoc diuino opere innotescere illustrarique non potuit, ad id prouehendum studium data longior vita est patribus: Atqui nisi aliqui homines ex astris didicissent diuinare, sed cœlum omnes aspexissent vt asinus & mulus, in quibus non est intellectus, non potuisset gloria Dei in admirando hoc opere diuino illustrari. Ergo ad prouehendum Astrologiæ diuinae studium, voluit Deus patres illos vetustissimos esse *μακροβίους*. Ego verò nō magis quàm asinus aut mulus possim isto argumento commoueri.

Probatio alia: Ad id perdiscendum *μακροβίοι* facti sunt patres, cuius vestigia elephantibus etiam indidit Deus: At obseruationis cuiusdam siderum vestigia ad diuinandum ex illis (nisi hoc addatur, nihil probat) indidit: Ergo ad obseruandum siderum motus pro diuinatione *μακροβίους* fecit.

Probatio tertia. Quod Medici nos iubent obseruare, ad id vita tam longa data est patribus. At iubent nos heliotropii herbae ad motum solis circumactæ naturam introspicere, vt ex cœlo augeremur. Ergo ad id data est longa vita. Non enim videtur dici posse, nos herbam quæ solis motum sequitur obseruare debere, & ipsum motum solis non diligentissimè sic notare, vt ex eo harioleremur.

Certè verè astrologica hæc sunt argumenta, quum nihil hîc appositè dicatur. Primum nō iubemur tantum cœlum & sidera aspicere, verum etiam omnes alias creaturas; & elucet in cæteris quoq; creaturis, vt in opificio cœli, inexplicabilis & prorsus incomprehensibilis Dei sapientia. Sanè Gale. noster ex hominis contemplatione propius

pius ad Dei notitiam peruenit, quam ex inspectione cœli. Vt igitur non sequitur, nos, quum res à Deo creatas diligenter consideramus, & in illis bonitatem eius & sapientiam admiramur, quantumuis non diuinare ex ipsis studeamus, ita ipsas aspicere, vt equus & mulus; ita ne de cœlis quidem sequitur. Admirari nos cœlos, & ex ipsorum fabrica effectoris bonitatem erga nos, potentiam, ac sapientiam cognoscere voluit Deus, diuinare non voluit, vt postea plenius intelligetur.

Deinde quis credat elephantés sidera notare ad diuinationem, quos Plinius solem venerari tantum scripsit? Debemus nos quoque Deum in cœlis venerari, & quidem tantò studiosius, quanto brutis illis præstamus; propterea ne sequitur vaticinari nos ex astris oportere?

Quod de heliotropio & Medicis dicit, nullo modo probare possum. Medici non iubent herbam, de qua loquitur, considerare, quatenus cum sole circumagitur, sed quatenus corpus hominis afficere potest. Solis motum flores cichorii, species quædam rithimallorum, lupini, heliotropion maius & aliæ quædam plantæ sequi referuntur: cuius rei causam perquirere ad Philosophum, non ad Medicum propriè spectat. At non rectè colligitur, causam cur flores quidam cum sole vertantur scire pulchrum est: ergo ex astris diuinare vel possumus vel debemus.

Si quis, quæ de elephantibus & heliotropio dixit, non pro confirmatione antecedentis quinti argumenti dicta ipsi contendat, non repugnabo. Quæcunque de causa protulerit, ad di-

uinationem ex astris asserendam pertinere non poterunt. Ego vix aliò referre ausus sum, quoniã 96. propositione vitam ideo vetustis patribus longiorem datam aiebat, vt ex astris diuinare discerent. Hanc rem 104. demum propositione concludit. Quæ in medio posita sunt, cur separata putem distinctaq; argumenta, nõ video. Certè 101. thesis aliud mihi nihil, quàm eiusdem illius antecedentis confirmatio videtur. Sic autem habet: Cuius neglectæ rei causa Deus vitam mortalibus decurtauit, propter eandem excolendam *maximè* eos esse voluit: At propter neglectum verum Dei cultum, & Astrologiæ studium, alium breuiorem mortalibus vitæ terminum, nempe 120. annorum præscripsit Deus: Ergo ad prouehenda studia Astrologica, post verum Dei cultum, data est longa primis illis hominibus vita. Cæterum ne negari posset, propter Astrologiæ studiũ neglectum, vitam breuiorem factam concessamve hominibus esse, probare id autor hoc modo voluit: Cuius causa spiritum suum in homine permanere Deus noluit, illius causa vitam breuiorem mortalibus præscripsit: At propter Astrologiæ contemptum & neglectum noluit Deus in homine spiritum suum permanere: Ergo hac de causa vitam illis concessit tam breuem. Minorem propositionem ex verbis textus probat. Scriptum est enim 6. Genes. cap. *Spiritus meus non manebit in homine in æternum, quia caro est, eruntq; dies illius 120. anni.* Carnis enim nomine significari vult notitiæ de Deo, atque etiam peritiæ siue studii ex astris diuinandi extinctione. Sic igitur ab Astrologis propositio ista quæ 6. Genes. cap. scripta legitur,

tur,

erit, fuerit explicanda: Quia Astrologiæ studium negligunt homines post verum Dei cultum, non permanebit meus in ipsis spiritus, nec tot annis amplius viuent, sed 120. annis posthac viuent duntaxat.

At ego miror Astrologos, qui se arbitrantur abstrusissima Dei arcana in cœlis perspicere, hoc loco non vidisse quod omnes boni interpretes verbi Dei viderunt, & ipse Mosi contextus demonstrat: Deum videlicet his verbis non præscribere nouum aliquæ humanæ vitæ terminum, sed indicare futurum vt post 120. annos mundū perderet. Hoc autem mysterium ex Cōciliatore peritum est, qui præsentem locum eodem modo exponit, & expositionis suæ hanc rationē addit. *Hæc namque, inquit, est vitæ naturalis hominis. Cur queso? Quia anni solares maiores tanti sunt.* Iam intelligis, lector, vnde explicatio hæc nata sit, & quousq; iam pridem sit prouecta Astrologorum audacia in peruertendo etiam Dei verbo, quasi veteres omnes Patres Astrologi fuerint; quum tamen non modò nihil de illis eiusmodi scribat Moses, verum etiam apertè, vt & post eum Prophetæ, Astrologicas diuinationes in manifestissimè damnent & coarguant.

Moses scilicet per spiritum Dei de sanctis Patribus diuinans, intelligere nõ potuit ipsos Astrologos fuisse. At nostri Astrologi sine spiritus diuini præsidio id in cœlo depictū videre potuerunt. Sic Moses non potuit videre Astrologiæ studium in Ecclesia Dei seruatum omni tempore fuisse, quum exterminandum censuerit: sed nostri Astrologi, scilicet, hoc viderunt. Sic etiam posteros

Sethi, duas concinnasse columnas viderunt in Iosepho, in quarum altera diuinatrix Astrologia descripta & conseruata fuit. Moses igitur qui hoc rescire nō potuit, peccauit grauitate, quum Astrologiam impiā iudicauit, vt & Iesaias & Ieremias Prophetæ.

Sed age, audiamus etiam alia argumēta. Deus ideo Noe arcum suum in nubibus cœli posuisse videtur, quia sicut verbi Dei, ita prædictionum ex astris illustrem notitiam habuit: Noah ergo Astrologus fuit. At ego adhuc credidi in nubibus positum fuisse signum hoc, vt ab omnibus hominibus, (in qua orbis aut terræ parte apparet) cerni posset, ac omnes hoc pacto promissionis diuinæ admonerentur. Nam si fortè signum ei vel in terra in qua habitabat, vel in mari vicino posuisset, quomodo id animaduertere mundus potuisset? Non enim hoc ad solos Iudæos, sed ad rotam Noe posteritatem pertinuit, vnde & nos originē ducimus. Quid quod Deus ipse dicit, fore vt vidēdo hunc arcum recorderetur icti fœderis? Quid porrò Noe fuit opus astrologiā ad intelligendum quid arcus iste sibi vellet, cuius Deum ipsum habebat interpretem?

Eiusmodi etiam illud est quod affirmant Iaphetum maiorem natu filium Noe, Astrologum fuisse, atq; ideo à poetis ad solium Iouis cum ferula, hoc est, mathematico radio collocatum esse, & præterea hominum fictorē ideo fingi; quia præter cæteras res diuinas, Græcos diuinationem ex astris docuerit. quā fabulā quid potest vanius confingi?

Iam quo pacto Abrahamum quoq; Astrologum

gum

gum fuisse probetur, considerandum est. Iosephus de Abrahamo affirmat, eum à Chaldæis ad Ægyptios artium Mathematicarum & Astrologiæ studia pertulisse: Ergo ex astris diuinavit. Si de Diuinatrice Astrologia loquitur Iosephus, aperte mentitur. Quomodo enim vanitatis eius fuisset magister, quam Deus per Mosen, Prophetas, Apostolicosq; viros tantopere execratus est? Si per Astrologiam nos patiatur Astronomiam intelligere, vt prisci intelligere soliti sunt, non pugnabimus, præsertim quum pro stans ceremoniarum temporibus obseruandis non inutilis Astronomia videri queat.

Signum multitudinis stellarum, iuxta quarum numerum semē se ipsius multiplicaturum Deus promisit, non magis probat Astrologum ipsum fuisse, quàm illud de arena maris. Nam si ideo ex astris diuinasse creditur, diuinare Patriarchas etiam ex arena maris probabitur eadem ratione. Sicut enim se multiplicaturum semen pro stellarum multitudine dixit, ita etiam pro arenarum copia idem se facturum pollicitus est.

Videamus aliud. Iacob, Isaac, &c. Astrologi fuisse videntur. Vnde hoc credendum putatur? ex eo quòd Ioseph somniauit solem, lunam, & vndecim stellas sibi subiici. Atqui si per solem, lunam, & vndecim stellas in somnio visas, diuinasse ex astris Ioseph putetur, cur non eadem ratione ex manipulis frumēti diuinasse probabitur? Certè vtrunque somnium eandem rem significauit. Sed quid pluribus ago, quum ipsa historia longè alium, id est, à Dei spiritu prophetico illum impulsum testetur?

Quomodo autē illud interpreter, quòd Mo-
sen etiam Astrologum fuisse perhibent, sanè ne-
scio. Sed præstat probationem inspicere, vt res
clarius fiat. Moses institutus fuit in omni Ægy-
ptiorum doctrina, fuitq; potens factis & dictis, vt
scribitur Act. 7. Ergo fuit Astrologus. Consequē-
tiæ probatio in 122. thesi posita est, quoniam vi-
delicet Ægyptii tunc Astrologiam exercuerint
& nouerint. Ego hætenus credidi Mosen poten-
tem factis ac dictis fuisse, non propter humanam
scientiam & virtutem, sed propter diuinam quæ
in ipso fuit, virtutem.

Veruntamen vt res perspiciatur planissimè,
concedamus iam tum Astrologiam fuisse partem
sapientiæ doctrinæq; Ægyptiorum: quod propè
tam erit, si quis negare velit, probatu difficile,
quàm non potest Astrologia vera ostendi: nam
quod suprà Abrahamum Ægyptios Astrologiam
docuisse dictum fuit, vanum esse nemo nō videt,
si de diuinatrice loquatur: hanc enim vt impiam
& Deo inuisam vir Dei nunquam alios docuisse
ab homine sano credi poterit, nisi tunc docuisse
credatur, quum idololatra adhuc esset. Sed tamē
verū id esse de Ægyptiis age concedamus: an hinc
sequetur Mosen eandem probasse? Non opinor.
Non enim omnia probarunt, neque omnibus vsi
sunt viri Dei, quæ tanquam bona à pueris, dum
adhuc iudicium ferre de rebus non possent, inter
prophanos didicerint. Nam in aula à Pharaonis
filia educatus, fieri potest vt in malis etiam arti-
bus fuerit institutus, quas, si apud parentes per-
mansisset, nemo ipsum docuisset.

Certè si ita colligere fas fuerit, Quicquid viri
sancti

sancti didicerunt, hoc & approbarunt & usurparunt: quæuis non Mosen duntaxat, sed alios etiam Patres approbasse & fecisse demonstraeris. Nam & magum, & incantatorem, & veneficum, & præstigiatorum, & augurem, & aruspicem fuisse, atq; nobis eadem permissa esse, hac ratione validissimè ostenderis. Nemo etenim ambigit, quin hæc impietates, tanquam supremas sapientiæ partes Ægyptii studiosè coluerint. Qui de hoc dubitat, sacras literas nunquam legit, aut parum quæ legit meminit. Tales etenim fuerunt, qui ad interpretandum somnium Pharaonis conuocati sunt. Tales fuerunt, qui contra Mosen miraculis pugnaerunt. Ergo qua ratione Moses Astrologus fuisse probabitur, eadem quoq; *Magus & Necromantes* dicetur.

Nam si excipias, non fuisse in his omnibus institutum, scripturam contra proferam, quæ affirmat ipsum in omni doctrina eorum eruditum fuisse. Quid hinc Astrologi respondebunt? An fatebuntur potius talè fuisse Mosen, quam Astrologiam suam ab eo fuisse improbatam concedant? Imò nisi malint etiam impii esse ac videri, dicent quod paulò antè nos dicebamus, non omnia vestros Patres probasse, quæ, dū pueri essent, docti sunt. At hoc concesso, illud ipsorum argumētum euanesceat. vt enim puer existens Moses, Astrologiam perdidicerit; postea tamen, quum rectè res intelligere cœpit, ac lumen diuinitus missum excepit, quæ impia fuerunt abiicit, damnauit, detestatus est, inter quæ etiã fuit Astrologia, vt mox demonstrabitur. Iam satis est indicasse, omnes qui Mosen ideo Astrologiã probasse & commē-

dasse credunt, quia in omni Ægyptiorū doctrina eruditum ipsum fuisse legimus, eādē ratione ad asserendum cogi, eundem Moſen contra ma- niſtum Dei mandatum enumeratas impias ar- tes laudasse, excoluisse & exercuisse: quod nemo affirmare possit quin insaniat.

Ratio eadem est de Daniele, quem etiam in doctrina Chaldæorum & Ægyptiorum institutū fuisse legimus. Nisi enim ita loquamur & sentia- mus, sceleratissimos homines ex sanctissimis Dei hominibus impiè faciemus. Pluribus ista expo- ſui, vt tandem discamus nefas esse quiduis ex ſcri- pturis arripere, & ad quiduis corroborandum detorquere.

Huic autem de Moſe ſententiæ, quia caput 18. Deuteronomii obſtare vidit theſeôn iſtarum au- tor, omnia tentat, vt laqueum illum, quo ſe ir- retitum intelligit, effugiat. Sic ergo in 123. propo- ſitione ſcribit: Quod Moſes diuino ſpiritu motus prohibuit, ne quis inter ipſos foret Hariolus, So- mniator aut Astrologus, non ſimpliciter eſt acci- piendum. Nam ſi legitimè Astrologiā vtaris, & intra eius metas conſiſtas, nullo modo ex hoc lo- co damnatur, ſed potiùs commendatur. ab uſum enim damnat, non verum uſum. Quum hæc lego planè ſtupesco. Atqui eodem contextu Moſes explicatiſſimis verbis non tantū Astrologiam, ſed etiam Augurium & Aruſpicinam, & Necro- mantiam, nec non alias omnes palàm ſuperſtitio- ſas diuinandi ſpecies prohibet. Eritne igitur Aru- ſpicina, Necromantia, Incantatio ferenda, modò ab uſus abſit? Conſtat certè has & ſimiles hario- lationes ex omnium hominum ſententia hîc à
Deo

Deo damnatas esse. At iisdem verbis, eodem modo, sub eadem clausula & periodo, nullâ exceptione vel exceptionis notâ additâ, etiam Astrologiam prohibet. Ergo similiter totam, vt reliquas, damnat, aut aliquatenus tantum omnes Deo execrabiles asseuerat. Hoc fieri nequit. Ergo ne illud quidem, quum causa iudicari nulla possit. nam in eodem numero & censu cum cæteris Astrologia ponitur. Rationes enim quæ afferuntur in contrarium, non magis Astrologiæ, quam aliis omnibus aptari possunt. Quare si de aliis illis admitti nequeunt, ne de hac quidem possunt: aut probandum fuit, de solius Astrologiæ. nominatim, non etiam de aliarum abusu locutum fuisse Mosen.

Et certè non alia de causa tam multis hoc in loco, quot in alio nullo, vsus est nominibus Moses, quam vt nullam omisisse vaticinandi speciem ab omnibus cerneretur, nullumq; vllis diuinatoribus effugium relinqueret. Certum est omnes etiam interpretes in hoc loco Astrologiam connumerare, quantumuis nõ vno omnes loco, propterea quòd pluribus hîc nominibus significari potest. Certum est & illud, ea nomina hîc poni, quibus apud Esaiam & alibi speciatim Astrologi ridentur & vituperantur. Quare candorem auctoris istarum propositionum hoc loco commendare possum, quòd ingenuè fateatur, Astrologiã à Mose hîc expressam quoq; legi.

Ex hoc & aliis plurimis scripturæ locis permoti sunt antiqui patres, vt totam istam diuinationem Astrologicam semel damnarent ac detestarentur. De Augustino clarius est, quam vt probari

debeat, tam aperta & tam multa apud ipsum extant eius sententiæ testimonia. Equidem Mathematicum, hoc est, Astrologum reipiscentem Ecclesiæ non aliter commēdavit, ac si summus fuisset hæreticus. De Tertulliano suprà diximus, qui alibi Astrologos plurimum Marcionitas esse dicit, quòd ascendentes nascentibus nescio quam fortunam vel infortunium afferre doceant. In ea sententia Manichæi quoq; fuisse legere me apud eundem memini. Qui Augustini libros Confessionum diligenter perlegerit, Manichæorum furoris fundamentum ferè præcipuum fuisse videbit Astrologiam. Quocirca non sine causa tantà diligentiam monet Augustinus, ut ab ea caueamus. Expertus ipse fuerat veneni vim, quod piorum animis instillat. Certè vix aliquid nocentius excogitatum est istis vaticinandi modis. Deum maximè lædunt, dum quæ ipsius solius sunt, sibi arroganti miseri homunciones. De Hieronymo etiam in decretis Pontificum qui volet legat 26. *quæst. 1. cap. Sed & illud.* Basilii & Augustini in expos. super lib. Geneseos apertius quàm Astrologi vellent, sententiam hac de re suam declarant. Ibidem Ambrosius, Chrysostomus, Origenes, Gregorius, non partem eius, sed totam vituperant ac condemnant. Sed hæc obiter. Ad rem redeo.

Haftenus ostendî Mosen non aliter de Astrologia loqui, quàm de aliis, quas ibidem nominavit, superstitiosis artibus. At istas nō aliquatenus, aut propter abusum, sed omnino totas damnat. Quare Astrologiam quoq; totam damnavit. At noster hic autor abusum eius duntaxat improba-

tum

rum fuisse dicit. Hoc quomodo probet iam videndum est.

Prima eius ratio hæc est: Moses manifestè loquitur de harum artium abusu, quod Hebraicarum appellationum explicatio testatur. Atqui si hoc verum est, consequetur Mosè nullam istarum artiũ simpliciter prohibere, sed abusum solum earum vetare, & propter abusum ipsas quoque. Tamen enim non omnes illas recenset harum thesèon autor: hariolos tamen (quos simpliciter damnari omnes pii fatentur) nominat. Et ratio cogit eum idem sentire etiam de reliquis. An non autem hoc est nimium absurdum, vt nihil grauius dicam? Vt autem omnes intelligant, Astrologiam quoque, nec solum Astrologiæ abusum, damnatum esse à Mose, verba præsentis loci vt à peritissimis Hebraicæ linguæ viris Latina facta sunt adscribam. Hoc tamen præmonere volo, quod etiam suprà dixi, hîc ea nomina quoque recenseri, quæ alibi in sacris literis nominatim à Astrologis posita sunt. Illa igitur sic habent: *Postquam in terram, quam tibi Dominus Deus tuus dabit perueneris, non discas imitari gentium illarum abominationes, nec inueniatur in te qui filium suum filiamve per ignem traducat, nec hariolus, dierum observator, Augur, Prestigiator, Astrologus, Publii consultor, Divinator, Necromantis. Execrabilis enim est Domino quisquis ista facit. Et propter ista scelera expellit eos Dominus Deus tuus a facie tua. Integer esto erga Dominum Deum tuum; Nam ille quidem gentes, in quarum possessionem tu venis, Augures (alii, temporum observatores) & diuinos audiunt. Te verò ita facere non docet (alii, permisit) Deus tuus.*

Quod bis iam dixi, iterum ac tertio dico. Tametsi vno in loco non omnes interpretes posuerunt *Astrologos*, omnes tamen hinc positos confiteri, cum propter alias causas, tum quod in huiusmodi nominibus Astrologi alibi etiam comprehensi sunt. Deinde quia non vnum nomen hinc positum est, quod Astrologiam nobis significare possit ex peritissimorum Hebræorum sententia. Certe D. Philipp. Melanthon, cuius hic autor testimonio nititur, non obscure idem hoc significat. *Astrologos* idem hinc comprehendi non negat. Quod autem abusum tantum, non artem damnari etiam putat, minimè conuenit præsentì loco, vt iam declaratum est. Nec enim dubium esse potest, quin Astrologiam cum omnibus diuinationibus Deus per Prophetam hoc in loco execrari voluerit. Quum enim de omnibus dicat, propter eiusmodi scelera pulsas esse suis locis gentes illas, nec excipiat Astrologiam; consecrarium est non minus hanc Deo inuisam esse, quàm cæteras. Quamobrem si non abusum aliarum duntaxat, sed ipsasmet totas artes cum suis autoribus detestatus est Moses; necessarium est, vt Astrologos quoq; similiter cum Astrologia condemnatos fateamur. Non enim hoc loco Moses naturalium & non naturalium mentionem fecit; sed quas percepit similiter diuinæ humanæque scientiæ aduersari existimauit, vt ex iis quæ diximus nemo non perspicere potuit.

Secunda quoq; ratio ex iisdem perspicuè soluitur. Non enim hoc solum prohibuit in præsentì loco Moses, ne regni Israelitici constitutionem ab Astrologis sciscitarentur, cuius hinc nulla fit mentio:

mentio:

inuentio: sed quid non fieri Deus velit in suo populo, exponit. Non hoc ait Moses, *Noli Augurem aut Astrologum de regno Israhelis interrogare*: sed inquit, *Ne inueniatur in te Augur, Aruspex, Necromantis, Prestigiator, Incantator, Astrologus, Veneficus, &c.* Non enim hos te audire siue consulere vult Dominus Deus tuus, qui aliter te instituit. Quum ergo in populo Dei non patiatum esse, qui vel talia profiteatur; vel profitentes consulat, vana est non minus secunda, quam prima ratio.

Tertia hæc ferè est: Moses testatur factum hoc cum populo Iudaico esse speciale: Ergo non vsum, sed abusum Astrologiæ damnauit. Imò verò Deus ipse testatur hoc loco, se ita detestari omnes diuinationes, vt propterea gentes è suis sedibus eiecerit, ac Iudaicum populum à Babyloniis captiuum abduci passus sit. Nam & hanc quoque captiuitatis eorum causam enumerat Scriptura. Nihil hîc verò Moses vel de generali vel speciali facto loquitur, sed quomodo in promissa ipsis terra viuere debeant, exponit. Quare vana est ista quoq; responsio; quoniam hac rursus quoque ratione Necromantiam, Aruspicinam, Augurium, Incantationem non prohibitam esse à Mose, sed abusum tantum earum reprehensum ostenderis. Certe responsio de illis, quæ naturales causas habent aut non habent, nullius est momenti: nihil enim horum à Mose dicitur, vt iam indicaui. Deinde constanter negandum est, Astrologicas diuinationes naturales causas habere: Augurium & Aruspicinam, & similes non habere. Si aues & exta dicas non esse aut signa aut causas futurorum, ne astra quidem verè & rectè vel

signa vel causas esse respōdebimus earum rerum, quas Astrologi se ex astris præuidere dictitant. Nam quomodo Scriptura in libro Genes. signa esse asserat, supra est declaratum.

Quarta ratio nec firmior est nec probabilior: Si totas artes (inquit) non ab usum tantum à Mose damnari putemus, Iosephum Patriarcham somniorum interpretem ante Mosen, & Danielelem post Mosen reos peragemus. quod quum sit impium cogitare, nedum dicere; rectè dictum est ab usum duntaxat harum artium damnari. Atqui iam antea ad hæc respōsum est, quum diceremus Deum & Mosen execrari diuinationem, quæ nõ fiat per peculiarem Dei inspirationem. Quis enim neget Deum futurorum conscium, inspirare eadem quibus vult posse? Sanè Ethnici hunc suis Diis, hoc est, Dæmonibus honorem detulerunt, docente ipsos ratione, eum qui Deus esset, hæc scire oportere. Quare quum pro Diis haberent Dæmones, futurorum præscios crediderunt, unde etiam nomen ipsis inditum nonnulli censuerunt. Non damnauit ergo Moses diuinationem per somnum, ab ipso met Deo infusam.

Iam & illud controuersia caret, vtrunq; illum, Iosephum videlicet ac Danielelem palàm dixisse, quòd ex nulla arte aut facultate naturali, sed ex inspiratione diuina talia viderent & intelligerēt: at nostet antagonista nõ diuina inspiratione, sed artis nescio cuius præsidio credere videtur, eos fuisse somnia interpretatos: quod vt mihi persuadeam non hic tantum, sed alius prætereà locus facit in oratione quadam ab ipso antè multos annos edita, in qua nõ veretur affirmare, Iosephum beneficio

beneficio

beneficio Astrologiæ vbertatem & fertilitatem illam annorum prædixisse. Hæc autem monendi causa leuissimè attingere placuit. Qui plura videre cupit, is quæ de Daniele & Iosepho scripturæ testantur, perlegat.

Ego iam ad sequentia procedam, postquã planissimè (ni fallor) ostendi, totam Astrologiam à Mose veritam, non abusum tantùm ipsius prohibitum fuisse, contrà quàm sensit istarum propositionum autor: quod quum dico, Astronomiam non reprehendo, sed solã diuinationem ex astris abiici & damnari aio. Sicut enim non damnat aues aut motus earum, qui ex ipsis diuinari posse negat: ita non damnat motuum observationes, qui rerum futurarum contingentium præsensio- nem in his quærendam non esse probat.

Hinc descendit hic noster ad nouum Testa- mentum, & sic argumentatur: Magi Astrologiæ beneficio ad Christum adorandum perducti sunt: Ergo non potuit esse mala. Atqui etiam si maxi- mè verum esset antecedens, consequens tamen non esset necessariò verum. Iosephum in Ægy- ptum venire bonum fuit, non tamen bonum fuit factum fratrum à quibus fuit diuenditus. Bonum fuit Christum pro nobis tradi Iudæis: nemo ta- men Iudæ proditoris factum defenderit vt bo- num. Exempla huiusmodi infinita reperias.

Sed hæc sinamus, atq; illud percū- mur, quò indice cognouerit illos Astrologos fuisse? Acces- serunt, inquit, fortassis obscuræ promissiones ex propheta Danielis & concionibus eius. Verùm si fas erit dicere quod cuiq; factum videri potuit, atque id vnico FORTASSE probare, fortasse

licebit & nobis idem per FORTASSE negare. Demus autem ex doctrina de astris cognouisse Magos stellam non esse naturalem, propterea diuinatores ex astris ipsos fuisse necesse est? Certè hoc testimonium tam parum fauet Astrologis, vt multi, inter quos etiam Lutherus est, eruditi & sancti viri huius occasione diabolicam esse docuerint. Non valde repugnem, si quis dicat eos ex Astronomia vidisse, non naturalem esse stellam, quæ affulsisset, non autem ex diuinatrice Astrologia. Non enim vlla eos Astrologia docere potuit amplius, quàm non esse vfitatam stellam. At hoc non Astrologia, sed Astronomia docere potuit. Hæc enim stellarum discrimina docet, illa ex percepto stellarum situ vaticinia & oracula promere studet. Ne hîc quidem igitur habent Astrologi firmamentum aliquod.

Si verum fatendum est, probabilius multò dicemus & credemus, ipsos inspiratione diuinâ excitatos præcedentem stellam secutos fuisse: idq; hinc apparet, quòd non habuerunt naturalem solùm & obscuram interpretationem, sed certissimam intelligentiam, quum vt nihil dubitantes interrogent de nato Rege Iudæorum. Stellam enim ipsius, inquit, in Oriente vidimus: quod certè nulla eos docere Astrologia potuit, quemadmodum ipsemet autor cõfiteatur, quum nescio qua prophetia apud posteros Danielis conseruata, edoctos fuisse conicit. Altera eiusdem rei cõiectura est, quòd ab Angelo Dei in somno admoniti leguntur, vt per aliam viam domum redirét. Multò enim probabilius est, ab eodem inuitatos fuisse ad adorandum Christum, à quo de itinere instituti

instituti sunt, quàm ab Astrologia huc esse indu-
ctos. Fateor me nihil hîc habere quod affirmare
certò possim. Nam fabulas, aut somnia instar A-
strologorum narrare nec possum, nec volo, nec
debeo. Hoc tamen spero lectores mihi concessu-
ros veriores & firmiores esse huius meæ senten-
tiæ coniecturas.

Ex Danielis prophetia quæ extat, nihil, quod
aptè huc quadret, legimus. Conciones de hac
stella an peculiare habuerit, autorem nostrum
non minùs lateret, quàm me lateat. Putat ipse Da-
nielem fuisse Astrologum, & de hac stella pro-
phetasse, quæ ad ipsos vsque Magos in hominum
memoria conseruata sint. At illud non rectè dici
docui. Posterius vt non nego, ita incertum esse
aio. Hinc ex reliquiis Persarum Magos illos fuisse
existimat. Vt semel dicam, probabilius est &
scripturæ magis consentaneum, ipsos diuinitus
admonitos & de stellæ istius significatione edo-
ctos, tantum iter suscepisse, vt Christum Saluato-
rem adorarent. Hoc siue ita est, siue non est, pa-
rum refert. Si ita est, nec Astronomia nec Astro-
logia opus ipsis fuit. Si non est, rursus non fuit i-
psis opus his artibus, à quibus aliud doceri non
potuerunt, quàm non esse stellam naturalem. At
amplius quiddam ipsos scire oportuit, quemad-
modum multò amplius eos sciuisse constat.

Quid ex antiquis scriptoribus aliqui hac de re
fenserint non ignoro. Hinc auctori penè videretur
accedere liber de Cardinalibus Christi virtuti-
bus, qui Cypriano Martyri adscriptus extat. Diuus
Hieronimus à Dæmonibus admonitos suspica-
tur. Sed & beatus Augustinus in libro de Dæmo-

Q

nibus quædam ad eum modum refert: In re dubia id sequi semper malumus, quod ad pietatem accedit propius. Quicquid verò hîc sentire vult quisq; velit, certissimum hoc est. Astrologiam inde non inuari: quia consequeretur Dæmones placere Deo, sicut ex nostri aduersarii argumento illi placuisset Astrologia. At non semper bonum est, quod in bonum finem conuertit Deus, vt iam declarauimus.

Exemplum de Dionysio Areopagita nihil probat aliud, quàm ipsam fuisse Astronomiæ gnarū, non autem Astrologiæ. Non enim huius, sed illius munus est, percipere eclipses naturales & nō naturales. Quo fit, vt ex hoc & proximè præcedente exemplo pessimè concludat autor, Deum vti Astrologia piè verbo Dei coniuncta, ceu medio quo ad veram fidem aliqui vocentur. Argumentum autem ipsum est huiusmodi:

Occasiones omnes per quas homines ad fidem & agnitionem Dei pertrahuntur, per se bonæ sunt.

At per Astrologiam Magi & Dionysius ad Deum perducti sunt:

Ergo bona est.

Iam ostendi Minorem in vtroque exemplo prorsus esse vanam. Idē de Maiore probaui. Multis certè quum pessimè agerent, occasionem ipsa scelerata vita præbuit sese ad Deum conuertendi. Multos olim constat conuersos, in ipsa carnificina & persecutione sanctorum. Factum Pauli & consilium non erat certè bonum. Reprehensus est enim à Christo eo nomine, quòd Damascum iret sanctos Dei excarnificatum. At fuit illi profectio ista occasio salutis. Occasio dico, non causa.

causa. Nec aliter Dionysius ab eclipsi ad Christū perductus est.

Quæ sequuntur, nempe à 137. propositione ad finem vsque, quia non ad confirmandam Astrologiam, sed ad statuendas metas prædictionum præcipuè dicta sunt, hîc persequi nolo; quâquam quis sit rei per se malæ modus, ego quidem non video.

Cæterum quæ me causæ impulerint, vt in istas theses aliquid scriberem, & dixi antea, & nunc quoque repeto. Inuitus à quoquam, nedum à viris alioqui magnis dissentio, ac quibuscum etiam tum communis religionis, tum eiusdē penè professionis vinculo coniunctum esse me gaudeo. Multò minùs etiam mihi iucundum est publicè aliquod extare istius nostrorum iudiciorum varietatis testimonium; sed præterquam quòd hæc est humanæ imbecillitatis conditio, vt nō eadem omnibus semper probentur, quum in re maximi momenti animaduertentem eò vsque obtinuisse vanissimum hoc dogma, vt non frustra metuam, ne vel ob hoc vnum inter alia plurima grauissimum Dei iudicium toti Germaniæ, ac præsertim primariis eius scholis impēdeat, quòd ibi patefacta sit isti supersticiosissimæ (ne dicam planè impiæ) vanitati fenestra, quâ vltimæ calamitates olim intromissæ, non modò nobilissimas familias, verum etiam vrbes, populos, imperia deniq; , recte ipso Dei verbo, funditus perdiderunt. Certe bonos & pios omnes arbitror nō sine magno luctu animaduertere, quò iam res deuenit; vnde iam in Germania nimium multi pendeant; quæ sint circumforaneorum Astrologorum agmina;

quis deniq; furor Domini aduersus istam impietatem accensus. Nam quæ tandem apertior est impietas, quàm ex astris diuinare velle quæ sibi vni Dominus reseruauit? Nec etiam dubito, quin illi ipsi qui hanc artem annis antè aliquot extulerunt, taciti saltem apud se de remediis aduersus ista conquirendis cogitent. Sed vtinam ne frustra id faciant, quum nulla sit in vitio mediocritas, quamuis alii aliis longiùs prouehantur. Ego quidem non ita insanio, vt leges cuiquam cogitem præscribere. Sed æquum tamen est, imò verò planè necessarium, nisi perire vltro malimus, eū audiri, qui per os Prophetarum, & Apostolorum suorum, omnium denique orthodoxorum Patrum summo perpetuoque consensu, omne istud diuinationis genus, ac præsertim Astrologicas prædictiones, addita grauißima comminatione execratus est. Nec enim exemplis, sed ex Dei verbo iudicabitur. Quòd si etiam exempla quærenda sunt, omnes hortor vt sibi potiùs quàm quenquam alium Solomonem illū vt sapientissimum proponant, inq; huius doctrinam & sapientiam intueantur. Hunc etenim cunctorum hominum sapientiam superasse, totiusque naturæ peritissimum fuisse sacræ literæ testantur. Sic enim de eo in lib. 3. Reg. 4. c. scriptum legimus: *Fuit autem Solomon tantâ sapientiâ & prudentiâ, tamq; infinita ingenii ubertate diuinitus præditus, vt non solum Arabes omnes atq; Egyptios sapientiæ præstantiâ superaret: verum etiam omnes mortales, ipsumq; adeo Echanem, Ezratam & Hemanem & Calcholem & Dordam Macholis filios, estq; eius fama apud omnes undiq; gentes diuulgata. Dixit tria millia sententiarum: eius carmina,*

mina,

mina, siue cantiones fuerunt quinq; supra mille. Dissertuit de arboribus à cedro Libani vsque ad hysopum qui nascitur in parietinis. Dissertuit & de quadrupedibus, de volucris, de serpentibus, & de piscibus, conueniebantq; ex omnibus omnium regnorum orbis nationibus ad audiendam Solomonis sapientiam qui eius sapientie famam audiuerant.

Hic Solomo, quē eruditione, sapientiā, prudentiā, ingenio & iudicio cunctis mortalibus antecelluisse, totique mundo admirationi extitisse, & earum rerum omnium, quarum hominis ingenium capax est, peritissimum fuisse audimus, minimè veretur ingenuè profiteri, se futura, quorum sibi notitiam Astrologi tam confidenter arrogāt, præscire aut præcognoscere non potuisse. Hac de re quisquis dubitat, ipsius Ecclesiasten consulat, attenteq; legat. Quare multò probabilius fuerit hoc argumentum, quàm alia multa iam à nobis refutata: Solomonem nihil earum rerum latuit, quas homines assequi ingenio studioq; possunt. Is nihilominus futura contingentia se ignorare confessus est, cunctosque mortales ignorare asserauit. Ergo non possunt homines talia naturalibus viribus aut ex cælo aut ex aliis vllis creaturis augurari. Sed de his plus satis. Tu pie lector iudica, quinam nostiūm à veritate & pietate abeat longius. Vale.



INDEX RERVM MEMORABILIVM QVÆ IN HOC OPERE continentur.

A *Braham an fuerit Abrahami Aben Esra liber de rationib⁹ Astro-*
Astrologus pag. 228

Q 3

I N D E X.

- logicis* 212
Abusum Astrologiae Mo-
sem non solum damna-
re, sed usum etiam 236
Accidens, & quae per illud
inesse dicantur 63
Actorum Apostolicorum
locus ex 7. cap. explica-
tur 230
Adam ante lapsum an po-
tuerit futura nosse 195
Adrianus, Imperator
Ethnicus, Astrologus
 123
Egyptiorum doctrina
qualis fuerit 230
Agriculturarum predictio-
nes quae 19
Agricultorae cur tempora ob-
seruant, serendi, meten-
di, cadendi ligna, &c.
 172
Aristotelis locus explica-
tur 15. *Astrologiam*
non approbavit, imò
damnauit 122
Artificum praesagatio 19
Astaroth idolum 79
Astra non sunt facta, ut
quae hic fortuito fiunt
nobis praesignificent 32
Astra quomodo sint no-
bis in signa 300
Astrologia cur non nita-
tur naturalibus causis
 185
Astrologiam ex principiis
physicis non profluxisse
 201, 206
Astrologica diuinitio
quomodo à Savonarola
fuerit refutata 1
Astrologica diuinationi
qui fidem adhibet, ve-
ritati locum in animo
suo nullum reliquit 60
Astrologia iudiciaria in-
ter artes falsas diuina-
trices numeranda 93
inane & impiū signē-
tum 101
Astrologia iudiciariae va-
nitas 4. validissimis ar-
gumentis detegitur &
confutatur 95. & pag.
sequentibus.
Astrologi Deo suum offi-
cium auferunt 72
Astrologi iudiciarii quam
sint stolidi 94
Astrologorum temeritas
& dementia 51
Astrologos hariolos esse &
vates 94. *de solis re-*
bus per accidens futu-
ris diuinare 127. *im-*
possibilia

I N D E X.

- possibilia conari 124.
 olim inter vates habi-
 tos ac numeratos testa-
 tur Galenus 32
 Astronomia Dei donum
 est, ac non diuinat ex
 astris 203
 Albanasii præclara sen-
 tentia 24
 Atti Nauis historia 31
 Auerroes, Plato & Ari-
 stoteles, stellas omnes
 bonas indicarunt 198
 Aues non sunt à Deo fa-
 ctæ ut præostendant fu-
 tura 32
 Auguratoribus omnibus
 pœnam capitis & alias
 atroces pœnas Deus
 statuit 82
 Augurii species à Demo-
 nibus exagitata 31
 Augurium retinendum si
 Astrologica diuinatio
 admittatur 199
 Augustinus acerrimus
 Astrologia propugna-
 tor 197. libros Ge-
 nethliacorum abiicit
 189. eius sententia Ge-
 nethliacos damnantes
 101, 112. exemplum in-
 certitudinæ Astrologia
 demonstrans 163 164
 Auicenna vituperauit &
 damnauit Astrologiã
 198
 Author piè exhortatur
 illos qui diuinationibus
 fidem adhibent 54
 Authoris scopus & dispu-
 tatio 16
B Aalidolum 72
 Bella unde oriuntur
 181
 Bella plurima orta sunt
 nulla Eclipsi præceden-
 te *ibid.*
 Bellantius Astrolog⁹ tur-
 bulentus & inductus
 183
C Atonis consilium de
 Græcorum medici-
 na non admittenda 119
 Cause communes pluribus
 rebus 43
 Cause cælestes quid præ-
 stent sublunaribus re-
 bus 60
 Causarum discrimē qua-
 druplex 42
 Causæ rationales volunta-
 riæ & naturales 42
 Causa una quæ sibi soli
 sufficit, non potest res
 diuersas simul moliri

I N D E X.

- Et prestare* 60, 61
Christiani cur nunquam diuinationibus utantur 197
Cicero asserit Haruspiciū innumerabilia responsa nullos vel contrarios euentus habuisse 30
Cœli actio constans Et immutabilis 48
Cœli an plures sint quam octo 156
Cogitationes nostras futuras prospicere non ualemus 80
Cogitationes nostra tacita nemini nota post Deū, nisi cui nos eas patere uoluerimus 58
Concilio Toletani decretū contra Astrologiā 117
Confutatio 178. thesium Astrologicarum 190
Contingenter euenientia bifariam considerari possunt 17
Cyri expeditionem, uictorias Et gesta Demones eorumq; sacerdotes as uates diuinare non potuerunt 77
Daniel quomodo in doctrina Chal-
deorum institutus 232
Demones authores ueritatis siue diuinationis 26. *cur Diuinationē introduxerint* 28. *futura ex astris nescire, multò minus Astrologos* 114. *nunquam aliqui d. uerè futurum prædiuinarunt: item quomodo aliquoties acciderit quod prædixerant* 77
Demonium in diuinatione semper interuenere 187
Defensio 1, 2. Et 3, 4, 5. partis libri Saonarolæ aduersus Stathmionē 104, 120, 156
Dei solius proprium est omnia simul intelligere 36. *ei nihil fortuitum* 72
Deus. an non nunquam passus sit cacodæmones uera quedam prænunciare 92. *an uelit nos retinere Diuinationem ex astris petitam* 197. *cur noluerit nos omnia præscire* 81. *Quis loquitur, quoniam demones futura*

INDEX.

- futura nescire dixit* 79. *non minus presentia intuetur praeterita & futura, quam quae sunt presentia* 72. *solus cur futura nouit* 72, 79. *solus ἰσοδογῶντες, in cuius manu sunt consilia nostra, successus rerum & deliberationum nostrarum* 80. *solus sua suiq; cognitio est* 72
Diaboli an futura praesciant, & quomodo 187
Dionysius Areopagita Astronomus, non Astrologus 242
Diuinitio à diuis, seu diuino deriuatur 14. *circa quas res versetur* 17, 18, 63, 67. *eius definitio à Cicerone, Graecis, & authore tradita* 27
Diuinitio artificiosa quid sit, & quo modo fiat. 30, 87. *intolerabilis quae sit* 46. *non est rerum iam nascentium, sed simpliciter futurarum praecipio* 25, 37. *quid sit* 25, 193. *idem Latinis quod Graecis ἰσοδογῶντες & ἰσοδογῶντες* 13
Diuinationis due species 29. *vanitas dilemmatibus multis ostenditur* 53, 54
Diuinationem cur demones introduxerint 28
Diuinantium pactum cū Dæmoniis apertū aut occultum 87
Diuinantium duo ordines qui occultè pacti sunt cum Dæmoniis 88
Eclipseis multas nulla bella secuta sunt 181
Eclipsim bellum ciere posse absurdorum absurdissimum 182
Eclipsis solis anno 1558. facta, euentum non habuit quem iudicauerant Astrologi 159, 160
Effectus trifariam mutantur 217
Electiones dierum & temporum aliquid agendi vanas & fatuas esse 172
Elephantes sidera non notant ad diuinationem, ut volunt Astrologi 225
Epimenides Cretensis in

I N D E X.

- quo praedictionis genere versatus sit, & eius vaticinia 16, 222
- Esaïas** Propheta à cap. 41. usq; ad finem 79. soli Deo futurorum notitiã tribuit 73, 74. de quibus rebus futuris sit loquutus 76. quomodo Astrologicam Diuinationem damnarit, & quo tempore prophetauerit 106, 107
- Eudoxus** celebris mathematicus Astrologiam diuinatricem damnauit 122, 198
- Euenientia** particulatim, quatenus ita eueniunt, fortuitam causam habent 47
- Euentus** particulares futuri ab homine ac mētib; aliis creatis absq; instinctu diuino praenosci aliter nequeunt, quàm ut in suis causis conditi sunt 55
- Ethnicorũ** diuinationo mendax & falsa 28
- Experientia** quid sit 175
- Experientiam** non patrocinari Astrologicis vaticiniis 174, 202
- Extã** à Deo facta non esse ut praestendant futura 32
- F**atidici de quibus rebus interrogentur 67
- Figmentum** esse vanum, quicquid de artibus diuinandi tradiderunt imperiti & nimis curiosi homines 69
- Fortunæ** nomina, & quid sit 49, 62
- Fortuitarum** rerum nullam esse scientiam, artem, rationem, methodum, aut theoriam 62
- Futura** an in causis naturalibus nobis monstrētur 44. ex causis naturalibus percipi nequeunt 39 40. non comprehenduntur à nobis nisi in suis proximis & veris causis 68 non sic existunt ut sensus ea percipere valeat 33. sine instinctu diuino praesentiri ab homine aliave creatura mēte, tribus rationibus probatur 53, 72. percipere

INDEX.

- pere nō possumus, quo-
rum causam ignora-
mus finitimam & pro-
priam 39. tantum
abest possimus intelli-
gere, ut plerunq; tunc et-
iam eorū causas igno-
remus, quū facti sunt
53
- Futurum nihil cognosci-
mus, nisi quod à causa
nobis presenti perfectū
iri perspeximus 36
- G**alenus conqueritur
se pro vate habi-
tū fuisse, & negat me-
dicū esse vatem 21. 22
- Geneseos capitis 6. locus
explicatur 227
- Græci vno nomine Μάντις
vocarunt, quos Latini
appellant diuinatores,
augures, hariolos, vates,
vaticinatores 13
- Gregorii Nazianzeni
scomma lepidum in
Astrologos 93
- H**arioli Demonibus
ipsis solertiores se
existimant, & diuinos
honores sibi arrogāt 76
- Haruspicina quid com-
prehendat 28. retinen-
- da si Astrologica Di-
uinationo admittatur
198. eius species à Dæ-
monibus excogitata 31
- Haruspicum innumerab.
responsa nullos vet con-
trarios habuisse euen-
tus, asserit Cicero 30
- Hebræi an certis sideribus
nomina imposuerint
221
- Hieronymus Saonarola
impugnator Astrolo-
gia diuinatricis 1, 2
- Homo à seipsomet subinde
fit alius atq; alius 64,
65. cur nō Soli, sed ho-
mini similis sit 60
- Homo non potest aliquid
eorū præscire, quæ per
accidens & cæco casu
futura sunt 50
- Homo proponit, Deus dis-
ponit. proverbium 82
- Homo quomodo per se &
per accidens ab altero
sit generatus 65
- Humana cogitationes &
actiones in artem redi-
gi nequeunt 23
- I**acob & Esau gemelli
mirum in modū dis-
similes 162

I N D E X.

- Iamblichii testimonium de Vaticiniis* 85
- Iaphet an fuerit Astrologus* 228
- Imaginatio praevidere futura nequit* 34
- Imagines omnes Astrologorū imperfectae* 212
- Imperatores omnes pii & docti Astrologiam diuinatricem damnarunt, & eius professores punierunt capitis supplicio* 86, 127
- Incantationes impiae & diabolicae* 31
- Ioseph filius Iacob an fuerit Astrologus* 229
- Iosephus historicus refellitur* *ibid.*
- Ioannes Picus prostravit & euertit Astrologiam* 184, 213
- L**eges Ecclesiasticae damnauerunt & Caesareae sub poena capitis prohibuerunt Astrologiam 117, 118
- Locus Apostoli ex 1. Epistole ad Romanos explicatur* 223
- Luce locus, Erunt signa in Sole, &c. & alius* ex 12. cap. eiusdem explicantur 208, 209
- Luna an peculiare vires habeat* 216
- Lutherus Astrologiam artem esse diabolicam docuit* 240
- M**agi qui Christum adorarunt an fuerint Astrologi 239
- Manasses Esaiam Prophetam ferrā dissecurit* 107
- Manichei & Marcionite Genethliaci* 234
- Marsilius Ficinus Astrologiam vituperauit* 198
- Martibus cur Mavibus veteres appellarint* 14
- Medici, agricola, nauta, artifices & prudentes cur non sint, ob suas predictiones vates appellandi* 24, 195
- Medicorum praesagia eadem cum agricolarum predictionibus* 19, 23
- Medicorum & nautarū signa inconstantia, quae tamen ad artem aliquam reuocari possunt* 23
- Medici felicissimi, doctissimi*

I N D E X.

- simi & experientissimi Astrologiam semper riserunt & aspernati sunt* 188
Medicina an Astrologiã debeat habere coniunctam ibid.
Medicina pollicetur prænotionem illorum tantummodo quæ iam effici cœpta sunt 19
Mortui cur non inuocandi 115
Moses Astrologiam impiam iudicauit 228
Moses clarif. omnium qui præterita & ab omni hominum memoria remota exposuerunt 5
Moses quomodo in Ægyptiorum doctrina institutus 231
Mosis locus ex Deuter. 18. explicatur 232
Mutatio post lapsum hominis non in cælo facta, sed in homine & terra 196
N *Atiuitatis ex figura non posse Astrologos de futura nati felicitate & infelicitate aliquid cognoscere* 161
Naturalis causa quomodo fortuito agat naturaliter agendo 69
Naturalis omnis causa cum indiuiduis suis effectibus cõparata, fortuita cur vocanda 50
Naturalibus in causis futura nõ antè cognoscere possumus quàm disposita instructæq; sint ad agendum certo aliquo & definito modo 51
Naturaliter euenientia possunt facilius sciri futura, quàm quæ ab hominis voluntate efficiuntur 142
Nautarum presagia 18
Necromantia utraq; species impia & diabolica 31
Nemesius Episcopus Emessa in lib. de Natura hominis, damnat Astrologiam 68
Noah an fuerit Astrologus 228
O *Mnia ex Dei decreto nobis eueniunt* 109
Origenes numerat Astro-

I N D E X.

- | | |
|--|--|
| <p style="text-align: right;">logiam diuinatricē in- ter artes diabolicas 113</p> <p>Patres nec sciuisse nec probasse Astrolo- giam 212</p> <p>Petrus Aponēsis summus Astrologus 161</p> <p>Philosophi eruditi omnes omnibus seculis derise- runt & vituperarunt Astrologiam 119</p> <p>Physiognomia quomodo damnetur 88, 89, 90</p> <p>Pii omnes reges, iudices, sacerdotes, propheta à quo de successu omniū rerum responsa p: tinue- runt 79</p> <p>Planta quedam sequentes Solis motum 226</p> <p>Pleiades quam multis no- minibus notentur 212</p> <p>Plato Dæmoniis futuro- rum prænotionem non concedit 85</p> <p>Plato quos prophetas & vates appellet 30</p> <p>Plotinus Astrologiam vi- tuperavit 198</p> <p>Plutarchi locus 14</p> <p>Porphyrus Diuinationē diis omnibus non posse conuenire indicauit 15,</p> | <p style="text-align: center;">62</p> <p>Predictiones multa Dæ- monum plena fraudis ac doli 78</p> <p>Præfagitio incerta & im- possibilis futurorū quæ in communibus & lō- gissimè distitis rebus si- ue causis nititur 58</p> <p>Præfagitio rerum parti- cularium duplex 19</p> <p>Præuisio futurorum quæ falsa & incerta sit 26</p> <p>Præuisio futurorum mor- talibus non congruit 13, 14</p> <p>Præuisiones prudentum incerta 24</p> <p>Præuisiones prudentum quomodo differant à præfagiis medicorum, agricolarum & nau- tarum 24</p> <p>Prophetarum fit mentio apud profanos scripto- res, & quo sensu 24, 25</p> <p>Prophetia quid sit 25</p> <p>Prophetia (quæ vera est præfensio) solus Deus autor & effector, ibid.</p> <p>Prouidētia diuina digni- tatem & authoritatem conseruat</p> |
|--|--|

INDEX.

- conseruat autor* 50
Psalmi 19. locus explica-
tur 223
Ptolemæus Astrologorum
numen & parēs quam
potestatem in sideribus
ponat 143
R *atio deprauata, non*
autem siderum
lumen, voluntatem no-
stram ad scelera im-
pellit 145
Religionis in rebus nul-
lum usum habere diui-
nationes Astrologicas
fatetur Stathmion 173
Res accidentales cur for-
tuite sunt & dicantur,
ibid.
Res singula à nobis intelli-
guntur, prout actu sunt
animo nostro presentes
 40
S *Acra litera cur omnes*
diuinationes tanto-
pere vituperent, da-
mnent, puniant 86
Scholastici doctores cur
Diuinationes quasdā
quadam ex parte lau-
darint 84
Scriptura Demones ali-
quid futurum scire ne-
gat, priusquā sua causa
definita & vera appa-
rere cœperit 77
Scriptura docent soli Deo
nota esse futura, menti
creata nulli 74
Scriptura loci quibus ostē-
ditur nos futura igno-
rare, quæ solus Deus
nouit 80, 81
Sex argumenta Astrolo-
gorum refutātur 174.
& deinceps.
Sidera non magis posse res
futuras præsignificare
ac efficere, quàm aues
 193
Sideribus quomodo abu-
tatur Astrologia 101
Similia nunquam inue-
niuntur omnia in duo-
bushominibus 63
Sol an peculiare vires ha-
beat 216
Solomon omnium scien-
tissimus futura ignora-
uit, & homines illa i-
gnorare asseruit 83,
 84, 108
Spiritus beati nihil possunt
præuidere futurum 73

INDEX.

- | | |
|---|---|
| <p><i>Stella non mouent uoluntatē per sensus corporeos</i> 143</p> <p><i>Stellas per paucas notas esse Astrologis</i> 178</p> <p><i>Stathmion Astrologia diuinatricis defensor in quo lapsus sit</i> 11, 12, 13</p> <p>T <i>Ages primus docuit Haruspicinam, & quis ille fuerit</i> 31</p> <p><i>Tertullianus neglecta à Christianis Astrologia duas causas affert</i> 112, 197</p> <p><i>Theologi neoterici peritiores ferè omnes Astrologicam diuinationem</i></p> | <p><i>damnarunt</i> 84</p> <p><i>Theologi veteres Graeci & Latini Diuinationes omnes, speciatim Astrologicam damnarunt, & qua de causa</i> 84, 85, 87</p> <p>V <i>Oluntariis in causis futura prouideri non posse</i> 57</p> <p>Z <i>Odiaci imagines fictitia, & ab Astronomis ad faciliore supputationem excogitata</i> 156</p> <p><i>Zodiaci signa per se nihil efficere, sed solum planetarum mansiones esse</i> 212</p> |
|---|---|

FINIS.

3 A 5998

te custodite sicut scitis.
Aberrantes numerum sep-
signantes lapidem cum o-
bus. **A**vesse autem sabat-
luciscit in poma sabadi-
mana magdalena alta
na videte sepulcrum. **X**

c. xxxviii.